BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
14 A
18
7.2.1.4.20.
72 71
d d
26.30

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

IOANNIS BACCHANELLI REGIENSIS,

De consensu Medicorum in curandis morbis, libri quatuor.

EIVSDEM PRAETEREA ACcessit de consensu Medicorum in cognoscendis simplicibus, Liber vnus,

Cum dictionum præcipuarum Indice locupletissimo.

LVGDVNI,
Apud Bartholomæum Honoratum.
M. D. LXXII.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

12.14.A.18

AVTHORES, QVORVM consensus hoc libro producitur.

Hippocrates
Plato
Aristoteles
Galenus
Aëtius
Paulus Aegineta
Alexander Tral.
Cornelius Celsus
Oribasius
Dioscorides
Theophrastus
Theophilus
Plinius
Philaretus
Platearius
Auicennas
Auerrhois
Razes
Serapio
Haly abbas
Azarauius
Nicolaus Florentinus
Conciliator
Mesues
Gordonius
Michael Sauonarola
Marcus Catinarius
Arculanus
Gulielm⁹ Placentinus
Ioannes Manardus.

IOANNES BAC-CHANELLVS EX-

cellentiſs. Medico Ioannī Scutellariō S.

CERTVM eſt mi doctiſſime Ioannes, quòd olim elegeram quædam Medicorū dogmata, ad medendi normam ſatis (meo iudicio) opportuna, tum vt inde labili memoriæ, quandoque aliis in rebus occupatæ, ſuccurrerem, cùm etiam vt illis ſatisfacerem, qui nō niſi authoritatibus, etiām ſi mille rationes probatiſſimæ adducerentur, acquieſcere nolunt. Certè, vt ingenuè fatear, quod ex mea inuentione non poterā vt Græcè loquar, συλλεξάμενος γὰρ πολλὰς τῶν παλλαιῶν ἐκείνων βίβλοις ἀνδρῶν, ἐν μέσῳ τούτων ἐμαυτὸν ἵδρυσα, ac flores varios veluti ex pratis rele-

gens, ita effeci, vt quod prima nauigatione non poteram, πρὸς τὸν δεύτερον πλοῦν me contulerim ac expediuerm. Sed opus adeò vtile ac gratũ esse non potest, vt tuo excellenti ingeuio possit satisfacere: quanquam (ni fallor) nihil in eo dictum vel excogitatum est, quod authoritate non comprobetur, quod planum non sit, quod nõ remediis fultum, quod breuitatem etiam non amplectarur: in quo multa vno intuitu visuntur ac comprobantur, quæ sicco pede fortè intacta dimitterentur. Non auderem tamen (quod expostulas) vt formis excusum istud opus in publicum prodiret: ne mihi nouo homini, & vix intra proprios lares cognito, id mihi vitij daretur, quòd plura voluerim amplecti & exprimere, quæ semidocto cuiuis homini nota ac vulgata sunt, & ita trita ac explosa, vt vix de illis mentio fieri debeat.

Vrget

Vrget tamen me tua quotidie humanitas, & potissimis præcipuè rationibus adhortatur, vt illud iam iam in lucem pariam, & alios iuuenes huiusce mei laboris participes efficiam. Certè vereor ego, si tuæ voluntati obtemperare voluero, ne velut inter olores anser primùm obstrepere videar. Et quum plurimi nominis apud te sim, ne deinceps de me id fiat, vt est apud Theocritum, quòd τόσσον ἔχοι λάθας ὅσσον πόνα θασέα φαντὶ, Ἐν δίᾳ λασθῆμεν εὐπλοκάμω ἀριάδνας. Nosti enim (ita varia sunt hominum ingenia) quod vni placere solet, multis non placere posse. Nec te præterit, quòd in diuino illo Platone confusionem criminantur, in Aristotele tenebrosam obscuritatẽ, in Plinio turbulentam quandam congeriem, in Paulo Aegineta miram breuitatem, in Auicenna etiam nuper emendato quandã nominum

barbariem, in Galeno nimiam prolixitatem, & ad praxim non desideratum ordinem, in aliis confusionem potius, quàm compositionem: qui dum Latini videri non possunt, interdum ita loquuntur, vt vix à paucis quid velint intelligantur. Quid dicam de Hippocrate, qui modò laudatur, modò à Galeno damnatur ac reprehenditur? Hunc deinde Auerrhois pluribus in locis, alioqui doctissimum, etiam redarguit. Postremò Thessalus omnium placita medicorum renuit ac confutat, adeò vt nihil sit in scientiis ab omni parte beatum. Quare si vera hæc tibi esse videntur: existimare poteris, pauxilla hæc mea, quæ nec nomine, digna sunt, si in lucem exierint, quo tandem appulerint ac pernenerint, vt ἰμιώτερα, sicut dici solet, πολὺ τῶν γραφησομένων τὰ χαρτία εἰσί. Verùm si his rationibus acquiescere nolueris, ecce

mitto

mitto tibi librum, vt tuo arbitratu eo vtaris ac abutaris: expunge ac reseca quod est superfluum: quod verò deficit, adiunge: fac vt lubet, modò id intelligas animi nostri pignus apud te esse, & tenax nostri amoris intimi quoddam vinculum.

Vale, &, vt facis, me ama.

Ex ædibus nostris. 5.
Calendas Maij,
Anno 1550.

IOANNIS BACCHANELLI REGIENSIS, DE Cõsensu Medicorum in curandis morbis,

Lib. I.

Quid sit Medicina.

MEDICINA, est sciẽtia corporis humani sanitatem reficiens vel cõseruãs. vel, Medicina est adiectio & ablatio. vel, Medicina est sciẽtia, sanitatis conseruatrix, morborúmq; repultrix. vel, Medicina est, quæ sanis victus rationẽ pręscribit, & ęgrotos curat. Quę definitiones, verę non sunt medicinæ: nõ enim hæc ipsa efficit, sed ex illis quę efficit hęc proueniũt, ídq; nõ semper. Quare Medicina erit scientia salubriũ, insalubriũ, & neutrorum.

Loci consentientes ex vera Medicina.

Galen. 11 Meth. cap. 12. Medicina appositio est & detractio, deficientium quidem appo-

ppositio,redundantium detractio. Et hæc ntelliguntur de prima, secunda & tertia descriptione. De quarta loquitur Gal.lib. finitionum med.in principio.Sed quòd hæ non sint veræ definitiones, ex sequentibus locis mõstratur.Gal.in lib.de sectis, ad eos qui introducuntur,Propositum artis medicæ est sanitas,finis verò eius adeptio.Quibus autem quis absentem sanitatem recuperet, vel præsentem cõseruet medicis cognoscere est necessariũ. Porrò quæ absentẽ sanitatem restituunt, curationes & auxilia vocãtur: quæ præsentem cõseruãt, salubris victus est ratio. Quod si ita est, medicina igitur non erit cõseruans vel reficiens, sed salubrium, insalubriũ,& neutrorum scientia.Quod probatur ex Gal.1.art. med. cap. 2.Auic.Medicina est scientia, qua humani corporis dispositiones noscuntur ex parte qua sanantur,vel ab ea remouentur,vt habita sanitas conseruetur, & amissa recuperetur.Si scientia est, qua noscuntur humani corporis dispositiones,id igitur nõ erit, quod adiicit vel aufert, quod reficit vel conseruat, nec quod ægros ad sanitatem perducit.

Quot sint partes Medicinæ.

Partes Medicinæ sunt quinque. Prima est φυσιολογικὴ,id est rerum naturę contem-

platio. Secunda est αἰτιολογικὴ καὶ παθολογικὴ id est, causarum & affectuum consideratio. Tertia est ὑγιεινὴ, sed sanitatis tuendę ratio. Quarta est σημειωτικὴ, id est, signorum obseruatio. Quinta est θεραπευτικὴ, id est, medendi modus. Physiologica naturam hominis cōsyderat, & elementa quibus componitur: & generationem eius, & partes corporis tam intrinsecas quàm extrinsecas. αἰτιολογικὴ vniuscuiusque morbi causas & effectus inquirit. ὑγιεινὴ sanitatem tuetur, præcauendo ne corpora in morbos incidant, & vbi inciderint, ad sanitatem reducit. σημειωτικὴ signorum notitiam, præteritorum cognitionem, præsentium inspectionem, & futurorum præsagia nobis declarat. θεραπευτικὴ tres in partes diuisa est, vnam, quæ victu curat, alteram quæ medicamentis, tertiam quæ manum admouet.

Loci consentientes de naturæ contemplatione.

Gal. lib. de constit. art. med. cap. 13. φυσιολογικὴ non est inter minimas naturalis contemplationis partes recensenda, imò opus erit medicū in ea esse probè exercitatū. Et primo de elem. Naturalis scientia corpora quæ generantur ac intereunt, quæque

pror

prorſus ſunt expoſita tranſmutationi, contemplatur: quibus deinde ablatis pariter & medicina tollitur. Primùm quidem ob id, quòd ea ſit quaſi generationis & interitus miniſtra. Et Meth. tertio cap. quarto. Nihil poſſe medicum, inquit, de vlla ſimilarium partium agitare ſine naturali ſcientia. Et tertio Meth. cap. 7. In eiuſmodi ſermonis noſtri decurſu perſpicuum planè fit, tum ægri naturam eſſe conſiderandam, tum cuiuſque hominis eſſe propriam curationem, &c. Et in lib. quòd optimus ſit medicus & phyſicus. Hæc ars docet corporis noſſe naturam, tum eam quæ ex primis conſtat elementis, tum quæ conſtat ex ſecundis. De cæteris medicinæ partibus deinceps ſuis locis loquemur.

Quid ſit natura.

Natura philoſophicè ſumpta, eſt quæ deorum, hominum, ſyderum, plurimorúmque corporum eſſentiam, potentiam, viréſque complectitur.

Natura humana, eſt temperies, vel quædam facultas, qua animal regitur.

Loci conſentientes de Natura philoſophica.

Plato loquens de natura deorum, vim quandam eſſe dixit rationis atque ordinis participem, cuius ſolertiam, inquit Cice-

ro de natura deorum, nulla ars, nulla manus, nemo opifex consequi potest imitando. Galen. lib. finit medicin. de mente Platonis, Natura est vis, quæ ex seipsa mouetur, auctor formationis, generationis & perfectionis. Aristot. sec. physic. Natura est principium motus & quietis in quo est primò & per se.

Loci consentientes de Natura humana.

Galen. tert. de temper. & secun. Aphoris. comment. 34. Natura humana nihil aliud est, quàm ex primis quatuor elementis conflata temperies, vel facultas quædam vniuersi corporis rectrix. Et quin. de Sympto. caus. in principio. Natura est omnis illa facultas qua animal regitur, siue illa pendeat à voluntatis nostræ imperio, siue secus. Et sext. de Sympto. cau. capit. prim. Natura est aggregatio omnium virtutum, quæ totum corpus regit. Et lib. finit. medi. Nam est spiritus calidus, qui ex sese pro seminarii ratio nibus mouetur ac certis temporibus homi nes generat, perficit & conseruat.

Quot modis accipitur Natura.

Accipitur Natura quadrifariam: primò pro faculrate naturali, secundò pro consuetudine, tertiò pro temperie & cõpositione naturali, quartò pro naturali calore.

Loci

Loci consentientes ex vera Medicina.

Quòd pro naturali facultate natura accipiatur, hi sequentes loci attestantur Galen. quinto de Sympto. cau. capit. 2. Nam si morbus facultatem vicerit, id est naturam, membrum haudquaquam poterit transferre: si superior manserit facultas, id est natura, nihil eã impediet. Et paulò inferius, Natura facultates attollit & sustinet, id est, natura hoc efficit. Et quarto de vic. in mor. ac. Scire oportet naturam haudquaquam quiescere, sed interdum contentos humores ita aggredi, vt à bonis eos separet, &c. id est. Naturam esse facultatẽ qua boni humores retinentur, & praui reiiciuntur. Pro secundo, de consuetudine. Galen. 2. de tempe. Cõsuetudo est natura acquisita. & Hippocr. lib. de Aëre & aqua: item Auerrhois pri. phy. & Arist. in prædicamentis. Consuetudo est altera natura. Pro tertio, de temperie: Galen. 2. de temper. Hæc in nostra regione, quæ vtique est temperata, subiectarum partium naturã prodit, id est, temperiem demonstrat. Nam remperaturas iuxta regiones ibi consyderat. & Auicen. Humor & natura mutant animam, id est, humor & temperies. Pro compositione sic, & intelligitur de natura medicinarum. Vnde citatur poëta in libr. de natura humana,

ita

ita loquens,

Sic ait à Maia genitus medicamen & offert
Euuiſum terra, naturámque edocet eius.

Id eſt, compoſitionem eius explanat. Pro quarto, de naturali colore, Galen. libr. de tre. & pal. capit. 6. Natura & anima nihil aliud quàm calidum eſt, quod ſemper mobile eſt. Diſtinguit autem naturam ab ipſa anima primo de potentiis naturalibus dum dicit. Et motor in corpore aut eſt natura aut anima. Hîc pro calido intellige calorem innatum, qui teſte Gale. aphoriſm. pri. comment. 15. eſt facultatis nos gubernantis robur, & omnium naturalium operum cauſa.

Quid eſt elementum.

Elementum philoſophicè ſumptum ita deſcribitur, Elememtum dicitur id ex quo quidpiam primò componitur, & eſt in eo, in diuiſibiléque exiſtit ſpecie in aliam ſpeciem. Medicè ſic, Elementum eſt minima rei particula cuius eſt elementum.

Loci conſentientes de elemento philoſophico.

Ariſtot. 5. Meth. text. 4. στοιχεῖον λέγεται ἐξ οὗ σύγκειται πρῶτον ἐνυπάρχοντος ἀδιαιρέτου τῷ εἴδει εἰς ἕτερον εἶδος. Similiter in ſecundo de generatione à principio, & tertio cæli, & de ſenſu & ſenſato tex. 20.

Loci

Loci consentientes de elemento Medico.

Galen.8.de Plac. Hippo.& Plat. Nominatur vtique elementum,quodcunque minima sit pars illius rei,cuius fuerit elementum. Similis sententia est prim. elementorum capit. prim·item primo elementorum ad medium. Si elementum sit minima & simpliciſſima rei particula, atque hoc si sensu metiri oporteat, profectò os & similaria omnia erunt humanorum corporum elementa.Et Auic.pri.cau.capit.3. Elementa sunt corpora, & sunt primæ partes humani corporis & aliorum, quæ in partes diuersarum formarum diuidi minimè possunt. Intellige quatuor elementa sub ratione elementi hîc definiti : nam dixit, sunt corpora, vt primam materiam, facultates, & id genus alia excluderet.Dixit primæ partes, vt ne quis de humoribus membrísue simplicibus, vt caro, os, &c. quæ in componendo non sunt, prima intelligeret. Cætera in descriptione sunt nota.

Quot sunt elementa?

Vniuersalia elementa sunt quatuor à prima materia, vt Ignis, Aqua, Terra, Aer. Particularia erunt duo membra simplicia

&

& humores.

Loci consentientes de vniuersali elemento & de particulari.

Aristo. secundo de generatione probat per quatuor qualitates, esse quatuor elementa. Nam sicut sunt quatuor qualitates, vt calida, frigida, humida, sicca: ita erunt quatuor coniugationes, vt calidum cum humido, vnde aer: calidum cum sicco, vnde ignis: frigidum cum humido, vnde aqua: frigidun cum sicco, vnde terra. Probat etiam hæc esse quatuor per binas essentiales formas elementorum, quæ sunt grauitas & leuitas. Auicen. & Auerrho. similiter iisdem argumentis hoc probant. De particularibus elementis Galenus secundo elementorum. Hominis verò propria elementa sunt ipsę particulæ minimæ, quæ similares appellantur: de quibus (inquit) paulò pòst in dissectionum pertractationibus sermo erit. Et secundo element. in primo, Sanguis enim pituita & vtraque bilis sunt non modò generationis hominum, sed cæterorum animalium sanguine præditorum elementa. Probatur etiam tali ratione: Id esse elementum dicitur, quod est principium omnium corporis particularum: sed sanguis cum aliis humoribus in vtero matris est huiusmodi

modi. Igitur sanguis & cæteri humores erunt elementa.

Authores erronei dissentientes circa elementa.

1 Adserere elemẽta esse vnum, vt plerique philosophi.
2 Adserere, quas qualitates in summo in elementis dari.
3 Adserere, idem esse principium & elementum.
4 Adserere, elementorum doctrinam esse medico inutilem ac superfluam.

Confutatio dissentientium ex vera Medicina.

Confutat eos Galenus primo de elemen tis. Si vnum est, vel erit patibile, vel impatibile: non patibile, quia vnum quatenus vnum, non habet in quo transmutari, vel à quo pati possit: non impatibile, quia tunc id alteratione & sensu careret, igitur plura quàm vnũ. Aristo primo phys. cõtra hos inquit. Quicunque ens vnum esse pronuntiant, naturalis philosophiæ principia tollunt: unum maximè in physica contemplentur corpora, quæ generantur & intereunt, & transmutationi sunt exposita, quæ si auferantur, tum medicina tollitur. Ad secundum Aristotel. secundo de gene-

ratione inquit. Quòd ignis est magis calidus, quàm siccus: aer magis humidus, quàm calidus Igitur duæ qualitates non sunt in summo in elementis.

Obiectio.

Quomodo dicis hoc? nã Galenus quem tantopere sequeris, dari has qualitates in summo docet primo elementorum?

Responsio.

Quòd in igne sit summus calor & summa siccitas, verum est, vt Galenus asserit, si modò intellexeris in superlatiuo gradu has qualitates reponi nõ debere, sed quòd sint duę qualitates in summo, id est, simplices & sine vlla admixtione. Ad tertium, Galen. prim. de elementis, Principia sunt eiusdem generis cum iis quorũ sunt principia: sed elementa non sunt huiusmodi: igitur sunt diuersa. Quòd principia sint eiusdem generis, probatur ab ipso: nam simplex qualitas ita qualitatis compositæ, sicut simplex corpus corporis compositi est principium. Differunt etiam, quia elementum dicitur de causa materiali intrinseca: at principium de causa finali & efficiente extrinseca, vt Arist. 12. Meth. Quòd verò elemẽtum dicatur de causa materiali, probatur ex Arist. 8. Meta. dum inquit, Elemen

ad 3. m

tum

tum est materia,cuius est elementum.

Ad quartum:Quòd hæc doctrina elemẽtorum non sit inutilis,neque superflua, probatur à Galeno primo de elementis, tribus mediis. Primo, quia omne quod nostris corporibus offertur, non impermixtũ est, sed cum altero semper mixtum: Secundo, quia omnibus elementis,vt aqua,aere,terra,igne,semper vtimur:Tertio,quia hæ qualitates possunt omnẽ substantiam transmutare,vnde fit,vt si quid in qualitatibus modum excesserit,cõprimi indigeat,& si quid defluit restituatur:igitur nec inutilis,vel superflua.De elemẽtorum vtilitate lege vberius Auicennam capit.de elementis.

De temperaturis, & primo de earum descriptione.

Temperies, quæ à Græcis κράσεις dicuntur, duplices sunt, quarum altera qualitas est,quæ ex elementorum qualitatibus conficitur. Altera quæ ex mixtorum etiam inuicem actione & passione resultat.

Loci consentientes ex vera Medicina.

De vtraque loquutus est Auicen.pri. pri. capit.de complexionibus. Complexio est qualitas, quæ ex actione & passione diuersarum qualitatum in elementis inuẽtarũm

prouenit, quorum partes ad tantam paruitatem sunt redactæ, vt plurimum cuiusque earum, plurimum alterius contingat. Ac si dicat, Temperies est quoddam aggregatum, nõ ex actione & passione mixtorum, sed ex qualitatibus elementorum, vt res naturales & corporeas excludere. Nam dictum est etiam alibi ab ipso, quòd ex primis elementorum qualitatibus remissis, quædam media qualitas constituitur, quæ corporis mixti est propria qualitas. Vide fusius de his Arist. quart. Meth.

Quot sunt Temperaturæ.

Nouem sunt temperaturæ, octo inæquales, & vna æqualis: vnde inæqualium quatuor sunt simplices, vt calida, frigida, humida, & sicca: quatuor ex his compositæ, vt calida & humida, calida & sicca, frigida & humida, frigida & sicca. Aequalis est, qua corpus incolume cum moderatione quadã seruatur.

Leci consentientes ex vera Medicina.

Quòd nouem sint probatur ex Auicen. prim. pri. capitu. de complex. Tum inquit, postquàm de complexione temperata diximus, ad loquendum de distemperatis redeamus. Igitur datur temperata complexio. Quòd verò distemperatæ sint octo, paulò inferius dicta resumens, inquit, Vnaquæque

quæque autem harum octo complexionũ aut est cum materia, aut sine materia, &c. Galen.prim.de temper.cap.pri. Vnum igitur & primum id est,quòd temperatam naturam dicimus,quę tamen non virtute modò, sed etiam viribus reliquis præstat. Et pri.de tẽper.probat etiã quòd detur ista tẽperata natura, tali ratione, Caliditas stat cum excellenti siccitate.& cum excellenti humiditate,igitur cum medio inter eas. & sic datur natura media cõtra philosophos. Quòd verò sint nouem tẽperaturæ probatur rursus ex Gal.pri.de temper.cap.8.dum inquit.Et si quidem hæc sic se habent, sicut certè se habent,cur nouem dicere vniuersas temperamentorum differentias dubitemus,temperatam quidem vnam,non temperatas octo? Quarum quatuor simplices sint, calida, frigida, humida,sicca: quatuor cõpositæ,vt calida humida,&c. Quid verò sit temperies æqualis,Gal.pri.de temper.ca. 6.Aequalis siue tẽperata ea est,quæ ex contrariis æqua prorsus inter se portione coeuntibus constat.

Authores errones dissentientes circa temperamenta.

1 Adserere, cum antiquis, non esse nisi quatuor temperamentorũ coniugationes,duas humidas,& duas siccas,atq; has

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

à calore & frigore diuisas.

2 Adserere cum Auerrhoistis, simplices non dari temperaturas,

3 Adserere, temperatam naturam esse calidam & humidam.

4 Adserere, humiditatem non posse cum abundanti calore consistere, aut siccitatẽ cum vehementi frigore.

5 Adserere, temperiem & mixtionem esse idem.

Confutatio dissentientium ex vera Medicina.

Confutãt antiquorum opiniones loci superiùs citati de nouem temperaturis ex Auicen. & Gal. Confutat etiam eos Gal. 1. de temper. cap. 3. inquiens, quòd antiqui, quũ de sanitatis tuendæ victu inuestigant, calidius iusto corpus iubent refrigerare, vt omne exuberans æquẽt. Sed quomodo, inquit, hoc fieri potest, nisi temperatam quandam naturam cõstituant, ad quam sunt intenti? Quam si constituerint, tunc erunt quinque & non quatuor, &c.

Ad secundum: Auerrhois suis'met verbis vincitur, quum tertio collig. species octo morborum enumerat': inter quas quatuor simplices reponit. Erunt igitur per ipsum quatuor simplices à compositis separatæ. Gal. 1. de temper. c. 8. hãc etiam opinionem imp

improbat hoc modo, Cõcedis alteram esse temperiem humidã & calidam, & alteram siccam & calidam: si non, erit igitur necesse siccam esse, quæ calida est, quoniam & eam esse humidam licet: tunc igitur eam esse mediam licebit, & sic calida tantùm. Quod etiam de frigida & de aliis similiter est ratiocinandum. Igitur quatuor erunt simplices temperaturæ.

Ad tertium: Hipp. 3. Epidimion, Si totus, inquit, annus calidus & humidus fuerit, tũc necesse est quòd magna succedat pestilentia: igitur quod erit calidum & humidũ, nõ erit temperatum. Præterea Gal 1. de tẽper. cap. 4. ad hoc probandũ tali vtitur ratiocinio. Quod est putredini aptum, id est pessimum temperamentum: sed natura calida & humida est putredini apta: igitur erit pessima. vnde optimã esse concludit tẽperiem, quę in quatuor qualitatum mixtionis æqualitate consistit.

Ad quartum: Impugnat Gal. 1. de tempe. & omnis schola Medicorum, necnon & ipsa experiẽtia: nam aqua ex calore feruenti humida manet. Verũ num calida magis vel humida dicatur, ab eo quòd in mixtura pollet (inquit Galenus) appellatio sumitur, vt si maior erit portio humiditatis, quàm caliditatis, humida dicetur, &c.

Ad quintum: lege Arist. 2. de gener. capit. de mixtione, vbi omnes dicũt temperiem esse mixtionem, sed nõ extrá. Item mixtio significat motum, vnde cõplexio prouenit, & sic idem non sunt, &c.

Quot modis dicatur aliquid esse calidum vel frigidum.

Bifariam calidum dici potest, absolutè, & sic omnes qualitates absoluto sermone inueniuntur in elementis. Aut per collationem, & sic trifariã: aut per collationem ad medium: siue ad pondus, siue ad iustitiam, aut aut seipsum, aut ad exttaneũ medium. Ad iustitiam rursus duplici modo sumitur, scilicet secundum genus, vt animal in genere animalis dicitur calidum: vel secundum speciem, vt homo in specie hominis est temperatus. Calidum etiam dupliciter intelligitur, energia, quum id fit actu: vel potestate, quum id nondum sit, sed id fieri facilè possit.

Loci consentientes ex vera Medicina.

Galen. 1. de temper. cap. 6. Calidum dicitur per collationem: vel per absolutum sermonem, & hoc simpliciter: vel per mixtionem: vel secundum genus, vel secundum speciem, vt Animal in genere animalis est calidum: secundum speciem, vt bos, leo, can

canis. Vnde medium temperie in toto genere animalium homo est, mediũ temperie in hominum specie est, quem Græci εὔκρατον, id est, bene temperatum vocant, &c. Quòd verò detur temperies ad iustitiam, in hoc capite ad finem ita inquit Galenus, Temperies ad iustitiã est, quæ eo quod pro dignitate conuenit, æqualitatem explorat. Auicennas latiùs de his omnibus pertractat cap. de complexionibus.

De membrorum temperaturis.

Calidiora in corpore membra viciſſim ſe comitantia ſunt ſpiritus, cor, ſanguis, hepar, caro, muſculi, ſplen, renes, tunicæ arteriarum, venarúmque, & cutis.

Frigidiora ſunt, pituita, pili, os, cartilago, ligamentum, tendones, membranæ, nerui, nuca, cerebrum, adeps, pinguedo.

Humidiora ſunt, pituita, ſanguis, adeps, pinguedo, cerebrum, nuca, caro mamillaris teſtiúmque, pulmo, hepar, renes, muſculi, cutis.

Sicciora ſunt, pili, os, cartilago, ligamentum, tendones, membranæ, arteriæ, venæ, nerui motrices, cor, nerui ſenſus.

Loci conſentientes ex vera Medicina.

Galenus 1. de temper. capi. vlti. Cor, tum natura, tum omnium animalis particula-

rum maximè sanguineum, tum verò calidissimum, proximum illi iecur. Et sic ibi de singularum partium temperie membratim pertractat. Auic. pri. pri. cap. 2 de complex. hæc diffusiùs enarrat.

De notis temperaturarum in genere.

Cognoscuntur temperaturæ ex habitu totius corporis, ex operationibus, ex regione, ex colore, ex tactus tatione, & ex ætatibus.

Loci consentientes ex vera Medicinâ.

Galen. 2. de temper. capit. 4. Pinguiores omnes sunt frigidi, sicut mari fœmina: siquidem adeps ex habitus frigiditate gignitur. Corpulenti calidiores, quia carnis abundantia à multa sanguinis abundantia oritur. Mediocritas verò, quæ inter hæc reperitur, temperatæ naturæ est nota. Et sic ex habitu totius corporis cognoscuntur temperamenta. Auicen. prima. primi, cap de complexio. inuestigat etiam ipse notas temperamentorum, ibi, Fœminæ frigidiores secundum diuersitatem, &c.

Ex operationibus sic: Gale. 2 de temper. cap. 6. At vbi varia partium temperies est, ex vna earum pronunciare de toto corpore non licet, sed adeundæ singulæ sunt, æstimandúmque quo temperamento ventricu-

lus

lus, quo pulmo, quo cerebrum, ac reliquarum per se vnaquæque seorsum sit: atque hæc ex functionibus, &c. & 1. temperaturarum capit. 6. Optimè se habere aliquid pro sua natura ex ipsis functionibus intelligitur, quippe animal & stirpem optimè se habere dicimus, quum optimè suam functionem obeunt: igitur ex operationibus temperies agnoscitur.

Ex regione, Gale. 2. de temper. cap. 6. Pensitandus & continentium partium affectus est, quarum omniũ extrema cutis est. Sed corporis temperies in his regionibus, quæ à temperie recesserunt, inæqualis vitiatur, externis scilicet, & internis partibus non ad eundem modum se habentibus. Gallis enim & Germanis, & omni Thracio & Scythico generi frigida & humida cutis est: ideóque etiam mollis, alba, & pilis nuda. Aethiopibus verò & Arabibus, qui ad meridiem incolunt: nam cutis ex ambienti æstu, & naturali calore foras acto, vsta, dura, sicca, nigra redditur, toto corpore naturalis quidem caloris exiguam obtinente portionem, sed alieno atque ascititio incalescente. Hoc etiam probatur ex Auicenna capi. allegato, ibi, Septentrionales sunt humidiores, & similiter naturæ, &c.

Ex colore: Gal. de tuēda sanitate, Succorum

rum corporis color est certissima nota: nã rubeus,croceus,luteus, ac pallidus caliditatem demonstrant:liuẽs,plumbeus, albus, frigiditatem.Aetius ser 1.capitu.de viribus simpl.Amplius verò nihilo magis ex coloribus coniicere possumus de iisdem:in singulis enim coloribus inueniuntur & calida,& frigida,& sicca,& humida,&c.

Ex tactus ratione : Galenus secundo de temper.cap.3. Ergo calidi frigidique corporis solus tactus est iudex: humidi & sicci vna cum tactu ratio,&c. Et 2.de temper. capite secundo,Calidum quod in ætatibus cognoscere cupimus, primùm & maximè tactu iudicemus.

De notis temperaturæ optimæ.

Temperaturæ optmæ signa sunt, quum corpus neque densum,neq; rarum,neq; durum,neq; molle,neq; hirsutum,neque glabrum,sed medio quodam modo se habeat. De temperamẽto calido, frigido, humido, sicco in particulari nõ me extẽdam, neque de singulis partibus corporis loquendo. Nam Gal.in arte med.capi.52.& Aet.ser.4, cap.77.& Paul.Aegi.libro secundo, capite 63.vsque ad 73.Notato tamen quòd non ex temperie vnius particulæ tantùm est pronunciandum de toto corpore, sed singulæ partes per se considerandę sunt.

Loci

Loci consentientes ex vera Medicina.

Gale.1.de temper.cap.9. Quod omnium extremorum,calidi scilicet, frigidi, humidi,sicci medium est, quod in duritiæ mollitiæq; medio statu consistit, id corpus erit temperatum.Et in libr.de opt. corp. const. cap 4.Porrò corpus etiam quod conspicuè neque densum,neque rarum,neque durum neque molle,&c.optimè temperatũ est,&c. Vide etiam de his Aetium serm.4.capit.59. diffusiùs loquentem.

De ætatum temperaturis, & de earum descriptione.

Aetas siue αἰὼν, est spatium,in quo animal crescit,stat, decrescit, & manifestè declinat. Et diuiditur in quatuor partes, in adolescentiam, quæ est calida & humida: in iuuentutem, quæ est calida & sicca : in senectutem, quæ est frigida & sicca : & in vltimum senium, quod est frigidum & humidum.

Loci consentientes ex vera Medicina.

Quòd ita describatur ætas, habes ex Alberto Magno in lib.de senectute & iuuenture, dum inquit, Aetas est spatium temporis in viuente derelictum, in quo virtus vitæ secundum omnem suæ operationis

mod

modum perficitur. Galen. 4. de salub. diæta, textu 7. Aetatum temperamenta sunt quatuor, humida & calida puerorum, sicca & calida adultorum, sicca & frigida eorum, qui in ætate inclinata sunt, humida & frigida senum. Et Auicen. prima primi, capi. 3. de complexio. ætatum. Aetates omnes sunt quatuor: Aetas adolescentiæ quæ durat vsque ad trigesimum annum: ætas consistendi, quæ durat vsque ad 40. ætas minuendi, quum virtus non amittitur, quæ est vsque ad 60. annum: & ætas minuendi, quum manifesta virtutis imbecillitas est, quæ durat vsque ad finem vitæ.

Obiectio.

Plures videntur esse ætates quàm quatuor, siquidem Auicennas octo, Galenus & Hippocrates plures etiam enumerant.

Responsio.

Aetates in genere sunt quatuor, sed in specie plures. Nam Hippocrates, teste Galeno, aphor. 3. apho. 26 mentionem facit de recẽs natis pueruli: deinde de illis qui dẽtire incipiunt: deinceps de his qui mediam ætatem habent, quæ ad duodecimum & tertiumdecimum annum progreditur, & est ætas proximá pubertati. Nam pubertatis tempus incipit post quartũdecimum annum, & durat vsque ad vigesimumquintum

tum, teste Gal. comment. aphoris. 7. Adolescentia igitur comprehendit sub se infantiam, pueritiam, & pubertatem. Sic iuuentus ac senectus alias ætates sub se habent, quæ tandem ad capita redacta, in genere sunt quatuor. Possent etiam reduci ad duo capita vt philosophi, ad profectum scilicet & defectum: vel ad trinam diuisionem, si his addam statum: sed nos ad quaternam diuisionẽ ætates reduximus, eo quòd temperamenta sunt quatuor.

Authores errones d·ffentientes circa ætates.

1 Adserete, ætatem per quandam qualitatem describi debere, & non per quantitem.

2 Adserere, senium esse frigidum & humidum simpliciter.

3 Adserere, ætates posse prefiniri.

4 Adserere, in ætatibus fundari temperaturas, seu dicere, ętates temperatas vel distemperatas absque vllius subiecti intelligentia.

5 Adserere, ętatum doctrinã esse inutilẽ.

Co·f·tatio d ffent. ex vera Medicina.

Quòd non per qualitatem, probatur ratione: quia interrogatus, quotannis es re spõdetur per numerũ, vt biennis, triennis, quæ est quantitas discreta, non qualitas. Præterea ætas nihil aliud est, quàm distantia

tia à primordio vitæ vsque ad finem, quæ distantia quãtitate, non qualitate determinatur. Hanc tamen dico non esse veram definitionem, sed quandam descriptionem necessitate datam. Nam quod loco generis ponitur, non conuenit rei descriptæ.

Ad secundum: Gal. 2. de temperamentis capi. 2. Senum, inquit, temperies est frigidissima & siccissima, non autem humida. Quod probatur tali ratione ab ipso: Omne id siccum dicitur, quod nutrimentum intra se trahere non potest: Senum autem temperies ob excrementa superflua nutrimentum intra se trahere non potest: Igitur senum temperies erit sicca. Pro exemplo sint arbores: nam quoties seneſcunt, magis exiccantur. Et Auicen. prima primi, cap. de complex. ætatum inquit, Senes & decrepiti præter hoc quòd sunt frigidiores, adhuc etiam sunt sicciores.

Obiectio.

Dictum est superiùs ex Galeno temperiem senum esse frigidam & humidam. Quomodo nunc probas esse siccam?

Responsio

Galenus nõ iuxta propriam opinionem loquutus est, sed id de mente aliorum disseruisse voluit, sicuti vberiùs per totum illud commentum demonstratur.

Ad

Ad tertium: Gal. 3. prognosticorum comment. 28. Ob id igitur Hippocrates quandoque, inquit, trigesimum commemorat, sæpe etiam trigesimum quintum, quia aliæ aliis accidunt mutationes: fieri non potest, vt vna mensura firma, ac cunctis promiscua finiatur.

Ad quartum: Gal. 2. de tempera. cap. 2. Intelligamus, inquit, recèns formatum animal in vtero matris, quo sciamus, qua ratione humidissimum, calidissimúmque sit. Nam prima eius constitutio ex semine & sanguine est, quę humidę & calidę res sunt: igitur hîc de complexione subiecti, non autem de ipsa ætate calida & humida loquitur. Dicitur enim ætas calida & humida, prout est in corpore calido & humido. Posset probari hoc ex mille locis, sed tantùm hic locus ad probandum sat sit.

Ad quintum: Gal. 2. de temper. cap. 2. Verùm quum ad ea, quæ nunc sunt proposita, magis vrgeat ætatum consideratio, quæ etiam maximã nobis ad causarũ inuenticnem facultatem suggerit: huic nunc insistamus, &c. Ex quibus verbis doctrinã ætatum non inutilem esse nobis demonstrat.

Obiectio.

Quos putas esse calidiores, puerulos an iuuenes?

Responsio.

In calore tria considerantur, quantitas scilicet natiuæ humiditatis & sanguinis influentis: qualitas, id est ipsa caliditas, & fomes ipsius caliditatis, quæ est caloris essentia. Dico igitur, si iuxta humiditatem natiuam quantitas caloris consideretur, quòd pueruli sunt iuuenibus calidiores: at si iuxta sanguinem influentem, quòd iuuenes sunt puerulis calidiores, quia sanguine magis abundant. Sic etiã Gal. 3. de temper. cap. 4. considerat in calore qualitatem & substantiam, quem legere poteris. Aduerte tamen has diuisiones, quoniam omne dubium remouere circa hæc poteris.

De Humorum definitione & diuisione.

Quoniam humores ex primis elementis orti, sunt causa generationis & corruptionis hominum, idcirco duplicem etiam definitionem sortiuntur, vniuersalem scilicet & particularem. Vniuersaliter sic; Humores sunt copora, quæ ex primâ ciborum mixtione generantur. Particulariter sic, Humor est corpus humidum currens, quod ad membra conuertitur. Generantur humores ex alimento, quod ab innato calore alteratur.

Loci

Loci consentientes ex vera Medicina.

Gal.2 de element. Quatuor humores ex primis elementis ortos constat, materiámque esse generationis hominis, causámque esse corruptionis omnimodam, si quid in generatione animalis deesset: quoniam vno quidem deficiente humore, totum animal interit ac deperditur. Auic. primâ.1.cap. de membris, Membra sunt corpora, quæ ex prima humorum commixtione generantur: quemadmodum humores sunt corpora, quę ex prima ciborum commixtione generantur. Et cap. de humoribus, Humor est corpus humidum, fluidum, liquidum, in quod in primis nutriens conuertitur. Ac si diceret, est corpus humidum, id est, actu fluens, id est, substãtia fluida. Nam aliquid esse humidum dupliciter intelligitur, natura vel substantia. Nam quædam res dicuntur in substantia humidæ, quæ naturâ & potestate sunt siccæ, & sic econuerso: quædam verò vtroque modo, tam natura, quàm substãtia humidæ dicuntur. Idcirco dixit humidum, fluidum. Gal. aphor. 5. aphor. 39. Superfluũ id quod ex alimento relinquitur, humor existit naturæ partis similis. Et secundo de facult. naturalibus cap. 8 Demonstratum est inquit, alimentum, dum in venis ab innato

calore alteratur, sanguinem quidem ex mediocri calore fieri, reliquos vero succos ex eodem, modum non seruante. Et sic habes quomodo generentur humores.

De alia diuisione de his qui nutriunt humoribus.

Ex his qui nutriunt humoribus, quędam sunt primæ & secundæ humiditates, quarum primæ sunt humores. Secundæ rursus bipartiuntur: nam quædam sunt superfluæ, quædam non. Non superfluæ erunt, quæ à principali dispositione conuersæ, ad membra relegantur: & iuxta Auicennę placitum erunt quatuor, scilicet, nomen non habens, ros, cambium, gluten. Humorum vero à quibus hæ humiditates proueniunt, sunt quatuor genera, vt genus sanguinis, pituitæ, bilis, melancholiæ.

Loci consentientes ex vera Medicina.

Auicenna prima primi cap. de humi. Humiditates quædam sunt primæ, quędam secundæ. Primæ sunt quatuor humores. Secundæ vero, quæ non sunt superfluitates, sunt humores, qui à dispositione principali conuersi, ad membra relegantur: & sunt, nomen non habens, ros, cambium, gluten. Et Gal. 10 Meth. ad finem, loquens de hectica, de his mentionem facit, primam vocans

vocans natiuam humiditatem:alteram,nomen non habens:similiter de different.feb. Et Auic. prima quarti & dicitur 12. de animalibus. De his etiam vide de hectica. Quòd vero humorum genera sint quatuor probatur ex Gal.2.de element.dum inquit, Conabor ea explicare, vnde adductus est Hippoc. vt sentiret, humores quatuor materiam esse generando homini.Et lib.finit. Med. Humores quatuor sunt,ex quibus animal consistit, sanguis,pituita, & duæ biles,flaua scilicet, & atra: & sic sunt quatuor humorum genera.

De humoribus in particulari,& primò de sanguine.

Αἷμα, id est sanguis, humor est calidus & humidus, ex ipsius chyli temperatiori parte progrediens:quia naturalis est & non naturalis. Naturalis, qui mediocri substantia,rubido colore, malo carens odore, sapore dulci, mitis ac benignus existit. Non naturalis, qui ab isto degenerat, & hoc bifariam, vel sui, vel alterius ratione. Ratione sui, dum mutatur propria substantia: & hoc dupliciter, vel quia nimis crassa,aut nimis tenuis: vel quia aduritur, & sic pars tenuior in flauam bilem vertitur: crassior in atram ratione alterius, quum alius humor illi permiscetur, & tunc va-

rio modo hoc contingere poteſt, prout variæ bilis ſpecies & pituitæ & melancholiæ ſanguini admiſcentur. Locus in quo conſiſtit, eſt hepar: in quo perficitur, cor: in quod influit, venæ & arteriæ.

Loci conſentientes ex vera Medicina.

Quòd ſit calidus & humidus, probatur ex Gal. 2. de morb. cau. cap. 4. quum dicat nempe, quòd flaua bilis poteſtate calida eſt & ſicca, atra verò ſicca & frigida: ſanguis calidus & humidus, pituita frigida & humida. Et primo de naturalibus facul. cap. 9. idem aſſerit. Auicen. prima primi cap. de humor. Sanguis verò natura calidus & humidus exiſtit, cuius duæ ſunt ſpecies, naturalis & non naturalis, &c. Gal. lib. de atra bile cap. 2. Igitur magna ex parte rubeus color in hoc humore exuperat, & talis exactè optimus ſanguis exiſtit. Et paulò inferius, Sanguis maiori ex parte dulcis appareat. Et ſecundo de temperam. cap. 3. Succorum optimus, & maximè proprius ac domeſticus, ſanguis eſt: igitur à temperatiori parte progreditur. Et ſecundo de facult. naturali cap. 8. Sanguis fit à mediocri calore, bilis ab immodico. Igitur ſanguis à parte temperata oritur. Et hæc de naturali ſanguine. De non naturali, dum mu-

tatur

tatur propria ſubſtantia, vt pars tenuior in bilem, habes ex Gale. 2. de differ. feb cap. 9. vbi inquit, Pars ſanguinis ſubtilior ac pinguior omnino in flauam conuertitur bilem: quæ autem craſſior, in atram. Itidem ait 2 de criſ. cap. 12. Quod verò ſanguini alius humor miſceatur, habes ex Gale. lib. de plenit. ad medium, Quum tumor, inquit, præter naturam, ad quancunque ſubſtantiam pertinere poſſit, ſiue is ſyncerus ſanguis ſit, ſiue bilioſus, ſiue ſeroſus, ſiue pituitoſus, &c. Id eſt, quum bilis aut pituita ſanguini miſcetur. De loco ſanguinis, Gale. 1. de temper. cap. vlt. Sanguis ipſe à corde ſuum accipit calorem. Et 6. de plac. Hip. & Plat. At qui in dextro ſinu continetur ſangũis, eandem ſpeciem haber, quam omnis alius, & is qui in iecore habetur, &c. Híc etiam ab ipſo probatur, cor & iecur eſſe ſedem ſanguinis, ipſũmque iecur vniuerſam ſanguinis ſpeciem abſoluere: & quòd ſanguis humidi temperamento, rubri colore, cuius ſanè in iecore eſt prima genę ratio. Riui autẽ & venę id toti corpori traducũt diſtribuúntq;. At ſanguinis flaui, tenuis, ſpumoſi, prima in ſiniſtro cordis ſinu eſt origo: verùm talem arteriæ diſpenſant, & in totum corpus deducunt, &c. Vide de his etiam Gal. de facul. natural. diffuſius.

De pituitæ diuisione & descriptione.

Φλέγμα, id est, pituita. duplex est, naturalis & non naturalis. Naturalis est, humor frigidus, humidus, substantia crudus, colore ad albedinem, sapore interdum dulci, quandoque omnis qualitatis expers. Non naturalis est qui à sui natura degenerat: & hoc bifariam efficitur, per se scilicet, & per admixtionẽ. Per se, quum à propria substantia egreditur: nam in substantiam aquosam vel flatuosam vel admodum tenuem conuertitur, vnde pituita aquosa, flatuosa, & tenuis dicitur. Si verò crassior ac viscosior reddatur, tunc pituita erit crassa, viscosa, & mucilaginosa. Quæ si magis indurescat, gypsea & vitrea dicetur pituita: quæ si vltrà putrescat & alteretur, fiet salsa, vitrosa, & corrosiua. Per admixtionem, quum illi alius misceatur humor: nam sanguine admixto dulcis efficitur: flaua bile, salsa: melancholia, pontica, acida.

Loci consentientes ex vera Medicina.

Auic. prima primi, cap de humor. Phlegmatis aliud naturale, aliud non naturale. Naturale est, quod aptum est in aliquo tempore fieri sanguis, quoniam est sanguis nõ plenè

plenè concoctus. Vnde Arist. 6 Topic. inquit, phlegma esse primum indigestorum à cibis proueniens. Gale. 2. de diff. feb. cap. 6. Quicunque humor in corpore frigidus atque humidus fuerit, hunc nos pituitam appellamus: & sic erit humor frigidus & humidus. Et de atra bile cap. 2. Apparet pituita omnis qualitatis expers, veluti aqua. Verùm naturali qualitate mutata, non modò salsa, sed acida etiam fit, quin & nõ ratò dulcem qualitatem acquirit. Hunc itaque humorem qualiscũque fuerit, pituitam appellãt, si modò albus extiterit. Et 2. de diff. feb. cap. 6. Alia est pituitæ species, quam pleriq; cum sereatu expuunt, sensibilem habẽs dulcedinem, &c. Auic. prima primi, cap. allegato, octo species phlegmatis non naturalis enumerat, vt videre poteris.

Obiectio.

Quomodo octo enumerat, quum iuxta Gal. sententiam ad summum tres tantùm sint, vt salsa, dulcis, acida?

Responsio.

Certum est Galenũ non nisi tres enumerasse differentias pituitæ, vt 2. de diff. feb. cap. 6. Item 3. de loc. aff. cap. 7. Veruntamen pituitam possumus dupliciter considerare, vel in ratione saporis, vel in ratione suæ substantiæ. Si ratione saporis, tunc

erunt tres differentiæ, vt salsa, dulcis, acida: quanquam & insipida addi posset: sed ratione substantiæ erunt etiam quatuor, quæ primis copulatæ, erunt octo. Quod Galenus etiam non negaret: nam in lib. de plenit. ad finem, humorem crudum inter pituitæ species esse reponendum ait, qui crassior ac minus flatuosus est, &c. Præterea 14. Metap. cap. 17. dixit euacuationem bilis esse facilẽ, sed pituitæ crassioris & glutinosioris esse difficilem. Ergo datur pituita crassa, quæ & mucilaginosa esse potest. Rursus 3. de loc. aff. cap. 7. mentionem facit de vitrea à porracea appellata. Item de aquosa, quæ nulla qualitate infecta, dici potest insipida: & sic ratione substantiæ erunt aliæ species. Item 3. de loc. aff. cap. citato, atram bilem differre facit, ob substãtiæ varietatem. Igitur à simili pituita etiam in substantia variabit.

Obiectio.

Quomodo concordabis Auicennã Galeno in iis admixtionibus? Nam Galenus salsam fieri pituitam asserit, aut propter putredinem, aut propter salsæ seroſæ humiditatis miscellam: Auicennas verò ex miscela bilis cum pituita.

Responsio.

Quòd fiat propter putredinem, vt dixit Gal.

Gal. 2 de different. feb. cap. 6. etiam Auic. concedit, inquiens, Et nos quidem dicimus putredinem ipsum phlegma salsum efficere, ideo quòd in ipso aduſtionem facit, &c. Nec in humiditate seroſa distat à Galeno. nam ipse, Sola, inquit, aquoſitas non facit salsum, quod verum est. Sed Galenus non solam, sed salsam & seroſam dixit, quòd Auicennas non negasset. Quòd verò à bilis miscella fiat phlegma salsum, verum. Nam Arist. in lib. de sen. & sensa & 2. Meth. salsum saporem affirmat esse eiusdem speciei cum amaro: nam terreæ partes aduſtæ, & amari saporis, si insipidæ humiditati æqualiter misceantur, fit salsedo: si verò humiditatem superet amaritudo. Quare cùm bilis amara quidem natura ac sicca sit, & pituitæ misceatur, fieri potest, vt inde pituita salsa euadat.

De bilis definitione & diuisione.

Χολὴ, id est bilis, est humor calidus & siccus, ex tenuiori & calidiori parte chyli, vel ex sanguine tenui & ferueſcente proueniens. Hæc duplex est naturalis & non naturalis. Naturalis, est humor calidus & siccus potestate, subſtãtia tenui, flauo colore, aut rubro ad flauitiem declinãte, sapore amaro. Non naturalis est quæ à iam dicta degene

degenerat: & hoc dupliciter, per se, & per admixtionem. Per se adhuc bifariam, quum putrescit & aduritur, & tunc dicitur adusta per putredinem. Altero modo, quum non naturalis, vitellina dicta, colore quodam igneo, in hepate, aut ventriculo, aut in venis concoquitur, & tunc fit porracea, quæ & prassina dicitur & æruginosa. Per admixtionem nõ naturalis efficitur, quum illi alius humor admiscetur, & hoc multifariam. Nam si phlegma tenue & aquosum admiscetur, citrina siue crocea efficitur: si crassum & viscosum, vitellina: si adusta melancholia, fit bilis adusta, & sic erunt sex species.

Loci consentientes ex vera Medicina.

Quòd bilis sit calida & sicca potestate, probatur ex Gal. 2. de natu. fac. cap. 9. Bilis, inquit, flaua, calida & sicca est, quantumuis sit ab aspectu humida. Quòd verò sint sex bilis species, habes ex Gal. lib. de atra bile cap. 2. vbi inquit, Bilis enim flaua fit pallida ex serosa & tenui humiditate, quæ vbi resoluitur, λεκυθώδης, id est vitellina appellatur. Est & bilis, inquit ipse, πρασοειδης, id est porracea: alia ἰώδης, id est ærugínea: alia ἰσατιδώδης, id est glauca: alia rubra, sanguini tenuiori proxima: & sic erunt

erunt sex species. Auic. prima primi, cap. de humor. hanc totam diuisionem habet: lege eum vberius.

De melancholiæ diffinitione & diuisione.

Melancholia duplex, naturalis & non naturalis. Naturalis est boni sanguinis fæx, ac veluti limosa quædam superfluitas, siue crassior quidam sanguis, cuius color niger est, sapor verò acerbus vel acidus, in massa sanguinaria existens, ad alendas partes melancholicas progenitus. Non naturalis, qui à naturali degenerat, definitúrque in vniuersum, quòd sit humor frigidus & siccus, ex crassiori portione chyli prouenies, cuius species sunt quatuor. Prima quum melancholicus humor, naturalis dictus, in sua propria substantia aduritur & putrescit, fitque bilis exquisitè nigra, quæ acida est, & in terram effusa velut acetum feruet, & terram attolit. Secunda est bilis atra ex adustione aliorum humorum. Quæ enim fit ex flaua bile vehementer adusta, non aliter ac exquisitè atra terram radit ac attollit. Tertia species melancholię non naturalis est, quæ à lapidosa concretione oritur. Quarta species, quum alius humor ipsi melãcholiæ naturali permiscetur, dumque hoc fit, dulcoratur & mitescit, modo neutra

tra bilis aduſta admiſceatur: quia tunc vel aceſcit, vel amareſcit, & eroſionis fit particeps.

Loci conſentientes ex vera Medicina.

Gal.2.de temper.cap.3. Sanguis optimus ſuccorũ ac proprius, huius veluti ſedimentum ac fæx atra bilis eſt: quæ idcirco tum frigidior, tum craſſior ſanguine eſt, ſicuti flaua bilis longè calidior. Et 3. Prognoſt. comment.29. Atræ bilis generatio duplex, altera à ſanguine craſſiore, qui proportione in venis ſubſidenti in dolio vini fæculæ reſpondet. Altera à flaua bile vehementer aſſata, quæ atra bilis alioqui malefica eſt, ac derodit partes, in quibus abundè collecta eſt. Altera mitior quàm hæc eſt, maximè quoties nondum traxit in animali moram cum aliquo calore abundanti præter naturam Et.3 de loc.aff.cap.7. Melancholicos, inquit, eſſe, in quibus ſiccitas & frigiditas dominatur. Et paulò inferius, Atra bilis ob ſubſtantiæ varietatem non obſcuras habet differentias: nam alia eſt veluti fæx ſanguinis quæ admodum ſpiſſa, & fæcibus vini non abſimilis: alia verò, quàm ſuperior, eſſentię eſt multò tenuioris, atque vomentibus cauſa, & olfacientibus acida videtur: quæ etiam terram radit, attollit & fermen

fermentat. Sed ea, quam crassę fęci similem esse dixi, in terram effusa non inducit feruorem, nisi fortè in ardente febre ipsam præassari contingat. Hanc nominare consueui succum melancholicum aut sanguinem melancholicum. Vide etiam de his plura iuxta Gal. de atra bile cap. 2. & 3. de naturalib. facul. cap. 9. ad finem. Auic. prima primi. cap. de humor. Cholerę nigrę alia naturalis, alia non naturalis. Naturalis est boni sanguinis fęx & turbulentia, & superfluitas in comparatione ad sanguinem. Melancholia non naturalis, non est ad modum hypostasis & fęcis, imò est ad modum adustionis & cinereitatis: & tũc est multiplex, vel est phlegmatis, vel cholerę, vel sanguinis vel melancholię cinis: & sic erũt quinque species.

Obiectio.

Quomodo dici potest cinis phlegmatis, quum Manardus dicat non posse ex pituita tantam assationem fieri vt nigra euadat?

Responsio.

Dico, quòd pituita, si aduritur, melancholia in qualitate, si non; in colore fieri potest.

Obiectio.

Quid est frigidius, pituita an atra bilis?

Respo-

Responsio.

Si considerentur iuxta earum essentiam, frigidior est pituita: si verò iuxta earum impressionem, atra bilis, quia pituita est densior.

Authores erronei dissentientes circa humores.

1 Adserere cum Aristotele, solum sanguinem nutrire, & cæteros humores esse superfluitates.

2 Adserere, humorem naturalem esse malum, quum nutrire non possit.

3 Adserere, sanguinem dari ab aliis humoribus in aggregatione distinctum.

4 Adserere, virium robur sequi ad sanguinis copiam, & ad eius paucitatem minui.

5 Adserere, non dari quartam temperiem in succis, quæ est frigida & sicca.

6 Adserere, humorum generationem esse reciprocã, ita vt ex sanguine fiat pituita.

7 Adserere, humorum cognitionem esse inutilem cum Erasistrato.

Confutatio dissentientium circa humores.

Confutat primum Gal. 3. de temper. cap. 2. dum inquit. Omne animal conueniente sibi nutritur alimẽto. Cõueniens cuiq; alimentũ est, quicquid assimilari potest corpori, quod nutritur. Et primo de natu. fac.

cap.

cap.2.Nutritio est ad id quod nutritur eius quod neutrit assimilatio.Igitur melancholica membra, melancholia: pituitosa ipsa pituita in nutritione indigebūt. & sic solus sanguis non nutrit. Auic. prima primi cap. de humor.Qui solum sanguinem dicit nutrire, mentitur: si enim solus sanguis esset humor qui membra nutrit, omnia in suis complexionibus & essentiis similia forent, &c.Igitur solus sanguis non nutrit.

Secundum,probatur tali ratione,Humor malus potest nutrire,ergo bonus & naturalis.Quod malus nutrire possit probatur quia ad benignum potest reduci.

Ad tertium: Gal.lib. de plenit,ad finem, Nam neq; fieri alioqui potest,vt adeò syncerus in venis reperiatur sanguis, quin illi aliquid aut bilis aut pituitæ aut seroſi humoris permixtum sit: siquidem syncerus ab alio humore sanguis & impermixtus inueniri nusquam habetur. Et lib.de atra bile cap.5. Quod igitur in venis & in arteriis humores omnes vnà cum sanguine continentur,ostēdit ipsius varietas tum in colore,tum in consistentia, &c. Probatur & ex Hippocrat.lib.de natura humana, quē citat hoc in loco Galenus.Igitur sanguis ab aliis humoribus non distinguitur.

Ad quartum: Auic. prima primi, cap.de

humor. Sunt quidam, inquit, qui opinantur, corporis virtutem sequi ad sanguinis multitudinẽ, & ipsius debilitatẽ sequi eius paucitatem, sed non est ita. Quod verò attenditur, est dispositio eius quãtitatis, quæ de eo corpus ingreditur.

Ad quintum: Gal 2. de natural. fac cap. 9. contra Erasistratũ probat authoritate medicorum & philosophorum, qui humores quatuor anni tẽporibus cõpararunt. Vnde inquit, sicut quatuor sunt anni tempora, ita quatuor erunt humorum temperaturę. Præterea sicut dantur morbi frigidi & sicci, ita in humoribus quarta temperies, quæ est frigida & sicca.

Ad sextum: Gal. 2. de vic. in mor. ac. commẽt. 31. Pituita processu temporis coquitur, & sanguis efficitur. Sed nec flaua bilis, nec atra in sanguinis substantiam redeunt: igitur eorũ generatio non erit reciproca. Vel tali ratione, Frigidum à calido fieri non potest, regulatis à natura humoribus: igitur nec à sanguine fiet pituita, & sic nõ erit reciproca generatio.

Ad septimum: Gal. 2. de nat. fac. cap. 8. Nunquid quæso quẽadmodum cibi cõcoquuntur in vẽtre est vtile sciuisse, ita nónne paris momẽti est, vel sanguinẽ bonum gigni, vel nutrimentũ in ventre probè in chylum

chylum verti? Et paulò inferius. Nónne generãdæ hydropis causa ex sanguificationis defectu prouenit, sicuti ex ciborũ coctionis defectu diarrhœa? Ac si diceret, Quomodo hæc capi possunt, nisi humorũ cognitionẽ contemplatus fueris, &c? Et sic humorũ cognitio non erit inutilis.

De diuisione membrorum in genere.

Membrorũ alia sunt homœomera; id est similaria, alia organica, id est instrumentaria. Homœomera dicũtur, quæ cõmunicant cũ suis partibus in nomine & ratione, vt os caro. Organica verò sunt, quorũ nulla pars nec in nomine, nec in ratione cum toto cõmunicat, quum manus, siue capitis pars, nec manus sit nec caput, quæ diuisio à naturali operatione sumitur. Naturalis enim operatio his tribus perficitur, scilicet tẽperie, compositione & vnitate: quarum tẽperies simplicibus membris attribuitur, cõpositio instrumẽtariis, & horũ vtrisq; vnitas. Compositorum igitur quædá sunt principalia: quorum vnum ad speciẽ conseruandam, vt testiculi, reliqua ad individuum seruandum attribuũtur. His seruiunt, vt cerebro nerui, cordi arteriæ, hepati venæ, testiculis vasa spermatica; ab his quoque tanquam à principio dependẽt, stomachus, renes, intestina,

omnéique muſculi, quæ præter proprias virtutes ſenſu & vita cum voluntario motu fruuntur.

Loci conſentientes ex vera Medicina.

Gal. de conſti. ar. med. cap. 4. Nimirum quum corpora, quæ ſimilaria appellantur, ex diſſectione apprehenderimus, compoſitorum pariter membrorum, quę inſtrumẽtaria nõnunquam nominare ſolemus, ſciẽtiam aſſequemur: & ſic duplicia ſunt membra, ſimplicia & compoſita. Auic. prima primi, cap. de memb. Membrorum alia ſunt ſimplicia, alia cõpoſita. Simplicia ſunt, quorum quancumque ſenſibilem partem aſſumpſeris, in nomine & definitione erit toti cõmunicans. Compoſita ſunt illa, quorum quãcunque partem acceperis, in nomine & definitione cõmunicans non erit, ſicut manus & facies. Gal. in lib. art. med. cap. 9. Vniuerſæ partium differentiæ ſunt quatuor, nonnullæ earum principia, aliquæ ab his originem habent, aliquæ nec aliarum gubernationi præſunt, neque aliunde gubernantur, quum inſitas habeant à natura potentias, à quibus reguntur: quædã ſunt quæ inſitas ſimul & aliunde emanantes habent. Principia igitur ſunt cerebrum, cor, hepar, teſticuli: ab his oriuntur & ſubminiſtrant

nerui

nerui & ſpinalis medulla cerebro, cordi arteriæ, hepati venæ, teſticulis vaſa ſeminaria. Et cap. 8. art. med. Vitiorum genera eadem ſunt his, quæ virtutẽ perficiunt. Temperies quidem in conſimilibus, numerus, formatio, magnitudo & ſitus in inſtrumentariis, vtriſque verò communis vnitas. Et de tot. morb. tem. cap. 7. Tria facultatum totum corpus gubernantium principia ſunt, cor, hepar, cerebrum, ex quibus oriuntur nerui, venę, arterię. Hi & ſimiles loci ea quę dicta ſunt probant.

De facult. naturalibus & de earum definitione.

Potentia ſiue facultas eſt cuiuſuis operis & actionis cauſa: & hæc, duplex, ἐνεργείᾳ, id eſt actu, altera poteſtate. Hęc potentia ſiue facultas etiam dicitur virtus, & tunc quadrifariam deſcribi poteſt. Primò, quòd virtus ſit habitus, penes quem aliquis dicitur bonus. Secundò, quòd ſit quædã actiua qualitaș, ſicut dicimus elementa habere quatuor virtutes, id eſt quatuor qualitates, ſcilicet calidas, frig. &c. Tertiò deſcribitur, quòd virtus ſit quędam forma ſpecifica, ſicut dicimus, Eupatorium habere virtutem ad iecoris morbos. Quartò deſcribitur, quòd virtus ſit animę facultas, qua ſuas

peragit operationes.

Loci consentientes ex vera medicina.

Arist.2. Ethic. Virtus est dispositio quædam animę, per quam inter duo extrema tenemus medium: & hęc spectat ad moralem philosophum. Gal.1.de cau. pulsuum, loquens de generibus pulsuū, inquit, Quando essentia incognita nobis est, hoc nomine facultatis eā appellamus. Alicuius enim est facultas, & eius notio est relationi subiecta. At si diceret, eam facultatem dici de omnibus, ad quæ referri potest, & sic de habitu & de qualitate actiua dicitur. Gal.1.de fac.simp.cap.1. Facultas, causa quæ est effectrix, eaque partim actu, vt calefaciendi in igne: partim in futuro tempore, vt calefaciendi pyretro. vel sic in animalibus describitur: Virtus siue facultas est, animæ potentia mēbris essentialiter attributa, ad suas operationes peragendas.

De facultatum alia diuisione.

Facultas etiam triplex est, naturalis, vitalis, & animalis: triplex inquam in ratione, non in substantia. Nam sicut in citro color, odor, & sapor inueniuntur diuersi in ratione, iidem in substantia: ita in his facultatibus, naturalis locatur in hepate, & est facultas, quę nutriens in simi-

litudi

litudinem nutriti transmutat. Hæc duo præsupponit, generationem scilicet & auctionem: nam generatio ita alterationem & formationem, sicuti auctrix habet alteratricem & nutricē auxiliatrices. Auctrix facultas est potentia, qua corpus in omnē dimensionem augetur, vsque ad augmenti finem: vocatur ab Auicenna Crescitiua. Naturalis siue nutrix facultas similiter agglutinationem & appositionem præsupponit. Assimilatio, quæ in nutrice reponitur, quatuor has facultates supponit, attractricem scilicet, retentricem, alteratricem siue concoctricem, & expultricem. Facultas vitalis siue animosa est quæ viuificat, & locatur in corde à quo procedit vita, ad singula corporis membra viuificanda. Facultas animalis est potentia ipsius animæ, in cerebro locata, quæ in motricem & sensibilem, aut in quaternas cerebri facultates diuiditur, quæ sunt, sensus communis, imaginatrix, ratiocinatrix, quam cogitatiuam etiam dicunt, & memoratrix. Sensus communis est, qui solus omnium aliorum sensuum sensata percipit. Imaginatrix, quam Græci φανταστικὴν vocant dicta, est, eo quod inde nobis visa proueniant. Ratiocinatrix est quæ reuocat species sub sensum ad iudiciū, atque rerum imagines de potentia abstra-

hit. Memoratrix est quæ omne quod à cæteris facultatibus elaboratum est & receptum, veluti tutrix conseruat & fouet.

Loci consentientes ex vera Medicina.

Gal. 9. meth. cap. 10. Gubernant animal tres diuersi inter se generis facultates, toti corpori ex suo veluti fonte quæque distributæ (eas Plato vocat animas.) Est enim earum quædam ad nutriendum animal necessaria, ac cum stirpibus communis, quæ iecur pro fonte habet: hanc appetitricem, seu naturalem, seu altricem appellare licet, sicuti & animam aut facultatem. Altera est, quæ non modò vt stirpibus aut vita præditis, sed etiam vt animalibus est anima inest: hæc in corde collocatur, ceu insiti caloris fonte. Tertia anima ratiocinatrix in cerebro domiciliũ habet, ea volũtariis actionibus vnà cum sensibus præsidet.

Loci de virtute nutrice.

Aristo. 2. de anima, Virtus nutritiua est potentia saluare suscipiens ipsum secundùm quod est eius. Gale. 1. de naturalibus fac. cap. 12. At quòd necesse sit nutritionem esse assimilationẽ nutrientis ei quod nutritur, dare liquet. Auicen. prima primi cap. de virtute. Virtus nutritiua est illa, quæ nutriens in nutriti similitudinem conuertit,

uertit, ideo vt per ipsum restaurationem eius recuperet, quod dissolutũ fuit. Quòd primùm in naturæ operibus sit generatio, probatur ex Galen. 1. de fac. nat. cap. 5. Generatio simplex quędam actio naturæ non est, sed ex formatione alterationéque composita. Et cap. 8. Vbi animal magnitudinem perfectam adeptum est, vsque ad ætatis vigorem nutrix virtus dominatur, cui auxiliatrices & ministræ sunt alteratrix & nutrix. Et cap. 11. Ad hoc vt fiat nutritio siue adhærentia præcedat oportet: sicuti etiam vt illa fiat appositio. Exemplum habes de vitiligine, quæ nutrimenti est adhærentia, sed non est assimilatio.

Loci de quatuor facultatis nutritiuæ ministeriis.

Auic. prima primi cap. de virtute minist. Virtuti nutritiuæ ministrantes sunt quatuor virtutes, attractiua, retentiua, digestiua, & expulsiua. Quæ vero sit vnaquæque, poteris ab ipso edisscere. Gale. 3. de tempe. cap. 1. Quatuor nimirum dicimus totius corporis proprias facultates esse, attractricem, alteratricem, retentricem, & quartam quæ alieni sit segregatrix, easdemque facultates effectus esse totius in quouis corpore substantiæ, &c.

Loci de virtute auctrice.

Arist.2. de anima, Virtus augmentatiua est virtus factiua quanti. Gal.1.de fac. nat. cap.7. Auctio est solius naturæ opus, vt corpus quod continuitatem suam & speciem, quam prius habuit, vniuersam seruet, in omnem partem extendere: quæ sine nutrimento affluente adhærētéque fieri nequit. Auic.prima primi, cap.de virt. minist. Virtus augmentatiua est virtus, quæ addit in diametris totius corporis secundum proportionalitatem, quousque corpus ad augmenti finem perducatur per illud, quod ipsum ingreditur ex nutrimento. Itidem ait in sexto de naturalibus.

Loci de facultate vitali.

Gale.5.de locis affe.cap.1. Cor innati caloris veluti fontem esse, neque animal mori posse, nisi cor afficiatur, iam declaratum est. Igitur cor est membrum viuificans. Auic.prima primi, cap.allegato, Virtus vitalis est, quæ cum recepta fuerit in membris, præparat ea ad recipiendum virtutem sensus & motus, & operationes vitę, &c.

Loci de facultate animali.

Gal.5.de loc.aff.cap.1. Ostensum est, sensum & motum vniuersis corporis partibus à cerebro suppeditari, &c. Et tertio de loc. aff.cap.7. Rationi consonum videbatur,

anim-

animam in cerebri corpore ſedem obtinere, atque in ipſo & rationis vim & ſenſibilium imaginum memoriam reſidere, &c. Et ſic animæ facultas in motricem & ſenſibilem potentiam diuiditur. Ariſt. tertio de anima cap. 2. Senſus communis eſt qui ſolus ſenſata aliorum ſenſum percipit. Auic. primo can. cap. de vir. animali, Phantaſia, id eſt imaginatiua, eſt virtus, quæ formas perceptas à ſenſu communi cuſtodit, & retinet eas poſt ſenſus abſentiam. Themiſt. vnà cum Ariſtotele, Imaginatiuam eſſe potentiam animę à ſenſibus ortam dicit. Ariſt. primo. Ethic. facit differre virtutem ratiocinatricem ab intellectu, eo quòd cauſas cum effectibus conferre poſſit, ſed intellectus cauſas tantùm comprehendat. Gal. lib. fin. med. Senſus eſt affectus animæ per corpus, nuncius rei quæ mouere idonea eſt. Ariſt. lib. de memoria, & reminiſcen. Memoria, inquit, eſt habitus phantaſmatis, id eſt, imaginis. Auer. ibi, Memoria eſt reuerſio in præſenti intentionis iam in præterito comprehenſæ. Auic. primo can. Memoria eſt theſaurus eius quod peruenit ad extimationē de intentionibus perceptis à ſenſu extra formas perceptas à ſenſu. Gal. lib. fin. med. Memoria eſt præteriti cōprehenſio, cuius præſens fuit ex ſenſu perceptum

Diſſen

Dissentientes circa facultates dictas.

1 Adserere, facultates naturales non esse in qualibet parte corporis.

2 Adserere, facultates esse remediorum indices.

3 Adserere, facultatem nutricem & auctricem esse idem.

4 Adserere, facultates non alibi quàm in animato corpore posse reperiri.

5 Adserere, facultatum cognitionem esse medico inutilem.

6 Adserere, facultatem vitalem non esse naturali priorem.

Confutatio dissentientium circa facultates naturales.

Ad primum Gal. 5. de loc. aff. cap. vlt. Est igitur communis sermo, quem inuenire proposui de naturalibus facultatibus, quas in qualibet parte quatuor generatim esse didicistis. Primã voco attractricẽ, quæ parti peculiares succos alendi ipsos gratia, & appetere & attrahere potest. Altera, est quæ alteratrix dicitur, qua succus attractus similis euadit parti, quæ aliter crescitiua: huic duæ aliæ ministrant, retentrix & expultrix, &c. Et sic in qualibet parte erunt facultates. Similis sententia est in lib. de plenit. circa medium.

Ad

Ad ſecundum: Gal. de opt. ſecta ad Thraſybu. cap. 42. Si conſtans vis remedium indicat, in ſanis quoque quoniam conſtat, remedium indicabit: ſed in ſanis remedium non indicat, ergo nec in ægris conſtans vis remedium indicabit.

Ad tertium: Gal. primo de natural. facul. cap. 9. Quippe ſumma rei ſic habet, generatio, auctio, & nutritio prima naturæ operũ, ac veluti capita ſunt. Vbi diſtinguit auctionem à nutritione, igitur idem non ſunt. Prætereà tali ratione probatur: Quæcunque in fine & in quantitate materiæ differunt, non ſunt idem: ſed auctrix & nutrix ſunt huiuſcemodi, igitur idem non ſunt. Quod differant in fine & in quantitate materiæ, probatur ex hoc, quia nutrix indiuiduum tantùm conſeruat, autrix verò auget. Veruntamen dicimus vnam & eandem ſubſtantiam eſſe, quæ duo hæc efficit.

Ad quartum: Galen. primo de natur. fac. cap. 13. probat in magnete & in ſuccino eſſe vim attractoriam, ſicuti & in purgantibus medicamentis, & in ſtirpibus, & in ſimilibus eſſe alias facultates: igitur alibi quàm in animato corpore reperiuntur.

Ad quintum: Gal. 2. de naturali fac. cap. 3. Niſi enim à natura facultas quædam naturalis vnicuique inſtrumento ſtatim ab initio

initio ſit tributa, durare animalia non poterunt, non modò tantum annorum, ſed nec pauciſsimorum dierũ: igitur ſcire has facultates non erit inutile. Præterea probat Galenus citra facultatem attractoriam de vrinæ ſecretione, neque de alimenti diſtributione, aut de nutritione non medico licere loqui: igitur harum cognitio non erit inutilis. Rurſus quinto de loc. aff. cap. vlt. Has facultates, inquit, in qualibet affecta parte, vtrũ validæ ſint, an infirmæ conſideretis hortor: & ſic earum cognitio non erit inutilis.

Ad ſextum: Auicen. prima primi, cap. de virt. vit. inquit, quòd præparat ad recipiendum alias virtutes: igitur erit prior. Præterea id prius eſt, cuius inſtrumentum eſt primum: ſed inſtrumentum virtutis vitalis, ſcilicet cor, eſt prius factũ quàm hepar: igitur erit prius.

De ſanitatis ac morbi definitione.

Sanitas eſt harmonia ſiue concinnitas quatuor primorum elementorum, quæ ſecundum naturam in nobis ſunt. Vel, Sanitas eſt omnium noſtri corporis partium naturalis quædã conſtitutio, ex qua actiones naturales edimus. Vel, eſt naturaliũ virium actio minimè impedita Ad ſanitatẽ requiruntur, pulchritudo, bonus habitus, integritas

gritas. Pulchritudo erit, si propertio membrorum cum coloris probitate adsit. Bonus habitus sit, non qualis exercitatorum: nam ne salubris quippe hic habitus est, sed sicut superius à nobis descriptus. Integritas erit, si ne quid circa animum, mores, & robur ac symmetriam corporis desit. Morbus verò cùm ex diametro sanitati opponatur erit inconcinnitas, siue intemperies primorum elementorum quæ in nobis sunt. Vel erit partium præter naturam constitutio, ex qua actio vitiata prouenit. Vel erit naturalium virium præpeditio.

Loci consentientes ex vera medicina.

Quòd sanitas sit harmonia, &c. probatur ex Galen. 1. de temp. cap. 1. Nam indicium, inquit, sani hominis ac temperati, est elementorum portionis æqualitas. Et tertio de mor. diff. cap. 1. Sanitas est affectus secundum naturam, ad faciendā actionem idoneus, Nec refert si dixeris constitutionem siue affectum, sicut nec actionem, nec actionis causam. Et primo meth. cap. 9. Sanitatem, inquit, esse ipsarum functionum constantiam, aut affectum siue constitutionem partium, cuius ope functiones secundum naturam edimus. Et tertio met. cap. 3. Quippe monstratum est, sanitatem in similaribus corporibus ipsarum quatuor

tuor qualitatum esse iustam temperiem. Auic. secunda primi cap. de diuisione dispositionum corporis, Sanitas, inquit, est dispositio, per quam corpus hominis in sui complexione & compositione tale existit, vt ex eo operationes eius omnes proueniant incolumes. Quòd verò pulchritudo requiratur, &c. Gal. in art. med cap. 8. Signa optimæ constitutionis sumuntut à commensuratione, pulchritudine, ab optimo colore, ac præterea ab earum, quæ ipsis insunt, virtute operationum. De morbo verò sic Gal. de constitutione art. med. cap. 12. Id quod excellenter sanum est, sit modò illud similare vel instrumentarium: omni ex parte moderatum existet, ægrum verò immoderatum: siquidē morbus immoderatio quædam est. Et secūdo de natu. hum. commē. 1. Morbus est affectio quædam in animantis corpore, quæ primùm actionem lædit. Et 3. de sympt. differ. cap. 1. Morbus est constitutio quædam præter naturam, à qua primò actio vitiatur: quin si affectum dixeris, à quo actio vitiatur, idē est, &c. Et meth. 2. cap. 1. & 3. Nam contrarium sanitati affectum, à quo lædi actionem diximus, morbum tantùm appellamus. Et similiter cap. vlt. Quicunque affectus functioni officit, is est morbus.

De

De sex morborum generibus.

Sicuti naturalis operatio in his tribus consistit, scilicet intemperie, compositione, & vnitate, vt dictum est, ita morbus erit in triplici diuisione: nempe in complexione, compositione, & vnitate soluta. In cõplexione, vt calidus, frigidus, humidus, & siccus. aut calidus siccus, calidus humidus, frigidus siccus, frigidus humidus. In compositione quadrupliciter, in positione, magnitudine, figura & numero. In vnitate simpliciter, nempe in similaribus & instrumentariis simul: & sic sex erunt in vniuersum morborum genera, vnum quippe in similarium partium intemperantia, in organicis quatuor, in vtrisque vnum, quod est soluta continuitas. Læditur etiam operatio tripliciter, debiliter, vitiosè, aut quia nullo modo fit operatio.

Loci consentientes ex vera Medicina.

Auic. secũda primi, cap. 2. Dicimus quòd ægritudinũ genera sunt tria, loquendo de simplicibus ægritudinibus. Primũ est similariũ, & est species malæ complexionis. Secundum est membrorũ officialiũ quæ sunt ægritudines cõpositionis. Tertiũ est ægritudinũ cõmunium, quæ ægritudines accidunt membri similaribus & instrumenta-

riis,&c. Gal.1.de differ.mot.cap.vlt. Nẽpe dictum eſt, quòd alij ſunt primorũ ſimilariúmq; corporũ morbi,alij inſtrumẽtorum cõpoſitorúmq;, alij vtrorũq;, vt phlegmone, &c.Et lib. de opt.corp. cõſtitutione inquit,quòd tẽperamentũ ex calido,frigido, humido,ſicco,coagmenti mẽſura definitũ, ſimilariũ mẽbrorum eſt ſanitas,& quòd cõſtructio partiũ expoſitione, magnitudine, & figura,& numero coſtituitur,&c. Si igitur ſanitas in iis conſiſtit, ſimili modo & morbus in his erit,quũ in eodẽ genere ambo conſtituantur,teſte Gal.meth.1.cap.9.

Quòd verò ſex ſint morborum genera, probatur ex Gale. 2. meth.cap. 6. dum inquit, Ergo ſunt ſex in vniuerſum morborũ genera,vnum ipſorum ſimilariũ proprium, nempe intemperies: quàtuor, vt modò dictum eſt,inſtrumentorum cuiuſque,& cum his ſextum,quod tum ſimilaribus, tum inſtrumentalibus eſt commune,ipſius vnitatis ſolutio.

De cauſis ſalubribus & inſalubribus.

Cauſarum aliæ ſunt conſeruatrices, aliæ effectrices. Cõſeruatrices ſunt, quę corpus in optima conſtitutione præſeruant, Sed quia corpus alteratur & corrumpitur, idcirco quot modis alteretur dicamus. Alteratur

ratur corpus sextupliciter, primò ex aëre ambiente, secundò ex motu & quiete, tertiò ex somno & vigilia, quartò ex cibo & potu, quintò ex his quæ excernũtur & retinẽtur, sextò ex affectibus animi. In his causæ salubres & insalubres cõseruatricésque cõsistunt. nã in his si modus seruetur, cõseruatrices sunt: sed vbi à modo receſſerint, insalubres redduntur. De his sex rebus nõ naturalibus in morbis à capite vsque ad pedes deinceps pertractabimus. Causa etiam dispositionum corporis rursus alteratur ex frigore, calore, siccitate, humiditate. Causæ verò morbi effectrices sunt tres, procatarcticæ, & antecedentes, & coniunctæ, quæ diuiduntur per se, vel per accidens.

Loci consentientes ex vera Medicina.

Gale. in art. med. cap. 84. Quia salubrium nõnullæ sunt cõseruatrices, nonnullę effectrices. Et paulò infra, Si corpus esset impatibile & inalterabile, semper optima cõstitutio perduraret: sed quia corrũpitur & alteratur, idcirco eundẽ prioris status tenorẽ nõ seruat, &c. Et cap. 85. eiusdem lib. Quot igitur numero sint ea, quæ ex necessitate corpus alterãt, distinguẽtes, propriũ in singulis eorũ causarũ salubriũ genus inuenie mus. Vnum igitur erit, ex ambientis aëris

adhæsu,secundū ex motu & quiete,&c.vbi sex res nō naturales enumerat. Auic.secūda primi doc. secunda,cap.1.causæ dispositionū corporis,&c.sunt tres,antecedentes, primitiuæ & cōiunctæ:& paulò inferius dicemus,quòd causæ quæ mutant disposiciones corporis,& quæ cōseruant,aut sunt necessariæ,à quibus impossibile est hominem egredi in toto tēpore vitæ suæ,aut non necessariæ. Necessariarū sunt sex genera, genus aëris circūdantis,genus motus & quietis,&c.Gal.in art.med.cap.80. Alteratur verò substantia à caliditate,frigiditate,humiditate & siccitate.

De causis morborum partium instrumentalium.

Dictum est,quòd ad composita membra quatuor spectant, positus siue situs, formatio,magnitudo & numerus. Primùm situs vel est optimns , vel parum variat, vel à modo recedit, vel ægrum plurimo recessu reddit. Formatio quoque tripliciter læditur, vel in figura, quum à cnrsu naturali mutatur in meatu vel orificio, & hoc ratione obstructionis aut dilatationis : in membrorum superficie, quum adest asperitas & lenitas. Magnitudo dupliciter,excessu & defectu. Numerus similiter aut deficit aut superabundat,vt sextus digitus

in

in manu. Hæ omnes cauſæ ſi modum exceſſerint, inſalubres dicuntur: ſi verò à mediocritate non receſſerint, erunt ſalubres. De ſoluta vnitate, quum de chirurgia tractabimus, fuſius loquemur.

Loci conſentientes ex vera Medicina.

Auic. ſecunda primi, cap. 3. Compoſitionis ægritudines quatuor comprehenduntur generibus, vt ægritudines creaturæ, ęgritudines quantitatis, & ęgritudines numeri, & ægritudines ſitus. Aegritudines creaturæ, id eſt formationis, vel ſunt in figura, vel in viis, vel in receptaculis & ventriculis, vel in ſuperficie, &c. Galen. in art. med. cap. 87. Inſtrumentalium partium cauſæ ſalubres, aliæ ſunt ſalubres erroribus, qui in foramine conſiſtunt: aliæ his qui in magnitudine, vel numero, vel poſitu, &c. quæ fuſius videre poteris: Lege etiam de his Gal. 1. de diff. morb. cap. 7. exempla in omni morbo afferentem.

De morborum calidorum, frigidorum, ſiccorum, & humidorum cauſis.

Cauſæ morborũ calidorum ſunt quinq;, putredo, vicinitas ad corpus calidum, obſtructio, cibus & potus calidus, & motus vehemens. Cauſæ frigidorum ſunt qua-

tuor,vicinitas frigidorũ,cibi potúſq; qualitas & quãtitas,obſtructio & raritas,ocium & motus immodicus.Cauſæ ſiccorum ſunt ſex,plurima tranſpiratio & pauca nutritio, alimẽta ſiccãtia, ſolicitudo & vigiliæ,aẽris cõſtitutio ſicca, aquæ nitroſæ & ſulphuroſæ,aluminoſę,& medicamenta exiccantia. Cauſæ humidorũ ſunt his ecõtrario oppoſitæ,vt alimenta humida,quies,ſomnus,potus plurimus,&c.ex quibus facilè morborũ compoſitorum cauſæ intelliguntur.

Loci conſentientes ex vera Medicina.

Gal.2.de morb.cau.cap.2. Corpora quæ plus ſatis incaleſcunt,ita videtur affici, vel ob motũ aliquẽ aucto calore, vel ob putredinem, vel ob calidioris corporis vicinitatem,&c.reddítq; rationem de vnoquoque. Et cap. 3. eiuſdem lib. Frigidi morbi cauſæ ſunt,vt frigidorum vicinitas,cibi potúſque quantitas & qualitas, cõſtipatio & raritas, &c.reddens de ſingulis rationẽ.Et cap.4 & 5.Similiter de ſicci & humidi morbi cauſa etiam rationem reddit. Auic.ſecũda primi doc.ſecunda, ſumma ſecunda cap.2.3.& 4. idem aſſerit vt Galenus, quæ longum eſſet recẽſere:vide tu, ſi lubeat,eum fuſius. Vide etiam Galenum primo de diff.feb.cap.3.& 2.eiuſdem cap.9.

Auth

Authores erronei dissentientes circa sanitatem & morbum.

1 Adserere, sanitatis cognitionem nõ esse medico necessariam.
2 Adserere, morbos posse cognosci, nõ cognito affectu secundum naturam.
3 Adserere, morbos similarium partiũ nõ distingui ab instrumentalium morbis.
4 Adserere, scire morborum numerũ non esse necessarium.
5 Adserere, morbũ in numero ab eo quod est in quantitate non differre.
6 Adserere, causas morborũ non esse semper considerandas.

Confutatio dissentientium circa sanitatem & morbum.

Confutat primum Gale. meth. 2. cap. 3. inquiens, quòd sanitatis egemus omnes ob actionem quæ est secundum naturã. Nam sine sanitate actionem integrã habere non possumus. Et nono meth. cap. 9. Sicut primum propositũ est in methodo, morbi sublatio, ita in opere de sanitate tuenda, est sanitatis tuitio. Igitur erit necessaria-

Ad secundũ: Gal. meth. 2. cap. 4. Necesse tibi erit, eo quod secundum naturam est prius præsumpto, ita quod est præter naturã inquirere. Nam si ipsum quod secũdum naturã est, nõ nosti, nec quod egressum est

à natura noſti. Igitur primùm ſanitatem cognoſces, antequam morbum cognoſcas.

Ad tertium: Gal. 2. meth. cap. 6. exemplo probat: Nam quum cryſtallinus humor ex intemperie laborat, omnino læditur oculorum functio. Cæterùm non eſt, vt eorum organa ſint morbus. Præterea Hippocrates conſtituit aliud eſſe in corporibus ſimilaribus morbi genus, aliud in inſtrumentariis: Igitur diſtinguuntur.

Ad quartum: Gal. meth. 1. cap. 5. Quoniam omnis morbi curationem inuenire propoſitum eſt, neceſſe eſt, morborum numerum prius ſciri.

Ad quintum: Gal. de conſti. art. med. cap. 12. Differt numeri morbus à quantitatis morbo, ex eo quod in hoc morbi genere particula nonnunquam integra: in illo verò portio quæpiam alicuius particulæ aut amputanda eſt, aut adiicienda.

Ad ſextum: Gal. primo meth. cap. 8. tria rerum genera enumerans, primum genus corporum, alterum actionum, tertium inquit eſſe genus cauſarum, quę hos affectus creant, quæ ad medẽdi artem incipiendam primùm ſunt noſcenda.

De cura ſingulorum ſex morborum in genere.

Morbus in cõplexione per ſui contrariũ aufer

aufertur. Nam si calidus sit, frigido, si frigidus, calido, si humidus, sicco, & econuerso remouebitur: si ex vtroque sit compositus, vtroque contrario indigebit: siquidem cõtraria contrariis curantur. Morbi in formatione, in nuper nato animali ad habitũ naturalem tantùm reducuntur, posthac emendari non possunt. Similiter morbi in cauitate parui, quum adhuc augetur animal, per quietem & alligationem reddũtur: magni verò per partium operationem & spiritus retentionem. Morbi in numero si ex aliqua particula deficiente fiant, eam efficere studebimus subministrando naturæ, si ex superabundanti hãc resecabimus, hæc omnia sanare possumus. Sed quòd omnia generentur, non æquè possumus: morbis in magnitudine similiter exceden tibus naturæ modum, ablatio & abolitio conuenit: deficientibus, refectio vel generatio. Morbos in situ, si quæ particulę à suo situ dimoueantur, ad suum locum reducendo, sanabimus.

Loci consentientes ex vera Medicina.

Gal. in art. med. cap. 89. Curatio vnam prȩcipuam ac communissimã habet intentionem, ad id, quod est dispositioni contrariũ auferendæ. Calido enim affectui causa

frigida contraria est, frigido calida, eadémque in cæteris proportione seruata. Et cap. 93. eiusdem libri, in his igitur qui adhuc crescunt, possibile est plurium partium figuram emendare: in his autem qui iam aucti sunt, minimè. Et cap. 96. Quum morborum in numero duplex sit differentia, quibus aliqua particula deficit, his intētio alteram efficere subministrando naturæ: at quibus superabundat, hanc resecare oportet aut scalpello, aut igne, aut medicamento quod vrendi vim habeat. De aliis morbis lege cap. 97. & 98. eiusdem libri. Gale. 8. meth. cap. 3. illud esse verissimum omnium, inquit, quòd contraria contrariorum sunt remedia. Et cap. primo eiusdem libri, Omnis excessus per contrarium excessum sanatur. Similiter lib. 7. cap. tertio. & lib. 4. cap. 2. Curabis, inquit, calidum refrigerando, frigidum calefaciendo, &c. similis sententia est aphor. 2. aphoris. 22. & in mille aliis locis.

Obiectio.

Obstructio ad quem horum morborum referenda erit?

Responsio.

Obstructio est compositionis morbus in meatu siue in orificio, fitque ex lentis ac crassis humoribus, curátque per apertionem,

nem, quæ fieri solet per abstergentia atque incidentia medicamina.

Obiectio.

Intelligísne per apertionem, vulgarem medicorum digestionem, an aliud ab hac distinctum? Nam digestio Auicennę est tenuis materiæ incrassatio, vel crassæ & lentæ extenuatio.

Responsio.

Intelligo per apertionem, humorum ac meatuũ præparationẽ. Nã humores oportet esse nõ tam fluxui paratos, quàm etiam aperta esse foramina, per quæ debet purgatio fieri, vt Gal. aphoris. primo, cõm. 24. Et secundo aphorismo, cõment 9. Nam tunc fluidum esse corpus pronunciat, quum tam in humoribus, quàm etiam in meatibus reseratis fuerit apertum.

De Morborum indicijs in genere.

Indicia morborum vel à ratione tẽporis sumuntur, & sunt tria, præsentia, præterita, & futura. Nam vel morbum pręsentem indicant, vel futurum esse prędnunciant, aut memoriæ subiiciunt: hæc omnia interdũ à medicis prænunciatiua vocantur. Vel sumuntur à ratione suæ essentiæ, & sic erunt quatuor. Primum ab exeuntibus in quantitate & qualitate mutatis, & cognoscuntur à multitudine excrementorum, siue per

vrinam

vrinam per ſudorem, per vomitũ, per ſputum,& per ſeceſſum,& per qualitatem mutatam, ſicut eſt totius corporis rubor vel pallor, venarum ac mẽbrorum tumor, &c. Secundum ab operatione læſa, & cognoſcitur à grauitate,à pigritia, à ſenſuum imbecillitate,à pulſu magno & pleno, ab anhelitu,à corporis extenuatione,&c. Tertium à propriis morborũ accidentibus, ſicut in pleuritide, à tuſſi,à dolore,à febre. Quartum à membrorũ poſitu, vt à capite, à ventre, & ab aliis locis affectis. Vel ſumuntur indicia à viribus corporis, & hoc trifariã: vel à virtute animali,& cognoſcitur ex motu,ex ratione,& ſenſibus. Vel à virtute vitali, & cognoſcitur ex pulſu & ex ſpiratione,vel à virtute naturali,& cognoſcitur ex vrinis & ex egeſtionibus. Horum quędam ſunt ſalubria,quę ſalutem, quædam inſalubria,quę mortem prędicere ſolent.

Loci conſentientes ex vera Medicina.

Gale.in art.Med.cap.7. Signa ſunt ſalubria & inſalubria, quę præſentem indicant ęgritudinem, & futuram prænunciãt, atque pręteritam memorię ſubiiciunt. Et paulò inferius,Hęc quoque ſecundum tria tempora ſalubria & inſalubria dicũtur, quorũ vſus maior eſt de indicatiuis,quàm

ex

ex his quæ memoriæ ſubiiciunt. Galenus in articu.med. capite 81. Quæcunque excernuntur, nonnulla quidem ſunt veluti partes patientium locorum, nonnulla tanquam excrementa: quæ verò in ipſis continentur, ſingula propriam faciunt iudicationem, & ſic ab exeuntibus ſumitur indicium. Gale. primo de loc.aff.cap.5. Locorum notæ, ab actione læſa, & excrementis, & poſitu, & doloris proprietate, & à propriis accidentibus ſumuntur: affectuum verò ab excrementorum ſpecie, à loci natura, & doloris proprietate, & propriis accidentibus. Sanè actio læſa affectam partem indicare poteſt, &c. ſimiliter 3. de Symptomatum diff.cap.3. de his indicia habentur. Gal.method.9.cap. 13. Hæc itaque cùm vires indicent, maxima harum erit dignitas. Nam viuere ipſum nobis ex harum cuſtodia conſtat, vtpote quum vitam, aut ipſas eſſe vires, aut earũ actiones ſit neceſſe, &c. Hippo.aphoriſm.2.aphoriſm.33. In quouis morbo mente conſtare & bene ſe habere ad oblata, bonum, contrà verò ſe habere, malum. Et Gale. in hoc cõment. Ex his conſtare mente cognoſces, quæ ad cerebrum & omnes membranas, ſicuti ad ventrem attinent hepar & cor, vbi adeſt promptitudo ad ea, quæ offeruntur, &c. Gal.1. de art.curat.

rat.ad Glauc.Virtus vitalis,quam ex corde prodire oſtendimus,ex pulſuum debilitate cognoſcitur:at quæ ex hepate oritur,naturalis dicta, ex ſanguineis egeſtionibus aquoſis & tenuibus: & quæ ex cerebro originem ducit,animalis dicta, ex motuum volũtariorũ imbecillitate deprehenditur,&c.

De alia ſignorum diuiſione.

Sumuntur etiam indicia à complexione, ab humorum dominio,ab ætate,à tempore,conſuetudine & victu præterito:complexiones cognoſcuntur per decem genera.Primo ex tactu,vt ſi calidus,frigidus.Secundo ex adipe & carne addita : nam multa caro caliditatem,pauca cum multo adipe,frigiditatem. Tertio ex celeri ac tardo capillorum ortu:nam celer caliditatẽ, tardus frigiditatem. Quarto ex corporis colore, nam color croceus , rubeus luteus ac pallidus caliditatem, albus , liuens , plumbeus,frigiditatem. Quinto ex membrorũ forma:nam ampla,lata caliditatem: angusta verò,frigiditatem. Sexto ex membrorum ſenſu : nam citò ſentiens,caliditatem: tardè,frigiditatem. Septimo à cognitione hominum.Octauo ab operationibus : nam celeres operationes caliditatem,&econtrà frigiditatẽ. Nono ex ſuperfluitatibus corporis.

poris:nam si quid egrediēs acutum habeat odorem, caliditatem indicat:si minus, frigiditatem.Decimo ex accidentibus animi, vt ira,audacia,inquietudo,impieras,& similia caliditatem:econtrà verò,frigiditatem. De ætate id dictum est, pueros & iuuenes esse calidos: senes & decrepitos, frigidos. Similiter ex tempore & consuetudine & victu pręterito iudicandum est.

Loci consentientes ex vera Medicina.

Gal.lib.de sectis ad eos qui introducuntur,cap.4.& 5.Hoc igitur modo illi ab ipso affectu eius quod cōfert,indicationem eliciunt:similiter ab ęgrotantis viribus,ab ętate,ab anni tempore & regione,&c.

Auic. secunda primi cap.3.Signorum genera,quibus complexionum dispositiones cognoscuntur,sunt decem,& ea enumerat, exempla singulorum afferens, vt dictum est suprà.

De vrinæ definitione & diuisione.

Lotium, est sanguinis aliorúmque humorum serea quędam redūdantia.Id tamē existimādum est optimum lotium, in quo resider candidum,leue,&ęquale,per omne tempus:vel id optimum est,quod vrinę sanorum est simillimum.Tria in lotio cōsiderantur,

rantur, ſubſtantia, color & hypoſtaſis. Subſtantia ſit tenuis, craſſa: nam ſi tenuis & alba ſit, vel virtutis imbecillitatem, vel renum obſtructionem ſignificat. Si tenuis & pallida, vel tenuis & rufa, virtutis imbecillitatem, & quo ad ſubſtantiam, cruditatem ſignificat. Tenuis verò & flaua incoctionem & alimenti defectum, vigilias ac animi pathemata ſignificat. Tenuis rubra, ſanguinem incoctum. Tenuis & nigra, melancholiam, vel nimiam frigiditatem, aut ſanguinis aduſtionem indicat Craſſa verò & alba, maximam crudorum humorum copiam demonſtrat: ſi craſſa & rubea, plenitudinem ſanguinis: ſi craſſa nigra, euacuationem atræ bilis ſignificat. Color flauus, rubeus, caliditatem: albus, liuens, ater, frigiditatem denotant: Hypoſtaſis verò diuiditur ſecundum ſitum: nam ſi in fundo non diuulſa reſidet, ſed pyramidalis, bonam indicat concoctionem: ſi in ſupremo loco diuulſa & inæqualis, imbecillitatem virtutis: ſi in medio loco, malum portendit maximè ſi diuulſa ſit: nam naturam deficiſſe in concoctione ob diſtractionem ſignificat. Conſideratur etiam vrina iuxta ſuum colorem: nam rubea, ſanguinis incocti copiam, & morbi cruditatem indicat: idcirco morbum facit diuturnum. Nigra,

cui

cui antecessit liuiditas, frigiditatem: cui verò croceitas, colorem. Liuida frigiditatem, & virtutis interitum: oleosa totius corporis adipis colliquationem indicat. Rursus si sedimentum citò crassum fiat, citò morbū solutum iri significat. Si residat crassum, assistente virium robore, longum fore morbum: si verò imbecillitas adsit, ægri mortem prænunciat.

Loci consentientes ex vera Medicina.

Theoph. de vrinis, cap. 1. Lotium est sanguinis aliorúmque humorum aquea quædam colatura. Gal. lib. finit. med. Vrina est superfluitas ex colatu sanguinis in magna vena, quæ per renes & vretores in vesicam delabitur. Hippocrat. prognost. 2. text. 26. τόδε ὕδωρ ἄριστόν ἐστι οἱ λευκὴ τὸν ἡ ὑπόστασις καὶ λεία καὶ ὁμαλὴ ὑδὶ παύεται τὸν χρόνον. Galen. 1. de crisi. cap 12 Ex his igitur illa optima est, quæ vrinæ sanorum est simillima: quæ verò non est talis simpliciter, vel incocta est, vel præter hoc pernicioſa. Galen. 1. de crisi. cap. 12. Oportet vrinam optimam discedere tantùm sua crassitudine ab aquosa, quãtum colore si bene concoqui debeat, ponens differentiam in substantia & colore, &c. Gal. loco citato, Praua autem sufficienter est, quæ tenuis & alba est, sicuti

aqua:nam ſimplex quidem diſpoſitio eſt, ſed vltimæ imbecillitatis eſt indiciũ.Huic proxima eſt altera vrina, vini tenuis, albi colore,quæ in multis apparet morbis. Poſt hanc eſt ſubpallida,&c.Hippo.2.prognoſt. tex.30. Dum vrina tenuis fuerit ac rufa, crudam eſſe ſignificat ægritudinem.De lotii colore Hippo.2.progno.tex.32. Exitioſior vrina eſt, ſi aquoſa, fœtida,nigra,craſſáq; eſt.vide in hoc latius Galeni cõment. Quod ſitus hypoſtaſis & conſiderãdus, & eius color,lege Hippo.2 prognoſt.tex.36.Conſideranda,inquit,in vrina nubecula,vtrum ſurſum fuerit,an deorſum, itẽ color quem obtinet,&c,De oleaginoſa vrina Hippo. 2. prognoſt. tex.35. Si pingue deſuper natet, cranеorum ſpeciem referens, damnãdum: indicat enim conſumptionem.Et Galen.de criſ.cap.12. Quod ſi veluti oleum mingatur, colliquationis eſt ſignum, De colore Hippo.2.prognoſt.tex. 27. Vrina ſubrubra cum ſedimento ſubrubro admodum ſalutaris, ſed morbum diuturnum fore indicat.Et text. 33. eiudem lib. In mulieribus & viris vrina nigra,in pueris aquoſa,deterrima eſt.lege fuſius Galenum, De vrinis, quę vel turbidæ minguntur, & paulò pòſt reſident, vel quæ ſemper turbidæ micta permanent, aut quæ puræ minguntur, &

poſtea

postea conturbantur, habes plura ex Gal. 1. de crisi. cap. 12. & aphoris. 4. comment. 7. & 4. super primam epidemiam.

Authores erronei dissentientes circa vrinam.

1 Adserere, renum nutritionis excrementum tantum esse lotium.

2 Adserere, per vrinam cognosci posse morbos ex succis ortos, qui in venis nõ continentur.

3 Adserere, sedimen in vrina esse semper bonum indicium.

4 Adserere, ex Galeno non posse per vrinarum coniecturam in sectionis venæ cognitiones peruenire.

Confutatio dissentientium ex vera Medicina.

Confutat primam opinionem Gale. 1. de nat. faculta. cap. vlti. contra Lupum quendam dum inquit, Quòd autem soli renes tantilla corpora quatuor interim totos, vel etiam plures habeant excrementi congios, id nec confessum, nec rationi consentiens.

Ad secundum: Gal. 4. de sanit. tuend. circa principium, Quoniam lassitudo vitio actium excremẽtorum oritur, ante omnia cõsiderandum, in solidissime tantum corpo-

ribus,an intra venarum ſinus, ſuccus contineatur.De his quæ intra venas ſunt, nullum planè nec manifeſtum, nec euidens ſignum, præter ſolam vrinam coniicere licet:in reliquis,quoniam qui affligitur vſus ſit victu exiſtimandum, id eſt per alia ſigna quàm per vrinam coniecturandum, quum vrina in hoc caſu ſit exiguum ſignũ. Et quarto de vic. ratione in morb.ac. Non tutò inquit Galen.comment. 83. morbi facilitas ex vrinarum concoctione prænoſcitur:nam etſi febris cruditates per vrinas manifeſtè indicentur, morborum tamen muſculos infeſtantium, nõ ſecura eſt per vrinas ſignificatio,&c.

Ad tertium:Gal.aphoriſ. 4.comment.69. Contigit aliquando vel per initia morbi, vel paulò pòſt,vrinas factis craſſas propter grauitatem habere ſedimen, quod bonum ſignum non eſt,ſicuti in aliis quæ ab initio tenues exiſtentes, ratione coctionis totius morbi ſedimen capiunt.

Ad quartum: Gal.2.prognoſt. comment. 27. Quoties ſerum ſanguinis pariter cum vrina excernitur, colore ſubrubra apparet: indicat enim exuperantiam ſanguinis non exquiſita ratione confecti,& ſic ſectionem venæ.Et meth.9.cap.4. Mittendus eſt ſanguis,etiã ſi nec in lotio, aut in ipſa caloris

qualita

qualitate humorum putrescentium signum apparuerit. Interdum igitur signum in vrina de mittendo sanguine apparet.

De pulsuum diffinitione & diuisione.

Σφυγμὸς, id est pulsus, est cordis arteriarúmque dilatatio ac contractio. Considerantur pulsus vel ratione virium, & tunc est triplex, vehemens, quando scilicet tangentis manus validè repellitur, lãguidus, quum inualidè imbecillũ ictum edit: mediocris, mediá seruans proportionem. Vel ratione arteriç, & est duplex, durus & mollis. Vel ratione diastoles, & est trinus, vt altus longus, latus. Vel ratione plenitudinis & euacuatiõis, & est duplex, plenus & vacuus. Plenus, qui arteriam solidiorem vndosãmque in compressione ostendit: vacuus, qui inanitatem suo digito repręsentat. Vel ratione rhythmi, in quo proportiones temporis metiuntur, & sic est duplex, deficiens vel intercidẽs. Vel ratione tẽperaturarũ, ætatũ, anni temporum, regionũ, sexuum: de quibus satis loquuti sumus infra, vbi Galeni loca citauimus. Vel ratione somni & vigiliç, vel aliarum causarum non naturalium: nam in somno languidiores minoréſque sunt: quàm à somno expergiscuntur, vehementes & crebriores sunt.

Gal.4. de diff. pulſ. Pulſus eſt diſtentio & contractio cordis & arteriarum. Et ibi varias pulſuum deſcriptiones ex antiquis recitat. Quòd verò ratione virium cõſideretur pulſus, habetur ex Gale.4. de præſag. ex pulſ.cap.vlti. Quum, inquit, pulſus per ſe ſint languidi, infirma eſt facultas, vbi earum arteriarum languidus nunc pulſus ſit, nũc vehemẽs, facultas nõ eſt per ſe imbecilla, ſed ex copia humorum degrauatur, &c. & ibi omnia ad virtutẽ ſpectantia per pulſum declarat. Et 3.de diff.pul. Pulſus qui cũ reniſu quodam pulſat, vehemens vocatur, cuius cauſa eſt facultatis robur. Quòd verò ratione arteriæ pulſus conſideretur, habes ex Galen.primo de cauſ. pulſ. Reliqua, inquit, & tertia gignendorum pulſuum continens cauſa, ipſum eſt arteriarum corpus. & c. Et cap.de pulſ.cauſis ex diff.inſtrumentorum, Quum durius aut mollius euaſerit corpus arteriæ, ipſos pulſus duros vel molles reddit. Similis ſenſus eſt primo de differ.pulſ.& in lib. finit. med. Galen. primo de diff.pulſ. Iam quia arteria tres dimenſiones obtinet, longitudinem latitudinem & profunditatem, non poteſt in ſingulis dimenſionibus non fieri quãtitas

aliqua

aliqua distentionis & contractionis. Galenus primo de different.pulsuum cap. de re liquorum diff. generum, Plenus est pulsus qui pleniorem arteriam ostendit. Vacuus, qui arteriæ eleuationem facit bulosam, vt digitorum impressioni gressus per vacua occurrat, & sic plenitudinis & euacuat.onis pulsus datur. De rhythmo genere pulsuum habes Gal.1.de diff. puls.cap. de diff. quietis & rhythmi, dum plures species rhythmorum pulsuum enumerat,quem fusius leges.Omnibus enim naturis,locis, anni temporibus, omnibùsq; aliis suũ rhythmum tribuit, & inter eos rhythmos alios pari proportione, alios impari constare inquit.De temperie,Gal.3.pręsag.pulſ.Ex intemperie cordis calida fiunt pulsus imbecilles: ex intẽperie verò frigida planè efficiuntur contrarii,parui tardi & rari.De intemperie sicca & humida cordis,tractat eodem lib.capit.vlti.& lib. de introductione puls.Calidiores natura pulsum habent maiorem,celeriorẽ, ac longè frequentiorem, non multò tamen vehementiorem: graciliores verò,maiorem ac lõgè rariorem, verùm non multò vehemẽtiorẽ. Vide de his similiter de vsu pulsuum circa finẽ.De pulsibus ætatum, Gal.in introduct.puls.cap.9. Mutantur per ætates: sic puerulo nuper na-

to pulsus est frequentissimus, senum rarissimus: qui verò in media ætate sunt inter hos iis pulsus ad proportionem respondẽt. De pulsu anni temporum Gal. loco nuper citato, Per anni tempora pulsus mutantur: nam in medio vere maximi ac vehementissimi, celeritate verò ac frequentia moderati similiter medio autumno habentur. Progrediente vere magnitudo ac vehemẽtia ipsius minuuntur, augentur autẽ celeritate ac frequentia. Autumno progrediente omnia minuuntur, magnitudo scilicet, vehementia, celeritas ac frequentia. Adueniẽtè verò æstate, fiunt languidi & parui, celeres & frequentes: contrà verò in hyeme, in paruitatem, languorem, tarditatem ac raritatem mutantur, &c. De regione, Gal. loco citato, Per regiones mutantur: siquidẽ in calidis, pulsus sunt, quales in æstate media: in frigidis valde, quales hyeme media: in mediis ad proportionem se habent, &c.
Quòd pulsus virorum à fœminarum pulsu differat, habes Gal. loco citato: Viri enim, inquit, mulieribus pulsum habent multò maiorẽ & vehementiorẽ, paulò tamen tardiorẽ ac lõgè rariorem De somni pulsibus ac de expergefacto à somno, similiter de mutatione pulsuũ per exercitiũ, balnea, cibos & potus, aerem ac accidentia animi: nã

ab ira

ab ira pulsus fiunt alti, magni, vehementes, celeres ac frequentes: à mœstitia parui, tardi, languidi, rari: à metu celeres, turbulenti, inordinati, inæquales, &c. habes in hoc loco citato plura ex Galeno.

Authores erronei dissentientes circa pulsuum doctrinam.

1 Adserere, vtilitatem pulsuum esse magis necessariam, quàm respirationis.

2 Adserere certius esse indicium ab vrina sumptum, quàm à pulsu.

3 Adserere, cor & arterias moueri tantùm ex motu pulsus.

4 Adserere, pulsuum genera esse, quàm decem pauciora, cum Auerrhoe.

5 Adserere, ex repletione pulsuum dilatari, & non econuerso.

Confutatio dissentientium circa pulsuum doctrinam.

Ad primum: Gal. de vsu puls. Si respirationem cuipiam adimes, illico morte affere: at pulsu si per multas particulas priues, nõ magnopere lædes, & sic maior erit respirationis vtilitas, quàm pulsuum. Præterea ex Hipocrat. totum corpus est conspirabile atque confluxile. Quare si non per arterias, saltem certè per alia, & potissimùm per venas, &c.

Ad secundum: Haly Abbas 7. suæ practi

ces inquit,quòd pulſus eſt præco verus qui multa refert. Præterea id certius eſt, quod ab operatione ſumitur, quàm quod ab exeuntibus:ſed pulſus ſumitur ab operatione: igitur certior.Probatur etiam ex vulgari quodam carmine ſic dicto.

Vrinæ fraudes aperit diſcretio pulſus. Galen.1.de different. reſpirationis, cap.18. Plus indicat pulſus,quàm ipſa reſpiratio.Et lib.de conſt.art.med.cap.18.hoc idem affirmat,&c.

Ad tertium:Galen.4.de diff.pulſ. probat de mente antiquorum, non ſolùm cor & arterias moueri motu pulſus,ſed etiam per ſe,ſicuti etiàm cerebrum.Vnde 8.de vſu partium cap.de vſu inſtrumenti odoratus,probat cerebri interiores ventriculos aerem ſe dilatando attrahere, & ſe conſtringendo expellere,&c.

Ad quartum :Phylar. de pulſ. cap.9. Habentur genera pulſuum decem, quorum primum,&c.Et Galen.1. de differ. pulſ.decem etiam enumerat: igitur non pauciora quàm decem.

Ad quintum:Gal.de vſu pulſ.inquit,Neque enim eo quod impletur, idcirco dilatatur: verùm ex eo quod dilatatur, impletur, contra Eraſiſtratum.

De signis repletionem indicantibus.

Plethora est succorum æqualiter se habentium exuperantia: differtque à cacochymia, quum hæc vitiosorum humorũ non referat, sicuti cacochymia. Plethora igitur duplex est, quoad vires scilicet: altera quoad capacitatem vasorum, cuius signa sunt vasorum distentio, rubor, totiúsque corporis grauitas, & in mouendis membris pigritia, cutis extensio, pulsuum plenitudo, visus debilitas, & somnia quæ grauitatem portendunt. Hęc nisi sanguinis missione curetur, calorem natiuum strangulat.

Loci consentientes ex vera Medicina.

Gale. 13. meth. cap. 6. Vbi autem æqualiter inter se succi adaucti sunt, id & plethos & plethoram Gręci vocãt, nos succorũ plenitudinem siue redundãtiam dicimus. Vbi verò flaua bile, vel nigra, vel pituita, vel serosis humoribus refertum corpus fuerit, cacochymiam, id est succorum vitium dicimus. Et lib. de plenit. ad finem, Plenitudo, est copia humorum in vniuerso animalis corpore. Et paulò pòst, quid interfit inter cacochymiam & plethoram, apertiori sermone demonstrat.

Gal. lib. de plenit. inter indicia, venarum tumo

tumorem, ac earum tensionem, ruborem, corporisque grauitatem, & in mouendis membris pigritiam memorat. Itidē meth. 9.cap 5.obstructionem,distētionem,tumorem,ruborem,in ea,quę ad vasa refertur repletione,recensēt.Auic.secūda primi doct. tertia,cap.3. Repletio secundum duos modos existit:est enim repletio secundum foramina,&est repletio secundum virtutem. Repletio secūdum foramina est,vt sint humores & spiritus in qualitate boni, sed in quantitate sui sint superflui, ita vt foramina impleant & extendant.Repletio secundum virtutem est, vt humores sui quantitate non noceant,sed sui qualitate. De duplici hac plenitudine habes ex Gale.lib.de plenit.& meth.9. cap.5. & 10. eiusdem lib. cap.vlti.

Hippo aphoris 1 aphori 3.Habitus exercitatorum qui ad summum bonitatis attingunt,&c.Ibi in comment.Gale. Nimia repletio, inquit, calorem natiuum extinguit,&c.

Gale.meth.13.cap.6. Ergo plethora tum sanguinis missione curatur, tum frequenti balneo, exercitatione,frictione,& digerentibus medicamentis. Vide fusius 3.& 6. de sanit.tuenda.

Authores erronei dissentientes circa plenitudinis indicia.

1 Adserere, plenitudinem mensurari posse tantummodò ex ipsis viribus.

2 Adserere, plenitudinem tãtùm esse quo ad vasa, non quo ad vires.

Confutatio dissentientium circa plenitudinis indicia

Confutat primum Gal. lib. de plenit. circa principium, dum inquit, Qui ex ipsis tãtùm viribus plenitudinem metiuntur, hi videntur nunquam vtres præter modum repletos vidisse, nec se etiam plus quàm par est vnquam impleuisse cibo, ita vt ventriculus inde distenderetur, &c.

Ad secundum: Gal. loco nuper citato, Itaque, inquit, subiecimus duas esse tum notiones, tum relationes multitudinis: alteram ad robur virésque illius qui defert, alteram ad eius qui suscipit capacitatem, &c.

De signorum notitia vniuscuiusque humoris.

Sanguinis superabundantiam indicant, repletio, grauitas capitis circa oculos, oscitatio, nausea, lassitudo absque labore, dulcedo in ore, rubor, & sanguinis à quocunque loco facilis fluxus: indicant & temperies, victus præcedens, ætas, consuetudo & insomnia circa res rubeas. Pituitæ indicia, albedo, mollities, frigiditas, sputi copia,

copia, sitis pauca, somnus multus, otium, pigritia, pulsus tarditas, & quæcunque de victu & ætate & consuetudine indicare possunt. Bilis indicia sunt, color flauus siue citrinus, oris amaritudo, sitis copiosa, nariuum ac linguæ siccitas, pulsus crebritas, nausea & vomitus bilioſus, & quæcunque dici possunt de ætate, temperie, victus ratione. Atræ bilis indicia sunt, corporis macies, vigiliæ multæ, crassities ac nigredo sanguinis, multa sollicitudo, corpus nigrum, fuscum, pilosum, insomnia terrorem inducẽtia, in tenebris timor, similiter ætas, consuetudo, ars, tempus & victus, ratio præterita de atra bile indicant.

Loci consentientes ex vera Medicina.

Faciunt ad sanguinis signorum probationem quæcunque dicta sunt ex Galeno lib. de plenit. circa principium, vt vasorum distensio, rubor, grauitas vniuersi corporis, pigritia ad motum, membrorum tentio, lassitudo, prior vita in otio, victus ratio transacta, & suppressæ euacuationes solitæ. Auic. secunda primi, cap. 7. Sanguinis significationes cùm dominantur, significationibus repletionis secundum foramina, vicinæ existunt, &c. Nam de singulis humorum signis ibi, diffu

diffusè pertractat. Dictum est etiam de his fusius de febribus, & vbi de humoribus pertractauimus, & de morbis à capite vsque ad pedes: nam ibi non solùm de his, sed de obstructionum, flatuum, abscessuúmque signis apertè declarauimus.

De artis curatoriæ diuisione.

Ars curatoria trifariam diuisa est, in διαιτητικὴν, id est, in victus rationem: in φαρμακευτικὴν, id est, medicamentorum rationem. & in χειρουργικὴν, id est, in eam quæ manu medetur. Prima auxiliorum, quæ digerendi, apponendi & concoquendi facultatem habent, est administratio, confertque non solùm sanis, sed etiam omnibus ægris, & maximè febricitantibus. Secunda est φαρμακεία, id est, medicatio dicta, quæ nudis medicamentis interiores affectus & exteriores, in corporum cognitionem, & remediorum naturam diuisa, sanat. Tertia est quæ incisionibus, vstionibus, & ossium instauratione homines curat.

Loci consentientes ex vera Medicina.

Corn. Cels. lib. 1. cap. 1. Medicina in tres partes diducta est, vt vna esset quæ victu, altera quæ medicamentis, tertia quæ manu mede

medetur,&c.Auic.quarta primi,Res medicationis ex vno trium rerum completur regimine,potione & chirurgia.Gal.primo de vic.in morb.ac cõment.6.de triplici hac diuisione etiã ipse loquitur, scilicet de diæta, chirurgia,quæ per sectiones,& aduſtiones perficitur: & de pharmaceutica, quæ per medicamenta perficitur, accusans priscos, qui nihil de victus ratione scripserint.Gal. lib. finit. med. Medicina victus institutrix est, quæ in sanis atque ægrotis, rationi victus instiuendæ studet.Galen.de art.curat. ad Glauc. cap.1. Ars curatiua qualitate & quantitate singulorum medicaminum perficitur.Et lib.de constit.artis med. Hæc ars in duo capita redacta est,in corporum nempe cognitionem, atque ipsam remediorũ naturã.Gal.4.meth.cap.1.Vnũ esse morborum genus ipsam quoque continuitatis solutionẽ diximus,hęc in animalis ferè omnibus partibus accidit,&c.Vbi docet quib⁹ curandum sit intentionibus,&c.de hac plura,quàm de chirurgia dicemus.

De victus diuisione in genere.

Victus ratio sumitur, vel à ratiõe morbi tantũ,vel à ratione viriũ ægrotantis & materia morbi simul,vel à ratiõe tẽporũ anni, ætatũ,vel à ratione suę quãtitatis vel qualitatis,aut in vniuersali,vel in particulari.

De vict

De victus ratione in morbis.

Morbus vel peracutus est, vel acutus, vel longus. In peracuto, qui in quatuor diebus iudicatur, vti oportet tenuissimo victu, sicuti meliorato: ratio est, quia totus hic morbus status est, idcirco in statu tenuissimo victu vtendum est, præcipuè si vires cõsentiant: in longo, pleniori victu, vt ouis, alica, piscibus, sed non eodem quo insanis modo vtendum: in acuto verò tenui, vt ptisanæ succo. Quare duo in victu extrema dantur: primũ quod sit victus tenuissimus: secundum quod sit crassissimus: mediat verò inter hæc tenuis. Ratione igitur status morbi, semper victus ratio instituenda est.

Loci consentientes ex vera Medicina.

Gal. aphoris. 1. comment. 12. Nam morbus vel est acutus, vel peracutus, vel longus, & quando maximè, &c. Hippoc. aphoris 1. aphoris. 4. Victus tenuis atque exquisitus, in morbis quidem longis semper, in acutis verò, in quibus non conuenit, periculosus, Gal. in comment. Nunc dixisse sufficit, vt in omnibus morbis, quibus morbi vigor & iudicatio primis quatuor diebus futura sit modo natura sit fortior, integram inediã seruare debeamus: in quibus verò non vltra primam septimanam protrahantur, forti

existente natura, solo vtendum est melicrato: solus autem hic tenuissimus victus esset non tamen in extremo, &c. Et post hæc victum tenuem, appellat ptisanæ hordeaceæ succum, & plenum victum, qualis est qui fit per oua, & alicã, & pisces. Quòd verò morbus peracutus totus sit status, probatur ex aphorism. 7. primi libr. vbi, inquit Hippocrates, Vbi morbus peracutus est, statim extremos habet labores, & extremè tenuissimo victu vtendum est. Ex quo aphorismo probatur etiam, quòd ratione status morbi instituenda sit victus ratio. Si vires consentiant notanter dictum est: nam Galen. aphorism. 1. comment. 9. inquit, Quòd si in ipso morbi vigore aliquis casus interuenerit naturæ robur dissoluens, nutrire cogimur: quòd verò in longo morbo, pleniori victu vtendum, Gale. loco nuper citato, Cùm morbus consistit, victu tenuissimo oportet vti: in aliis morbis, qui suum vigorem sunt posterius accepturi, non licet afferre statim ab initio tenuissimum victũ: nam prius homo morietur, quàm morbus in vigore cõsistat, &c. Auic. 4. can. de cib. feb. Si videris ægritudinem chronicam, aut propinquã chronicę, nõ subtilies regimẽ, &c.

Obiectio.

Quum morbus non possit cognosci, an statum

ſtatum habere debeat in quarta, vel in ſeptima, quomodo inſtituendus erit victus?

Reſponſio,

Vera præcognitione ſtatus morbi nō cognoſcitur, ſed iuxta æſtimationem, quæ proxima eſt veritati, præcognoſcitur, ex qua tunc victum ordinamus. Nam Gale. de virium robore primo aphoriſ. comment. 12. idem refert eſſe coniecturandum.

De ratione victus à viribus & à materiâ morbi Hip.

Victus vel reſpicit vires tantùm, vel materiam morbi tantùm. Si ſolùm vires, tunc victus plenus conuenit: ſi ſolam morbi materiam, tunc nullus cibus conuenit, quia cibare prohibet naturam in morbum agere. Hac ratione duo erunt victus extrema, quorum alterum ſolam virtutem conſeruat & auget, & talis victus erit ſanorum: alterum ſolum virium robur in materiam excitat, & talis victus erit morbi peracutiſſimi, in quo penè nihil datur. Medium verò inter hæc extrema duplex erit, vel maiorem virium partem ſeruabit, & minorem partem in morbum excitabit, & talis erit victus craſſus, qui in longis morbis conuenit: aut minorem virium partem ſeruans, maiorem in morbum reiicit, & talis erit victus tenuis, qui in morbis peracutis inſtitui-

tur : aut tantum virtuti, quantum morbo tribuit,& talis victus est mediocris, qui in morbo acuto exhibetur. Si igitur vires sint debiles,& humores pauci & corrupti,parum & sæpe cibandum : si vires debiles,& humores temperati, vel abundantes, parum & rarò : si vires multæ, humores pauci non corrupti,multum & sæpe : si vires multæ & corpus plethoricum,paucum & rarò.

Loci consentientes ex vera Medicina.

Gale.aphorismorum primo,comment. 11. totius morbi victus rationem in vnoquoque morbo à duabus intentionibus iussit assumere, ex futuro totius morbi vigore, & ex viribus ægrotantis, &c. Hippocrat. aphoris.1. aphoris.9. Coniectari autem oportet, an æger cum victu sufficiat perdurare, vbi de victu, quoad vires, intelligit Hippocrates.Galenus in eodem comment.Est autem hæc intentio vis ipsa ægrotantis, cuius gratia nutrimus : neque enim morbi causa : igitur ratione morbi nullus cibus conuenit.Auicenna prima quarti, cap.8. Et scias, quòd si non esset illud quod pertinet virtuti, esset magis necessarium vt subtiliaretur cibus vltima subtiliatione, sed virtus non suffert,&c. Gale aphorismo.1. comment.

ment. 4. In ſanis corporibus ſemper oportet naturæ robur ſeruare vel augere alimentis, non demoliri. Eſt autem augere potens alimentum, quod plenum vocatur: conſeruans, quod modicum exiſtit: quod verò comminuit, tenue. Igitur dantur duo victus extrema: alterum augens vires, alterum in quo nihil datur. Et in eodem comment. Magna verò ex parte properamus in longis quidem morbis fouere vires, in acutis verò parum debilitatas conſeruare. Igitur ſi fouere vires volumus, victu craſſo vtemur, & ſic partem maiorem viribus condonabimus, & minorem in morbum concitabimus. Et ſequitur in textu, In acutis ſi vires ſint parum imbecilles, conſeruamus. Igitur non minus viribus, quam morbo dabimus. Auicen. cap. citato, Nam ſi ægritudo fuerit valde acuta, & virtus non deficiat vſque ad ſtatum, tunc eam incitabis ſuper materiam, & non facies eam occupari in cibo ſpiſſo, imò ſubtilia regimen ſtatim cum dimiſſione cibi omnino. Igitur minus dandum eſt virtuti, & talis victus erit tenuiſſimus. Galen. aphoriſmo 1. commen. 17. Nam ſi ſæpius, aut rarò, ſiue omnino nutrire oporteat, ab ægritudine & viribus primùm maximè accipitur. Poſt hæc autem ſingula recitat, quæ à me prius

enarrata sunt, vt si humores corrupti & vires debiles sint, parum & sæpius cibandum, &c.

De ratione victus per ætates.

Aetas puerilis minus inter alias ætates inediam sustinet: deinde qui in ætate consistente sunt, post hos decrepiti: senes verò, qui nondum ad extremam senectutem peruenerunt, facillimè inediam tolerant. Nam pueri ob id quòd crescunt, plurimum innati caloris obtinent, idcirco plurimo indigent cibo: senibus verò parum caloris inest, quam ob rem paucis egent fomitibus. Medio modo se habent qui inter has ætates consistunt.

Loci consentientes ex vera Medicina.

Hippocrat. aphoris. primo, aphorismo 13, Senes facillimè ieiunium ferunt, secundo loco qui ætatem consistentem habent: minus adolescentes, omnium minimè pueri, præsertim qui inter ipsos sunt viuidiores. Et hoc probans inquit, Qui crescunt, plurimum habent calidi innati: plurimo igitur egent alimento, alioqui corpus absumitur, &c. Auicen. quarta primi cap. de cib. febri. Omnis, cuius calor innatus fortis est valde, aut plurimus, aut calor

lor innatus est debilis valde, non potest dimittere cibum, &c. Galen. primo aphoris. comment. 14. Omne id eget alimento, cui plurimum ex corpore defluit: sed humidioribus & plus aëris participantibus plurimum defluit: igitur plurimo egent alimento. Quare pueri quum humidiores & aërei sint, plurimum cibum expostulant. Senes verò & iuuenes sicci & terrestres non sic resoluuntur, idcirco ieiunium facilè ferunt.

De ratione victus ex temporibus anni sumpta.

Conducunt anni tempora mirum in modum ad victus rationem instituendam: nam in hyeme plus dare expedit, quàm in æstate: siquidem hyeme, calore innato ad interiora se recipiente, cibi facilius concoquuntur: contrà verò, in æstate ad exteriora se protendente non fit tam valida concoctio, quare minus dare conueniet. In æstate igitur sæpe & pauca exhibeantur: in hyeme, rarò & multa: in vere, rarò & pauca: in autumno similiter, sumpta à roboris virium indicatione: si vires validæ, sæpe & multa: si verò imbecilles, pauca & sæpius offerimus.

Loci consentientes ex vera Medicina.

Hippocrat. primo aphorismorum, aphoris. 15. Ventres hyeme & vere natura calidissimi sunt, & somni longissimi, quare per ea tempora alimenta copiosiora sunt exhibenda. Etenim tunc calor innatus plurimus est, vnde & pluribus eget alimentis. Indicio sunt ætates & athletæ. Galen. in comment. huius aphoris. Non parum, inquit, conducunt anni tempora ad victus rationem inueniendam: nam hyberno tempore plus appetunt homines, & cibum facilius concoquunt: contrà in æstate, &c. Hippocrat. aphoris. 1. aphorismo 18. A æstate & autumno cibos difficillimè ferunt, hyeme facillimè, secundum locum ver habet, &c. Hippocrat. aphorism. 1. aphoris. 17. Et quibus semel & bis, & quibus plura, ne cur pauciora particulatim oporteat afferre considerandum, condonandum est aliquid tempori, ætati & consuetudini. Galen. in Comment. huius aphorismi, A tempore & ætate, & aliis, quæ sunt proportionalia victus, accipitur hoc modo æstiuo tempore, quantum ad temporis rationem attinet, sæpius & pauca danda sunt. Hyberno tempore ob virium robur multa, sed rarò, &c.

De victus ratione à ciborum qualitate sumpto.

Quæcunque præter naturam sunt, contrarias in victus ratione indicationes expostulant: quæ verò secundum naturam sunt, similes. Nam morbus calidus & siccus, cibum frigidum & humidum expostulat: calidus & humidus frigidum & siccum: frigidus & siccus calidum & humidum, & sic de reliquis. Similiter similia similibus conseruantur, seruata tamen quantitate & qualitate eadem inter se.

Loci consentientes ex vera Medicina.

Hippocrat. aphor. 1. aphor. 16. Victus humidus omnibus febricitantibus confert, maxime verò pueris, & aliis qui tali victu vti consueuerunt. Galen. in comment. Primùm qualis sit adhibendus victus febricitantibus monstrat: deinde quòd victuum συναιρέσεων indicationes iis quæ præter naturam sunt, contrarias: iis verò quæ sunt secundùm naturam similes facere oporteat, &c.

Gal. 8. meth. cap. 9. Dictum sæpenumero est, id quod secundùm naturam est, similia semper postulare, quod præter naturam est, contraria: siquidem quod naturaliter se habet, custodire: quod præter naturam

est, tollere oportet. Porrò febris præter naturam est, ideóque victus rationem frigidam & humidam exigit, &c.

De vniuersali ac particulari victus ratione.

Vniuersalis totius victus ratio est, quæ ad duos medendi scopos, ad morbi scilicet vigorem, & ad ægrotantis vires respicit. Sed particularis est, quæ morborum accessiones in cibando cauere studet, ita vt nec quando accessiones adsunt, nec quando futuræ sunt, quicquam exhibeatur, cauendo tum ea interim quæ inediam ferre non possunt corpora, nam & in ipso febris principio cibanda sunt.

Loci consentientes ex vera Medicina.

Gal. aphor. 1. aphor. 11. totius victus rationem à duabus intentionibus, ex totius morbi vigore, & ex viribus ægrotantis assumere iussit. Quòd autẽ quispiam particulatim cibũ afferat cõuenienter, in hoc docet sermone, caueri iubens morborum accessiones. Et comment. 12. Totius victus figuram ad duas respiciens intentiones faciebat, quarũ altera vis ægrotantis, altera cõstitutio morbi: particulares autem oblationes ex accessionibus cõiecturabantur, &c. Hippoc. aphoris. 1. aphoris. 11. In accessionibus

absti

abstinere oportet: nam cibum dare, nocuum: & quibus per circuitus fiunt accessiones, in ipsa accessione abstinere oportet.

Auic. quarta primi, cap. de cib. feb. Et de corporibus sunt corpora cholerica quæ requirunt regimen diuersum ab illo quod diximus. Ipsi enim quum non cibantur in ipso febris principio, aut in hora status, quæ est prauior, tunc non vacuæ sunt dispositiones eorum à duabus rebus: nam si sunt debilium virium, superuenit syncopis, & moriuntur in paroxismo: si verò fortium virium, cadunt in exteruationem. Igitur hæc corpora cauenda sunt, quæ ferre inediam non possunt. Galen. meth. 10. cap. ς. Aliquos verò eorum cibabis, & quum inuasura adhuc est febris, & quum incipit: sint porrò hi ficco ac calido temperamento, &c.

Authores erronei dissentientes circa rationem victus.

1 Adserere, plenum victum in omnibus morbis conuenire.

2 Adserere, tenuẽ victum in omnibus morbis esse pleno præferendum.

3 Adserere, victum plenum vt crassum in diuturnis morbis non esse necessarium.

4 Adserere, victum tenuissimum in nullis morbis esse exhibendum.

5 Adserere, victus scopum sumi tantùm debere

debere à viribus, non à morbo.

6 Adſerere, eſſe incipiendum à tenuiori victu in principio morbi, & procedendum ad pleniorem.

7 Adſerere, qualitatem & non quantitatem eſſe tantummodo conſiderandam, & econuerſo.

8 Adſerere, in febribus carnem, præſertim delicatis, non eſſe præbendam.

Confutatio diſſentientium circa rationem victus.

Ad primum: Hippoc. aphoriſ. 1. aphoriſ. 7. Vbi morbus peracutus eſt, ſtatim extremos habet labores, & extremè tenuiſſimo victu vtendum. Igitur plenus victus in omnibus morbis non conuenit. Galenus præterea hoc ipſum atteſtatur in commento.

Ad ſecundum: Hippoc. aphor. 1. aphor. 4. Victus tenuis atque exquiſitus in morbis quidem longis ſemper, in acutis verò, in quibus non conuenit, periculoſus. Igitur in omnibus morbis pleno non eſt præferendus. Præterea Gal. in hoc comment. In ſanis ſeruandum robur vel augendum monet, in ægris rarò augendum, in longis morbis conſeruandum, in acutis mediocriter debile ſeruandum. Quare ſicuti in acutis tenuis, ita in longis plenus erit præferendus.

Ad tertium: Hippoc. aphoriſ. 1. aphor. 7.

Tantum

Tantum cibi indulgendum est, quanto morbus extremis molior est. Galenus in comment. præcipit tantum à victus tenuitate declinare, quantum morbus ab extremis recedit. Igitur quanto tardiorem ferè morbi statum iudicabimus, tanto magis crassiori victu vtemur.

Ad quartum: Hippoc. aphor. 1. aphor. 6. Extremis morbis extrema exquisitè remedia optima sunt. vbi Gal. inquit, Hippocratem præcipere, exquisitissimam curationem & victum pariter adhiberi tenuissimum. Igitur victus tenuis in his morbis erit exhibendus.

Ad quintum: Gal. 1. aphor. comment. 12. Cùm igitur tres essent intentiones ad perfectam & indeficientem victus rationem, Prima quidem sumpta ex viribus ægrotantis: Secunda, ex morbi constitutione: Tertia ex particularibus accessionibus, assumi debet, &c. Igitur non tantùm à viribus, quantum à morbi constitutione, scopus rationis victus assumi debet.

Ad sextum: Gal. aphor. 1. comment. 7. In morbis, qui sunt suum vigorem posterius accepturi, non licet ab initio afferre tenuissimum victum. Nam prius homo è vita migrarit, quàm morbus in suo vigore consistat.

Ad

Ad septimum : Hippoc. aphor.1. aphor.9. Coniectari oportet, an æger cum victu sufficit perdurare, &c. Et aphor.13. Senes facillimè ieiunium tolerant, &c. Et aphoris. 15. Ventres hyeme & vere natura calidissimi, &c. In omnibus his locis loquitur de quantitate victus instituendi, quæ à virtute, ab ætate, à tempore sumenda est. Igitur quantitas est consideranda. Et particulariter Gal. 1. de art. cur. cap 9. Quantitas cibi tanta sit, vt bene concoqui valeat. De qualitate iam dictum est superius.

Ad octauum : Gal. 1. de art. cur. ad Glau. cap. de feb. tertiana, concedit ex piscibus saxatiles, ex volatilibus quæ molli carne consistũt, ita & gallorum testiculos, & suum pedes & cerebra, præsertim delicioſis.

De parte Pharmaceutica.

Medicatio bifariam diuisa est, in euacuationem, & in alterationem. Euacuatio fit multifariam, vel per sectionem venæ, per clysteres, per vrinas, per secessum, per sudores, per diuersionem & deriuationem, per menstrua, pér hæmorrhoidas, per nares, per palatum. Alteratio verò erit duplex, vel secundum qualitatem, vel secundum locum. Alteratio secundum qualitatem nihil aliud est, quàm mutatio eius, quæ prius fuit, qualitatis : mutatio verò secundum locum non

altera

alteratio dicitur, sed potius latio, quę est prioris loci muratio: alterationis verò species cõcoctio existit.

Loci consentientes ex vera Medicina.

Indicatio huiuscemodi est euacuatio & alteratio, inquit Galen. in art. medic. cap. 8. 9 Euacuationes verò fiunt & per sanguinis missionem, & clysteris vsum, & per vrinæ vias, atque eam, quæ fit per cutem, transpirationem, ac per eam, quæ fit ad partes oppositas, attractionem, & ad alias propinquas deriuationem, &c. Gal. primo de naturalibus fac. cap. 1. Nec ea modò quæ in colore & sapore mutantur, alterari dicimus, sed si quid ex calidiore fit frigidius, & econtrà: nam commune nomen alteratio est. At genus aliud est in corporibus quæ situm mutant, cui latio nomen est: hi duo motus sunt simplices, scilicet alteratio & latio: sed compositi ex quibus alteratur substantia, sunt diminutio, auctio, generatio & corruptio, &c. Vide etiam de his secundo meth. & primo de loc. aff. Quòd verò alterationis species sit concoctio, vide Galenum in art. med. cap. 89. & fusius secũdo, & tertio de nat. fac.

Quo

Quomodo alteratio, concoctio, & humorum præparatio ac digestio inter se differant.

Quid sit alteratio iam dictum est. Concoctio verò duplex est, altera quæ penes alimenta perficitur, & est muratio in propriam eius quod mutatur qualitatem : altera, quæ improprie maturatio dicitur, est quædam in concoquentis substantiam eius quod concoquitur deductio. vnde Concocta etiam dicuntur, quæcunque à natura euicta sunt, Cruda verò quæ nondum euicta. Digestio verò est veluti quædam alimenti distributio. Nam Græci ἀνάδοσιν, id est, cibi distributionem per totum corpus à natiuo calore facti dicunt. Interdum sumitur digestio pro discussione excrementorum seu pro segregatione, quæ à facultate expulsoria & attractoria perficitur, vnde à concoctione differt in particula. Differt etiam, quia concoctio ad digestionem præire solet, vel quia à diuersis facultatibus vtraque fit : alteratio autem, quum sit humorum in qualitate mutatio, quomodo ab his differat, iam notum est. Solùm enim in iis morbis alteratio conuenit, qui non amplius ab aliqua causa fouentur, sed tantùm contrariis remediis indigent, vt hectica & diaria febris : & hæc perficiuntur absque concoctione

ctione, digestione, & præparatione. Quid autem sit præparatio, vide de obstructione superius.

Loci consentientes ex vera Medicina.

Gal. 2. de fac. nat. cap. 4. Concoctio est alteratio quædam, ac nutrientis in propriam qualitatem eius quod nutritur, mutatio. Similiter 3. de nat. fac. cap. 4. & 7. & 8. eiusdem libri asserit. Quòd verò concoctio significet maturationem, videri potest aphoris. 1. comment. 12. vnde Galenus. Si aliqua fuerit inflammatio cum tanta meatuum augustatione, vt nihil extrà effundatur, ne cesse est illam esse & cõcoctu difficilem, & longo tempore perdurare, vbi terminos concoctionis paulò inferius docet. Nam crudissimus, inquit, morbus est, in quo nihil expuitur: secundus in quo sanies tenuis est: tertius in quo crassior: quartus in quo perfectam habet concoctionem, id est maturationem. Vide tamen etiam Galenum de hac maturatione, secundo de victu in morb. ac. comment. 45. fusius loquentem. De digestione Gale. 6. de sympt. cau. cap. 2. Igitur alimenti per corpus digestio, Græci ἀναδοσιν vocant, inter naturalia opera numeratur, quum ex ventriculo in iecur, atque ex hoc in vniuersum corpus alimentum digeri-

4 Adſerere, humores calidos ac tenues non præparatione prius indigere, quàm euacuentur.

5 Adſerere, humores craſſos cum extenuantibus ac inuidentibus eſſe maturandos & concoquendos.

Confutatio diſſentientium circa concoct. & digeſt.

Gal. lib. finit. med. Digeſtio eſt concocti ac confecti, & in ſanguinẽ conuerſi alimenti in corporis particulas omnes attractio, quam natiuus color molitur. Igitur non humorum eſt alteratio.

Obiectio.

Quum duplex ſit digeſtio, altera alimentorum, altera humorum ſiue excremẽtorum, cur exemplum tantùm affers de digeſtione alimentorum?

Reſponſio.

Exemplum tantùm adduxi de alimentis, quoniam digeſtio etiam excrementorum eſt veluti ſegregatio, quæ non minus quã prima à calore innato perficitur: nec per alterationem, vt nonnulli putarunt, conficitur, ſed per ea quæ calorem innatum roborant.

Ad ſecundum: Galen. 3. de ratione vic. in morb. ac. comment. 29. Concoctioni perpetuò calidum opitulatur, confertque: frigidum

dum verò renititur & aduersatur.

Obiectio.

Ergo bilioſi humoris concoctio non fiet à frigidis.

Reſponſio.

Circa nomen deciperis: nam bilioſi humoris non dicitur concoctio, ſed potius alteratio, quæ nullo pacto vel concoctio vel digeſtio dicitur: nam nec flaua bilis, nec atra in ſanguinis ſubſtantiã redire poſſunt, teſte Galeno 2. de vict. in morb. ac. comment. 31. ſed in contrarium alterati, niſi fortè pro digeſtione vel concoctione intellexeris à natura euinci, quæ euictio dici poteſt maturatio, ſiue imperfecta concoctio.

Ad tertium: Quæcunque fiunt à diuerſis cauſis, inter ſe ſunt aliena: ſed præparatio, concoctio & digeſtio fiunt à diuerſis cauſis: ergo ſunt inter ſe aliena. Quòd verò fiant à diuerſis cauſis, probatur: nam concoctio & digeſtio fiunt à natura, præparatio autem tantùm ab arte.

Ad quartum: Gal 1. de ſanit. tuend. circa finem. Quòd ſi vel craſſitudinis, vel abundantiæ, vel lentoris excrementorum vitio meatus obſtructi ſunt, tenuatoria victus ratio his competit.

Obiectio.

Non poſſum capere, quo pacto in humore

Loci consentientes ex vera Medicina.

Hippocrat. primo aphorismorum, aphoris. 15. Ventres hyeme & vere natura calidissimi sunt, & somni longissimi, quare per ea tempora alimenta copiosiora sunt exhibenda. Etenim tunc calor innatus plurimus est, vnde & pluribus eget alimentis. Indicio sunt ætates & athletæ. Galen. in comment. huius aphoris. Non parum, inquit, conducunt anni tempora ad victus rationem inueniendam: nam hyberno tempore plus appetunt homines, & cibum facilius concoquunt: contrà in æstate, &c. Hippocrat. aphoris. 1. aphorismo 18. A æstate & autumno cibos difficillimè ferunt, hyeme facillimè, secundum locum ver habet, &c. Hippocrat. aphorism. 1. aphoris. 17. Et quibus semel & bis, & quibus plura, ne cur pauciora particulatim oporteat afferre considerandum, condonandum est aliquid tempori, ætati & consuetudini. Galen. in Comment. huius aphorismi, A tempore & ætate, & aliis, quæ sunt proportionalia victus, accipitur hoc modo æstiuo tempore, quantum ad temporis rationem attinet, sæpius & pauca danda sunt. Hyberno tempore ob virium robur multa, sed rarò, &c.

De victus ratione à ciborum qualitate sumpto.

Quæcunque præter naturam sunt, contrarias in victus ratione indicationes expostulant: quæ verò secundum naturam sunt, similes. Nam morbus calidus & siccus, cibum frigidum & humidum expostulat: calidus & humidus frigidum & siccum: frigidus & siccus calidum & humidum, & sic de reliquis. Similiter similia similibus conseruantur, seruata tamen quantitate & qualitate eadem inter se.

Loci consentientes ex vera Medicina.

Hippocrat. aphor. 1. aphor. 16. Victus humidus omnibus febricitantibus confert, maximè verò pueris, & aliis qui tali victu vti consueuerunt. Galen. in comment. Primùm qualis sit adhibendus victus febricitantibus monstrat: deinde quòd victuum συστατικὰ indicationes iis quæ præter naturam sunt, contrarias: iis verò quæ sunt secundùm naturam similes facere oporteat, &c.

Gal. 8. meth. cap. 9. Dictum sæpenumero est, id quod secundùm naturam est, similia semper postulare, quod præter naturam est, contraria: siquidem quod naturaliter se habet, custodire: quod præter naturam

est, tollere oportet. Porrò febris præter naturam est, ideóque victus rationem frigidam & humidam exigit, &c.

De vniuersali ac particulari victus ratione.

Vniuersalis totius victus ratio est, quæ ad duos medendi scopos, ad morbi scilicet vigorem, & ad ægrotantis vires respicit. Sed particularis est, quæ morborum accessiones in cibando cauere studet, ita vt nec quando accessiones adsunt, nec quando futuræ sunt, quicquam exhibeatur, cauendo tum ea interim quæ inediam ferre non possunt corpora, nam & in ipso febris principio cibanda sunt.

Loci consentientes ex vera Medicina.

Gal. aphor. 1. aphor. 11. totius victus rationem à duabus intentionibus, ex totius morbi vigore, & ex viribus ægrotantis assumere iussit. Quòd autẽ quispiam particulatim cibũ afferat cõuenienter, in hoc docet sermone, caueri iubens morborum accessiones. Et comment. 12. Totius victus figuram ad duas respiciens intentiones faciebat, quarũ altera vis ægrotantis, altera constitutio morbi: particulares autem oblationes ex accessionibus cõiecturabantur, &c. Hippoc. aphoris. 1. aphoris. 11. In accessionibus

absti

abstinere oportet: nam cibum dare, nocuum: & quibus per circuitus fiunt accessiones, in ipsa accessione abstinere oportet.

Auic. quarta primi, cap. de cib. feb. Et de corporibus sunt corpora cholerica quæ requirunt regimen diuersum ab illo quod diximus. Ipsi enim quum non cibantur in ipso febris principio, aut in hora status, quæ est prauior, tunc non vacuæ sunt dispositiones eorum à duabus rebus: nam si sunt debilium virium, supervenit syncopis, & moriuntur in paroxismo: si verò fortium virium, cadunt in exteruationem. Igitur hæc corpora cauenda sunt, quæ ferre inediam non possunt. Galen. meth. 10. cap. 5. Aliquos verò eorum cibabis, & quum inuasura adhuc est febris, & quum incipit: sint porrò hi sicco ac calido temperamento, &c.

Authores erronei dissentientes circa rationem victus.

1 Adserere, plenum victum in omnibus morbis conuenire.

2 Adserere, tenuẽ victum in omnibus morbis esse pleno præferendum.

3 Adserere, victum plenum vt crassum in diuturnis morbis non esse necessarium.

4 Adserere, victum tenuissimum in nullis morbis esse exhibendum.

5 Adserere, victus scopum sumi tantùm debere

debere à viribus, non à morbo.

6 Adſerere, eſſe incipiendum à tenuiori victu in principio morbi, & procedendum ad pleniorem.

7 Adſerere, qualitatem & non quantitatem eſſe tantummodo conſiderandam, & econuerſo.

8 Adſerere, in febribus carnem, præſertim delicatis, non eſſe præbendam.

Confutatio diſſentientium circa rationem victus.

Ad primum: Hippoc. aphoriſ. 1. aphoriſ. 7. Vbi morbus peracutus eſt, ſtatim extremos habet labores, & extremè tenuiſſimo victu vtendum. Igitur plenus victus in omnibus morbis non conuenit. Galenus præterea hoc ipſum atteſtatur in commento.

Ad ſecundum: Hippoc. aphor. 1. aphor. 4. Victus tenuis atque exquiſitus in morbis quidem longis ſemper, in acutis verò, in quibus non conuenit, periculoſus. Igitur in omnibus morbis pleno non eſt præferendus. Præterea Gal. in hoc comment. In ſanis ſeruandum robur vel augendum monet, in ægris rarò augendum, in longis morbis conſeruandum, in acutis mediocriter debile ſeruandum. Quare ſicuti in acutis tenuis, ita in longis plenus erit præferendus.

Ad tertium: Hippoc. aphoriſ. 1. aphor. 7.

Tantum

Tantum cibi indulgendum est, quanto morbus extremis molior est. Galenus in comment. præcipit tantum à victus tenuitate declinare, quantum morbus ab extremis recedit. Igitur quanto tardiorem ferè morbi statum iudicabimus, tanto magis crassiori victu vtemur.

Ad quartum: Hippoc. aphor. 1. aphor. 6. Extremis morbis extrema exquisitè remedia optima sunt. vbi Gal. inquit, Hippocratem præcipere, exquisitissimam curationem & victum pariter adhiberi tenuissimum. Igitur victus tenuis in his morbis erit exhibendus.

Ad quintum: Gal. 1. aphor. comment. 12. Cùm igitur tres essent intentiones ad perfectam & indeficientem victus rationem, Prima quidem sumpta ex viribus ægrotantis: Secunda, ex morbi constitutione: Tertia ex particularibus accessionibus, assumi debet, &c. Igitur non tantùm à viribus, quantum à morbi constitutione, scopus rationis victus assumi debet.

Ad sextum: Gal. aphor. 1. comment. 7. In morbis, qui sunt suum vigorem posterius accepturi, non licet ab initio afferre tenuissimum victum. Nam prius homo è vita migrarit, quàm morbus in suo vigore consistat.

Ad

Ad septimum : Hippoc. aphor.1. aphor.9. Coniectari oportet, an æger cum victu sufficit perdurare, &c. Et aphor.13. Senes facillimè ieiunium tolerant, &c. Et aphoris. 15. Ventres hyeme & vere natura calidissimi, &c. In omnibus his locis loquitur de quantitate victus instituendi, quæ à virtute, ab ætate, à tempore sumenda est. Igitur quantitas est considerandа. Et particulariter Gal. 1. de art. cur. cap 9. Quantitas cibi tanta sit, vt bene concoqui valeat. De qualitate iam dictum est superius.

Ad octauum : Gal. 1. de art. cur. ad Glau. cap. de feb. tertiana, concedit ex piscibus saxatiles, ex volatilibus quæ molli carne consistūt, ita & gallorum testiculos, & suum pedes & cerebra, præsertim delicioſis.

De parte Pharmaceutica.

Medicatio bifariam diuisa est, in euacuationem, & in alterationem. Euacuatio fit multifariam, vel per sectionem venæ, per clysteres, per vrinas, per secessum, per sudores, per diuersionem & deriuationem, per menstrua, pér hæmorrhoidas, per nares, per palatum. Alteratio verò erit duplex, vel secundum qualitatem, vel secundum locum. Alteratio secundum qualitatem nihil aliud est, quàm mutatio eius, quæ prius fuit, qualitatis : mutatio verò secundum locum non

altera

alteratio dicitur, sed potius latio, quę est prioris loci muratio: alterationis verò species cõcoctio existit.

Loci consentientes ex vera Medicina.

Indicatio huiuscemodi est euacuatio & alteratio, inquit Galen. in art. medic. cap. 8. 9 Euacuationes verò fiunt & per sanguinis missionem, & clysteris vsum, & per vrinæ vias, atque eam, quæ fit per cutem, transpirationem, ac per eam, quæ fit ad partes oppositas, attractionem, & ad alias propinquas deriuationem, &c. Gal. primo de naturalibus fac. cap. 1. Nec ea modò quæ in colore & sapore mutantur, alterari dicimus, sed si quid ex calidiore fit frigidius, & econtrà: nam commune nomen alteratio est. At genus aliud est in corporibus quæ situm mutant, cui latio nomen est: hi duo motus sunt simplices, scilicet alteratio & latio: sed compositi ex quibus alteratur substantia, sunt diminutio, auctio, generatio & corruptio, &c. Vide etiam de his secundo meth. & primo de loc. aff. Quòd verò alterationis species sit concoctio, vide Galenum in art. med. cap. 89. & fusius secũdo, & tertio de nat. fac.

Quo

Quomodo alteratio, concoctio, & humorum præparatio ac digestio inter se differant.

Quid sit alteratio iam dictum est. Concoctio verò duplex est, altera quæ penes alimenta perficitur, & est mutatio in propriam eius quod mutatur qualitatem: altera, quæ improprie maturatio dicitur, est quædam in concoquentis substantiam eius quod concoquitur deductio. vnde Concocta etiam dicuntur, quæcunque à natura euicta sunt, Cruda verò quæ nondum euicta. Digestio verò est veluti quædam alimenti distributio. Nam Græci ἀνάδοσιν, id est, cibi distributionem per totum corpus à natiuo calore facti dicunt. Interdum sumitur digestio pro discussione excrementorum seu pro segregatione, quæ à facultate expulsoria & attractoria perficitur, vnde à concoctione differt in particula. Differt etiam, quia concoctio ad digestionem præire solet, vel quia à diuersis facultatibus vtraque fit: alteratio autem, quum sit humorum in qualitate mutatio, quomodo ab his differat, iam notum est. Solùm enim in iis morbis alteratio conuenit, qui non amplius ab aliqua causa fouentur, sed tantùm contrariis remediis indigent, vt hectica & diaria febris: & hæc perficiuntur absque concoctione

ctione, digestione, & præparatione. Quid autem sit præparatio, vide de obstructione superius.

Loci consentientes ex vera Medicina.

Gal. 2. de fac. nat. cap. 4. Concoctio est alteratio quædam, ac nutrientis in propriam qualitatem eius quod nutritur, mutatio. Similiter 3. de nat. fac. cap. 4. & 7. & 8. eiusdem libri asserit. Quòd verò concoctio significet maturationem, videri potest aphoris. 1. comment. 12. vnde Galenus. Si aliqua fuerit inflammatio cum tanta meatuum augustatione, vt nihil extrà effundatur, necesse est illam esse & cōcoctu difficilem, & longo tempore perdurare, vbi terminos concoctionis paulò inferius docet. Nam crudissimus, inquit, morbus est, in quo nihil expuitur: secundus in quo sanies tenuis est: tertius in quo crassior: quartus in quo perfectam habet concoctionem, id est maturationem. Vide tamen etiam Galenum de hac maturatione, secundo de victu in morb. ac. comment. 45. fusius loquentem. De digestione Gale. 6. de sympt. cau. cap. 2. Igitur alimenti per corpus digestio, Græci ἀναδοσιν vocant, inter naturalia opera numeratur, quum ex ventriculo in iecur, atque ex hoc in vniuersum corpus alimentum digeri-

tur: & sic digestio sumitur pro distributione. Gale. 3. prognost. cõment. 23. in fine comment. Humores tenuiores ac calidiores ad excretionem parati sunt, crassi verò & crudi ad abscessum vel ad digestionem: porrò idipsum vt per concoctionem medeatur, excretio quædam est, quæ ex vrina plerunque, raróque per aluum efficiatur. Quòd concoctio præcedat digestionem siue segregationem, hoc habes ex primo aphor. comment. 22. Siquidem, inquit Galenus, ante concoctionem non medicari oportet: nam post concoctionem natura euacuationi adminiculans humores discernit, & superfluitates expellit: quare concoctio ad digestionem præcedit. Præterea Gal. aphor. comment. 22. Quando aliquis morbus incipit, si quid excernitur, nihil excernitur tunc naturæ ratione: quia cùm à causis morbum facientibus grauatur, & crudítas humorum adest, tunc aliquid bene euacuari est impossibile: siquidem oportet concoctionem præire, subsequi verò discretionem, deinde euacuationem, &c. Gal. meth. 11. cap. 9. Quum dictum sit contrariorum contraria esse remedia, quid vetat omnibus febricitantibus frigidam vno ordine exhibere? Nam ostensum est, ipsius febris, prout febris est, aquam frigidam semper esse remedium: quod verò

ad alia ſpectat, non ſemper, id eſt: febris prout calor eſt, frigido indiget, id eſt, alterari ad frigidum: ſed vbi alia fuerit cauſa quá calor, non alteratione, ſed & præparatione indigebit, &c.

Obiectio.

Quum quis dixerit excrementum crudum vel concoctum, de qua concoctione intelliget, præſertim ſi tale excrementũ mutatum nutrire non valeat?

Reſponſio.

De vniuerſaliori ſignificato intelliget: nam Gal. 2. de vic. in morb. ac. comment. 45. Generali, inquit, concoctionis ſignificato vtimur, quum vel catarrhũ, vel coryzam, vel fluentes ex his humiditates, vel eas quæ ex oculis manãt, aut crudas aut coctas eſſe dicimus, quæ concoctio eſt, quum natura humores euincit.

Authores erronei diſſentientes circa digeſtionis, concoctionis, & humorum præparationem.

1 Adſerere, digeſtionem eſſe humorum alterationem.

2 Adſerere, concoctionem à frigidis fieri,

3 Adſerere, præparationem à digeſtione & à concoctione non eſſe alienam.

4 Adſerere, humores calidos ac tenues non præparatione prius indigere, quàm euacuentur.

5 Adſerere, humores craſſos cum extenuantibus ac inuidentibus eſſe maturandos & concoquendos.

Confutatio diſſentientium circa concoct. & digeſt.

Gal. lib. finit. med. Digeſtio eſt concocti ac confecti, & in ſanguinẽ conuerſi alimenti in corporis particulas omnes attractio, quam natiuus color molitur. Igitur non humorum eſt alteratio.

Obiectio.

Quum duplex ſit digeſtio, altera alimentorum, altera humorum ſiue excremẽtorum, cur exemplum tantùm affers de digeſtione alimentorum?

Reſponſio.

Exemplum tantùm adduxi de alimentis, quoniam digeſtio etiam excrementorum eſt veluti ſegregatio, quæ non minus quã prima à calore innato perficitur: nec per alterationem, vt nonnulli putarunt, conficitur, ſed per ea quæ calorem innatum roborant.

Ad ſecundum: Galen. 3. de ratione vic. in morb. ac. comment. 29. Concoctioni perpetuò calidum opitulatur, confertque: frigidum

dum verò renititur & aduersatur.

Obiectio.

Ergo bilioſi humoris concoctio non fiet à frigidis.

Reſponſio.

Circa nomen deciperis: nam bilioſi humoris non dicitur concoctio, ſed potius alteratio, quæ nullo pacto vel concoctio vel digeſtio dicitur: nam nec flaua bilis, nec atra in ſanguinis ſubſtantiã redire poſſunt, teſte Galeno 2. de vict. in morb. ac. comment. 31. ſed in contrarium alterati, niſi fortè pro digeſtione vel concoctione intellexeris à natura euinci, quæ euictio dici poteſt maturatio, ſiue imperfecta concoctio.

Ad tertium: Quæcunque fiunt à diuerſis cauſis, inter ſe ſunt aliena: ſed præparatio, concoctio & digeſtio fiunt à diuerſis cauſis: ergo ſunt inter ſe aliena. Quòd verò fiant à diuerſis cauſis, probatur: nam concoctio & digeſtio fiunt à natura, præparatio autem tantùm ab arte.

Ad quartum: Gal 1. de ſanit. tuend. circa finem. Quòd ſi vel craſſitudinis, vel abundantiæ, vel lentoris excrementorum vitio meatus obſtructi ſunt, tenuatoria victus ratio his competit.

Obiectio.

Non poſſum capere, quo pacto in humore

tenui præparatio fieri debeat, quum huic humori nec incisio, nec alia præparatio competat, sed ratione sui possit euacuari.

Responsio.

Præparatio quatuor in partes diuisa est, quarum prima est crassorum humorum præuisio siue extenuatio: secunda est meatuum obstructorum reseratio: tertia est quæ humectantibus ac laxantibus, vtputa quiete, & alimentis, & balneis perficitur, de qua loquitur Hippoc. aphor. 4. aphor. 13. vbi iubet ante epotum veratrũ corpus præhumectandum esse cibis, balneis, & quiete. Quarta est humorũ multitudinis obstruentis, ac omnia vasa replentis apertio. Quare dicimus si non ratione humoris crassi, vel ratione meatuum obstructorum, siue à crassitie, siue à copia, saltem ob eam quam nobis monstrauit Hippocrates, vt mollius corpus reddamus, præparationem molimur.

Ad quintum: Quæcunque maturantur, coguntur ac incrassantur, teste Galeno 4. de ratione vict. in mor. ac. vbi inquit, Necesse est, quæcunque concoquuntur ac cuincuntur, cogi ac incrassari. Igitur non extenuari nec incidi debent. Præterea Gal. lib. de totius morbi temporibus, adserit, vrinam, sputum, lippitudines, & omnes humores, qui à cerebro per palatum & ner-

uos de

uos defluũr, esse ab initio aqueos tenuésque: quum verò temporis processu cõcoctionem adsumunt, crassiores euadere & pauciores. Et sic quæcunque maturantur, crassiora euadunt. Similis sententia habetur ab ipso Hippoc. prognost. 2.

De euacuatione per sectionem venæ.

Venæ sectio est vniuersalis euacuatio, quæ auctionem humorum super æqualitatem venis exuberantium euacuat. Verum est, quòd plenitudo non semper de sectione venæ indicat: nam hæc ipsa ab humoribus crudis fieri potest, qui sectionem venæ haud quaquam expoſcunt. Indicatio sectionis venæ sumitur à magnitudine morbi, à virium robore, considerata tamen ætate puerili vel senili, & aëre nos ambiente calido vel frigido. Sumitúrque indicatio ab ipsa patientis temperie, ab habitu totius corporis, à loco habitationis, ab anni temporibus. Fit sectio venæ ob duas causas: aut quia sanguis inutilis est, & suam qualitatem non seruans, nutrire non valet: aut quia vires premit, aut venas & arterias distendit, findit & obstruit. Tempus incisionis erit, si fieri potest, à principio morbi: sin minus, dummodo morbus sectionem requirat, nullus dierum numerus erit con-

siderandus, sed vsque ad quatuor dies erit factitanda sectio. Quantitas extrahendi sanguinis erit, quousque color mutabitur, aut virium robur sustinebit, & in virium imbecillitate aut dimittenda est, aut partiri expediet. Venæ secandæ sunt in capitis passionibus exteriores, à collo infrà interiores, à renibus infrà quæ per malleolos ac poplites decurrunt.

Loci consentientes ex vera Medicina.

Auic. quarta primi, cap. de phlebot. Phlebotomia est euacuatio vniuersalis, quæ multitudinem euacuat. Multitudo est augmentum humorum super æqualitatem ipsorum in venis. Gale. de cur. ratione per sang. missionem, Sin infesta sit degrauans plenitudo, haud semper sanguinis mollienda detractio est, cuius rationem paulò inferius reddit. Auic. loco allegato itidem asserit, inquiens, Et debes scire, quòd quorienscunque fuerint plethoria, non debes phlebotomare, quoniam repletio quandoque ex humoribus crudis fieri potest: quòd si minueris, non maturabis eos, & timebitur ne æger perdatur, &c. Gal de cur. ratione per sang. miss. cap. 20. Scopi in mittendo sanguine sunt, morbus ingens, robúrque virium, excepta ætate puerili, & aëre

nos ambiente valde calido. Et cap.13. eiusdem lib. Morbi itaque magnitudo cum virium robore, primi erant mittendi sanguinis scopi. Idémque asserit meth.4. cap.6. & meth. 9. cap. 5. Itidem quarto de ratione vict.in mor.ac.comment.24. Similiter Hippocr. eodem lib. cap.19. atteſtatur. Gale.de cur. ratione per ſang. miſſ. cap. 13. Deinde conſiderandum, quæ ſit naturalis hominis temperies: nam quibus amplæ ſunt venæ, quíque modicè graciles ſunt, nec candidi, nec tenera carne præditi, copioſius euacuabis,&c. Et meth.9.cap.17.enumerat conſuetudinem, ætatem, locum habitationis, anni tempus, & laborantis vires. De tempore ſectionis habetur Galeni textus de opt. ſect. ad Thraſybu. cap.37. Plerunque, inquit, remedia vt purgationem & ſanguinis miſſionem adhibemus, quum morbus quidem non adeſt, ſed futurus timetur. Et paulò inferius, Age enim, inquit, in decremento iunctio, cataplaſma & cibus adhibetur, & iſtorum cuiuſque eſt propriū tempus: ſed in initio ac morbi incremento ſanguis mittitur. Et de cur. ratione per ſang. miſſ. Non numero tantùm animaduertes, quod quidam faciunt, ſed & corporis habitui: nam ſunt qui ſeptuaginta annos nati ſunt, & ſectionem perferunt. Gal. 9. meth.

cap.11. Sanguis, inquit, naturæ inutilis fieri poteſt bifariam, vel ſui qualitatem non ſeruans, vt amplius nutrire non poſſit, aut vires premat, aut venas & arterias diſtendat, findat & obſtruat. Gale. de cur. ratione per ſang. miſſ. cap. 20. Igitur vniuerſim hoc ſciendum in ſanguinis miſſione, dierum numero haud attendendum, &c. Et paulò inferius. Quocunque die mittendi ſanguinis ſcopos in laborante inueneris, in eo auxilium illud adhibeto, etiam ſi is vel vigeſimus ab initio extiterit. Et Auic. quarta primi, cap. de phleb. Non attendas quod quidam dicunt, quòd non eſt bonum poſt quartum diem vt fiat phlebotomia, quoniam bonum eſt, vt fiat etiam ſi fuerit poſt quadraginta dies. Hippo. 2. de ratione vict. in morb. ac. cap. 10. Eouſque auferendus eſt ſanguis, donec rubidior multò, vel pro puro rubidóque liuidus fluxerit. Similiter Auic. quarta primi, cap. de phleb. à coloris mutatione, & à leuitate & laxitate pulſuum ſignum ponit. Almanſor lib. 7. cap. de phlebot. & Haly Abbas lib. 9. cap. de phleb. dicunt, quòd non debemus conſiderare mutationem ſanguinis, niſi in calidis apoſtematibus, vt in pleureſi, quod verum eſt. Nam Gal. lib. de curandi ratione per ſang. miſſ. cap. 14. inquit, In quibus iuxta ſectam

venam

vénam phlegmone est ingens, optimum est sanguinis & in colore & consistentia mutationem expectare, &c. Et paulò inferius, Non semper hæc expectanda est, sed antequàm mutatio fiat, cessare conuenit, tum ob infirmas vires, tum ob phlegmones paruitatem. Gal. de curandi ratione per sang. miss. cap. 12. Vbi multa euacuatione est opus, & vires sunt imbecilliores, in his euacuationem partiri expedit. Et Auic. ca. de phleb. Cùm phlebotomia fuerit necessaria cum debilitate virtutis, partire phlebotomiam sicuti diximus. Gal. loco allegato cap. 16. Igitur interior vtilis est in his, quibus inferiores collo partes patiuntur: exterior verò in iis, quibus quæ his superiores sunt, vt facies & caput, &c.

Authores dissentientes circa sectionem venæ.

1 Adserere, sectionem venæ non nisi manè esse committendam.

2 Adserere, obstructionem & putredinem esse causam mittendi sanguinem.

3 Adserere, sectionem venæ non competere morbo non assistente.

4 Adserere, in die iudicatoria sectionẽ venæ fieri debere.

5 Adserere, sanguinis detractionem visum habetare.

Adse

6 Adſerere, in plenitudine ſectionem venæ ſemper eſſe perpetrandam.

7 Adſerere, fluente aluo eſſe mitttendum ſanguinem.

8 Adſerere, nullum eſſe temporũ anni diſcrimen in ſecanda vena.

Confutatio diſſentientium circa ſectionem venæ.

Ad primum: Gal. de cur. ratione per ſang. miſſ. cap. 12. Quamobrem nec per noctem ſanguinẽ mittere verearis: ſi quidem ridiculum eſt, quod quidam factitant, à ſecunda diei hora ad quintam aut ſextam ſolummodò ſanguinem mittentes, haud alio quouis tempore, &c.

Ad ſecundum: Gal. ii. meth. cap. 14. Nec obſtructio, nec putredo cauſa eſt mittendi ſanguinem, ſed ſuccorum redundantia: nam nec obſtructio, nec putredo per ſanguinis miſſionem curari poſſunt, vt quæ alia remedia deſiderent.

Ad tertium: Gal. de opt. ſect. ad Thraſyb. cap. 37. Plerunque, inquit, remedia, vt purgationem & ſanguinis miſſionem adhibemus, quum morbus quidem non adeſt, ſed futurus timeatur.

Ad quartum: Auic. quarta primi, cap. de phleb. Neque phlebotomia, neque ventris ſolutio fieri debet in die motus ægritudinis,

dinis, nec quum ægritudo est crisim habitura, sed si possibile fuerit, quies est habenda. Habes etiam in hoc aphorismum vigesimi primi, ibi, Quæ iudicantur vel iudicata sunt, &c.

Ad quintum; Gal. de cur. ratione per sang. miss. cap. 7. Sunt quidam imbecillioribus oculis aut scotomacis, in quibus sanguis abundare dicitur: hos omnes euacuabis, vel medicamento purgante, si alij à sanguine humores sint, aut diminutione sanguinis. Et sic sanguinis detractio conuenit, nec hebetat, sed viuidiores reddit.

Ad sextum: Gal. 4. de vict. in morb. ac. comment. 19. Plethoria nō semper sanguinis missione curanda, sed & frictione, balneis multis, abstinentia: faciunt etiam quæcunque recitata sunt superius ex Galeno & Auicenna ad hoc probandum.

Ad septimum: Hippo. 4. de vict. in morb. ac. cap. 118. Si cuipiam sanguinē auferre confert, ventrem confirmare oportet, & ita auferre, &c. Et Gal. hoc in loco, Fluente aluo, inquit, sanguinem ne detrahas, ne perseuerante fluore virtus prosternatur.

Ad octauum: Gal. ad Glauc. cap. 14. Qui omnino de temporum statu nihil cogitantes sanguinem abstulerunt medici, hos omnes interemerunt. Et quarto de vict. in mor. ac. com

ac. comment. 19. Si abundè aër calidus & siccus fuerit, tunc à sanguinis missione abstinemus, etiam si morbus magnus fuerit & ætas florens.

De purgatione per medicamenta soluentia.

Purgatio est humorum, qui sua qualitate molestant, euacuatio: ob idque purgans dicitur, quia sanguinem ab excrementis purgat. Hæc purgatio ab ipso Hippocrate vocatur vasorum inanitio, ab euentu: nam omnia vasa inaniri euenit in omni euacuatione. Intentio euacuationis non solùm humorem superabundantem respicit, sed & vires & naturam illius qui debet euacuari. Ad euacuationem quatuor requiruntur: primum, robur virium: secundum, quòd materia non sit crassa nec viscosa: tertium, quòd meatus non sint obstructi, sed aperti: quartum, quòd nullum adsit apostema intrinsecum, nec illa sint extensa, nec materia sit in aliqua parte firmata, sed à natura sit euicta. Quantitatem purgantis medicamenti, quæ præberi debeat, ignoramus. Verùm tantum medicamenti erit propinandũ, quantum in plurimis mediocriter euacuari noueris. Non fiat igitur euacuatio nimia, quoniam periculosa est. Qualitas verò medicamenti ea sit eligenda, prout natura redun-

dan

dantis succi exposcit: nam si flaua bilis, vel pituita abundet, quæ flauam bilem vel pituitam educat, tempus purgandi erit ab initio morbi, si humores turgeant: si verò in aliqua parte firmentur, vel crudi sint, eousque morandũ in purgando, donec à natura euincantur siue concoquantur: vel eo tempore euacuãdum, quo superfluitates natura expellere conatur: nam tunc ad id, in quo natura deficit, supplere debet medicus. Tempus verò particulare erit, vt purgationes in accessionibus morbi fiant per superiora, & in remissionibus per inferiora. Si multa simul purgantia pharmaca miscueris, fac sint congenera, vt simul eodem tempore soluant: vitandáque est medicamenti insuauitas, & eius vehementia moderanda, quanquam decem sint, quæ in purgatione sunt consideranda, vt repletio, virtus, complexio, accidentia, figura, ætas, tempus, dispositio aëris & regionis, consuetudo euacuandi, &c.

Loci consentientes ex vera Medicina.

Gal. aphor. 1. comment 1. Euacuatio est humorum, qui sua qualitate molestant, purgatio. Et in lib. de purg med. fac. Purgans pharmacum ob id dicitur, quia à recrementis purum sanguinẽm reddat. Gal. aphor. 1. comment. 3. Intentio quantitatis euacuationis

non

non solùm humorem respicit superabundantem, sed & vires hominis, qui debet euacuari. Nam alij minus, alij magis perferunt euacuationes. Idem etiam asserit aphoris. 4. comment. 2. Gal. aphor. 1. comment. 24. Considerare oportet, nunquid æger idoneè se habeat ad purgationem. Nam quicunque multa cruditate laborant, vel qui tenaces ac crassos cibos assumpserunt, & quibus ὑποχόνδρια extenta atque inflata sunt, aut aliqua viscerum adest inflammatio, omnes ij non sunt apti ad purgationem. Et aphor. 1. comment. 3. In omni euacuatione vires ægroti oportet attendere, & donec laborans tolerat, humorem exuberantem educere: quum verò dissoluuntur, etiam si remaneant superfluitates, cauere oportet eorum euacuationem. Itidem Auic. quarta primi, cap. 5. asserit. Adiungit etiam, quòd fastidium habentibus molestæ sint purgationes. Gal. de cur. ratione per sang. miss. cap. 12. Quòd laboranti præbendum sit medicamen, aut bilem tum flauam, tum atram, aut pituitam, aut serosam excrementum euacuans exactè nouimus. Cæterùm quantum præberi debeat, nescimus. Similiter in lib. de sect. ad eos qui introducuntur, cap. 5. asserit. Et aphor. 1. comment. 23. Quantitatis euacuationis

nullum

nullum habemus indicium, nisi ex tolerantiæ facilitate. Gal. Aphor. 2. comment. 22. Euacuatio nimia morbum parit. Et Hipp. Aphor. 1. Aphor. 3. Sic & euacuationes quæ ad extremũ deducunt, periculosæ. Et Auic. quarta primi, cap. 3. Et scito, inquit, quòd residuum materiæ dimittere, quod necesse erat euacuare, est minus nocuum, quàm exquisitè euacuare: ibi etiã omnis euacuatio superflua secundum plurimum febres generat. De qualitate euacuationis Hipp. apho. 1. Aphor 2. Si talia purgẽtur, qualia purgari oportet, confert, & leuiter ferunt. Gale. in comment. Sermo est de eorum qualitate, quæ euacuantur. Si igitur pituita superabundet, hanc omnino oportet euacuari: flaua autẽ bile vel atra infestante, demissa pituita, bilem euacuandã, &c. Hipp. Apho. 1. Aphor. 22. Concocta medicari, atque mouere non cruda, modò non turgeant, plurima verò non turgent. Et Gal. in comment. Tales humores euacuare cõuenit, qui agitantur, & de loco ad locum mouentur ac transfluunt: qui verò in aliqua parte firmati sunt, neque alio auxilio moueri oportet, neque medicari ante cõcoctionem. Et paulò pòst. Si natura mediocrius atque imbecillius agat, id quod deficit, oportet supplere: nam natura expellente, & medicamento

attrahẽte, humoris noxij euacuatio fiet. Et Auic. quarta primi, cap. 3. In acutis ægritudinibus maturationem expectare melius est, quàm euacuare, præcipuè si quieræ fuerint. Quòd si moueantur, ad euacuandum festina: nam impedimentum eius motus est maius, quàm suæ euacuationis. Gal in lib. quos purgare oportet, Purgandi occasio à temporibus morbi sumitur, vt puta purgationes in accessionibus per superiores partes, in remissionibus per inferiores conueniunt. Gal. in lib. quos purg. oportet. Purgantia medicamenta, si simul misceantur, congenera esse debent, id est eiusdem naturæ, vt eodem tempore soluant. Gal. lib. de comp. med. Per genera purgantis medi amenti insuauitas ac eius vehementia moderanda est. Auic. quarta primi. cap. 3. Decem sunt in euacuando consideranda: & enumerat omnia quæ dicta sunt. Primũ est repletio: nã nisi repletio supponatur, nulla opus esset euacuatione. Robur virtutis: nam vbi virtus deficeret, inanis esset euacuatio. Complexio: nam vbi nimis calida vel frigida foret, non competeret euacuatio. Similiter accidentia vehementia prohibent euacuationem: sic figura si sit raræ texturæ, ne spiritus resoluantur: sic ætas nondũ parata: sic ora regióque nimis calida vel frigida, vt

septentrionalis & meridionalis, sic ars laborioſa euacuationem non admittunt. Et Gal. lib. de sect. ad eos qui introducuntur, cap. 5. Euacuatio est plenitudini contraria, & contraria contrariorum sunt remedia: verùm vires, ætatẽ, tempus anni, & regionem, & alia antè enumerata prius considerare oportet, &c. Et de feb. ad Glau. cap. 14. Vbi fuerint vigiliæ vehementes, aut dolor intensus ægrotum infestans, cauendæ sunt subitæ ac malæ euacuationes. &c.

Authores erronei dissentientes circa purgationem.

1 Adserere, pharmaca non proprios humores attrahere.

2 Adserere, purgantia medicamenta à nutrimento non differre.

3 Adserere, nullo modo purgantia pharmaca in principio morbi esse exhibenda, nisi materia turgeat.

4 Adserere, purgantiũ pharmacorũ vsum etiam non valde indigẽtibus esse vtilẽ.

5 Adserere, in die critica nullo modo pharmacum esse præbendum.

6 Adserere, pharmacum nulla habita temporis anni ratione posse exhiberi.

7 Adserere, ob igneam caliditatem in febrium principio esse verenda pharmaca, etiam si materiæ copia adsit.

8 Adſerere, pharmaca purgantia æquè omnes indifferenter humores purgare.

9 Adſerere, euacuationē optimam eſſe, ſi copia humorum peccantiū extracta ſit.

Confutatio diſſentientium circa purgationem.

Ad primum: Gal. de element. 2. circa finem: Excuntia oſtendunt quàm proprium humorem quodlibet pharmacum attrahat. Quotieſcunque enim quis medicamentum hauſerit, quod vim habeat bilem euacuandi, vomitu huiuſcemodi humorem eiiciet. Et paulò infra. Ex quibus licet manifeſtè inferre, vnumquodque medicamentum, cui vis purgatoria ineſt, proprium attrahere humorem. Hoc idem etiam aſſerit primo de fac. nat. cap. 14. & de atra bile cap. 6. & 9.

Ad ſecundum: Gal. 3. de nat. fac. cap. 7. Porrò in hoc diſſidet medicamentum à nutrimento: nam medicamentum vim corporis vincit, nutrimentum verò ab hac vincitur. Et 3. de temp. cap. 2. At quæ quidem aſſimilantur, omnia nutrimenta vocantur, reliqua omnia medicamenta: vnde quatuor ſpecies medicamentorum enumerat. Prima, quæ non mutatur à corpore, ſed corpus mutat ac vincit. Secunda, quæ initium mutationis habet à corpore, deinceps putreſcit,

fcit, & putrefcendo corpus corrumpit ac putrefacit: & hæ duæ ſpecies medicamentorum venenoſorum ſunt. Tertia eſt, quæ corpus alterari facit, ſed mali nihil infert. Quarta ſpecies eorum eſt, quæ agunt & patiuntur aliquid, ſed per ſpatium temporis vincuntur & aſſimilantur: & hæc ſunt tam medicamenta, quàm nutrimenta, &c.

Ad tertium: Hippoc. Aphor 2. Aphor. 29. Cùm morbi inchoant, ſi quid videtur mouendum moue: cùm verò conſiſtunt ac vigent, melius eſt quieſcere. Vnde Gale. in comment. Vt melius hoc eueniat, melius eſt circa principium euacuare, quò minorem factam materiam natura poſſit facilius concoquere. Vnde hîc de multitudine loquitur Galenus, quæ euacuari in principio expoſtulat. Verum eſt, quòd etiam euacuatur in principio, ſi humorum mala qualitas adſit, vt in peſtilenti morbo videtur. Nam Galen. 9. de meth. præcipit, in corruptela humorum cum viribus imbecillis paulatim quod vitioſum eſt euacuare. Similiter quarto de ſanit. tuend. Sin, inquit, vires imbecilliores dehortantur, ſanguis haud mittendus eſt, ſed deiectio mediocris adhibenda. Euacuatur quoque in principio morbi, ſi locus læſus vrgeat, vt pleuritis, aut ſi in aliquo alio principe loco

materia decumbat. Nam. Hippoc. 2. & 4. de vict. in morb. ac. tex. 76. Si dolor sub thorace fuerit, & valde infestauerit, pleuretico ventrem subpurgabis. Similiter Galen. in comment. Si vehemens febris non sit, hominisque naturam noueris, ad medicamenti purgantis potum te conferes, &c. Euacutur etiam maximè si vehemens dolor alicu bi fuerit. Nam Galen. aphor. 1. commen. 23. In maximis doloribus nullum maius inueni remedium, quàm vsque ad animi defectum euacuare, &c.

Ad quartum: Galen. aphor. 3. comment. 15. Euacuatio per purgantia pharmaca valde indigentibus & ex longo interuallo vix vtilis est. Nam si quis vti voluerit bis vel semel in mense, veritus ne superfluitatum multitudo aggregetur, præter id quod nocebit, corpora etiam in malam trahet consuetudinem (quanquam Galen. de pharmamaco valde purgatorio intelligat) sed vti solutiuis, quæ sunt veluti siliquæ Aegyptiæ, Manna, Dactyli, Indi, quos Tamarindos vocant, succus rosarum, violarum, Myrobalani, Rheubarbarum & similia non esset tam grande peccatum, maximè si morbus fieret, factus vel faciendus hoc exposceret.

Ad quintum: Hippo. 4. de euict. in morb.

ac

ac.text 76. pharmacum exhiberi in quarta iubet. Vnde, inquit, si dolor valde infestauerit, pleuretico ventrem subpurgabis: veruntamen purgans medicamentum quarta die ministrabis, & tribus primis diebus clysteres exhibebis. Et Galen. in comment. non tantùm in prima, sed in tertia, & quarta se præbuisse pharmacum ait. Verùm id nota quod ipse inquit, Si minus dies iudicatorius expectetur, quocunque die hæc tutò præbebuntur, &c.

Ad sextum: Hippoc. Aphor. 4. Aphor. 5. Sub cane & ante canem difficiles sunt medicationes. Vnde Galen. reddens rationem, inquit: Nam purgatio praua fiet, quum calor aëris ambientis in partem trahat extrinsecam, contrariam ei, ad quam medicina ducit humores. Ex quibus dictis Galeni collige duos motus contrarios esse in medicina verendos.

Ad septimum: Gal. 9. meth. cap. 5. In quo morbo adest humorum abundantia & calor vehemens, ibi est inter ipsa sanandi remedia discrimen, vt si abundantiam euacuare, velis, febrem augeas: si febrem refrigerare, abundantiam moreris: & in hanc consilij inopiam deuenerunt, qui statim ab initio nō euacuarunt, &c.

Ad octauum: Galen. de atra bile, cap. 6.

At si verum esset omnes humores qui in vasis continentur, alteratos quidem à medicamento pro illius facultate æquè euacuari, simile vtique fuerit auxilium, ab aliquo horum medicamentorum purgari, & secta vena exinaniri. Cur igitur ὑδρέγωγα hydericis exhibemus, quum liceat vena secta sanguinem euacuare? Similis quoque sententia habetur eodem in lib. cap. 9.

Ad nonum: Hippocrat. Aphoris. Aphor. 23. Deiectiones non multitudine sunt æstimandæ, sed si talia deiiciantur qualia conueniunt, & ægri facilè tolerant. Vnde Gale. in comment. Quare non promptam eorum quæ euacuantur quantitatem oportet attendere, sed duas, quæ dictæ sunt significationes, si qualia oportet euacuantur, & si facilè tolerant.

Obiectio.

Antequàm pharmacum soluat, eríne dormiendum? Aut si solutionem tardauerit, eríne aliquid vltrà exhibendum?

Responsio.

Auic. quarta primi, cap. 5. respondet tuæ obiectioni, inquiens, Si medicina sit fortis, super eam dormiat, alioquin natura medicinam

cinam digeret, nec illico se mouere debet, sed cùm sedata fuerit anima, ambulet & moueatur.

Ad secundum, Auic. Si solutionem prolongauerit, bibat hydromel, vel supponatur clystere, cauendo tamen, ne duas medicinas ventrem soluentes in vna die coniungas: quoniam periculosum est & extra rectitudinem iudicij.

IOANNIS BACCHANELLI REGIENSIS,

De consensu Medicorum in curandis morbis, Lib. II.

Cephalæa descriptio.

CEPHALAEA est dolor diuturnus, difficultérque solubilis, qui per quosdam circuitus intolerabilem capitis passionem affert.

Loci consentientes de Cephalæa descriptione.

Galen. 3. de loc. aff. cap. 9. Est enim affectus hic, dolor diuturnus difficultérque solubilis, qui à parua occasione vehementes habet accessiones, vt neque strepitum, neque vocem, neque luminis splendorem, neque motum tollerare possit infirmus, sed tranquillitatem obscurúmque cubiculum quærat, &c. Similis sententia est in Galen. 2. de comp. medic per loc. capi. 2. Hanc passionem vocat Auicen. prima tertij, capi. 35. Ouum & Cauthati siue Alechude

chude quod interpretatur Galea, vt in correctione ex Andræa Belunensi, vel potius ex suis Auicen. commentatoribus apparet. Nam huic illa omnia tribuit, quæ à Galeno de cephalæa recitantur. Aët. ser. 6. cap. 48. ita bellè imitari Galenum videtur, vt nil aliud quã mera Galeni verba exprimat, quod identidem, sed breuiusculè agit Paulus Aeg. lib. 3. cap. 5. Cornel. Cels. lib. 4. cap. 2. In capite interdum acutus ac pestifer morbus est, quem κεφαλαίαν Græci vocant, dolórque est intolerabilis circa tempora vel occipitium, &c.

De loco affecto.

Cerebrum afficitur aut eius membranæ quas Græci μήνιγας vocant: interdum dolor intra caluariam se continet, interdum extra.

Loci consentientes de loco affecto.

Galen. 3. de loc. aff. cap. 9. Quæ cephalæa à Medicis nominatur, nemo dubitat quin cerebri sit morbus. Alexan. lib. 1. cap. 17. Fit ab inflammatione in caluariæ membranis ac cerebri pelliculis orta. Paulus lib. 3. cap. 5. Quibus intra caluariam morbus consistit, his dolor oculorum radices porrigit: quibus extra est, circa caluariam dolent. Idem Galen 2. de compo. medi per loc. capi. 2. asserit. Auicen. prima tertij, capit 35.

Fit

Fit ab ipso phlegmone in cerebro, aut eius velaminibus existente, &c.

De causis cephalææ.

Causæ sunt vel per se, vel per consensum. Si per se, vel erit primitiua, à Græcis προηγουμένη dicta, velut est ardor, frigiditas, ebrietas, plaga, &c. Antecedens, à Græcis προηγουμένη dicta, erit sextuplex: prima, humorum multitudo: secunda, partium capitis imbecillitas: tertia, obstructio meatuum: quarta, humorum mala qualitas: quinta, intemperies simplex: sexta, sensus exuberantia. Vel causa erit coniuncta, à Græcis συναίτιον, id est, concausa, cephalæam actu efficiens, & erit triplex: mala complexio, soluta continuitas, vel vtraque simul. Rursus mala complexio vel erit calida, vel frigida, ficca vel humida. Causæ malæ complexionis calidæ, sunt sanguis, bilis, pituita salsa. Causæ malæ complexionis frigidæ, sunt humores & vapores frigidi. Causæ malæ complexionis siccæ, sunt dies caniculares, motus corporei & animales. De causis humidis nulla fit mentio, ex eo quòd dolorem non pariunt, nisi cum aliqua acrimonia, vel alia mala qualitate coniunctæ sint, &c. Solutæ continuitatis causæ sunt omnia quæ continuitatem dissoluunt, &c. Si verò causa fit per consensum,

tunc

tunc vel erit ab aliquo membro mittente, ſicut à ventriculo vteróve, aut ab hepate, & reliquis: aut à præcedentibus morbis.

Loci conſentientes de cauſis cephalææ.

Gal. 2. de comp. med. per loc. cap. 1. Cauſæ producentes ſunt quinque : prima eſt iuxta intemperiem ſimplicem : citra humorum complexum: alia iuxta humorum qualitatem: alia iuxta multitudinem tantùm ipſorum humorum contingit: quarta, quum multitudo hæc tranſitus humorum ac vaporum obturat : quinta quum in quibuſdam capitis partibus ob imbecillitatem ſpiritus flatuoſus innaſcitur, ſexta quam adiunximus habetur ex Galen. 3. de loc. aff. capi. 9. ibi. Neque abſurdum eſt, inquit, vt quoſdam ob ſenſus exuperantiam dolor infeſtet, quemadmodum in ore ſtomachi accidit, &c. Auicen. ſimiliter prima tertij, cap. 35. huius ægritudinis cauſam ponit cerebri imbecillitatem, & fortitudinem ſenſus eius, &c.

De cauſa procatarctica loquitur Galen. 2. de compoſ. medic. per loc. capi. 1. ibi Quandoque etiam ob cauſam aliquam externam procatarcticam laceſſentem, velut eſt ardor, frigiditas, ebrietas, plaga, capitis dolor, contingit. Auicen. prima tertii, de vniuerſ. ſer. Cauſæ primitiuæ calefacien-

tes

tes sunt, sicut sol, ignis, vinum potus & crapula, &c. De causa coniuncta ibi etiam loquitur Auicen. loco citato dicens, quòd causa doloris immediata aut est mala complexio, aut solutio continui, aut vtraque, sicut in apostemate, &c. De mala complexione loquitur Galen. 2. de composi. medi. per loc. capi. 1. ibi, Vehementissimi dolores fiunt iuxta caliditatem & frigiditatem, moderati iuxta siccitatem, ad humiditatem, nullus consequitur dolor, &c. Galen. Aphor. 4. comment. 70. Fiunt enim dolores capitis etiam ex calore solo, nonnunquam ex flaua bile, quæ vel in capite vel in ventriculo continetur, vt ex abundantia humorum caput opprimente: vel propter aliquam loci obstructionem, vel à spiritu flatuoso, habente in parte ipsa generationem. De causa per consensum loquitur Auicen. prima tertij, cap. 35. ibi. Et multotiens contingit à morbis antecedẽtibus, qui substantiam cerebri, & eius velamina tam intrinseca quàm extrinseca debilitarunt. Fit etiam ex vaporibus stomachi ad caput elatis, &c. Alexand. lib. 1. de dol. capit. Dolor, inquit, capitis non semper primario affectu efficitur, sed per consensum nonnunquam alterius membri: vnde si ad nimium iecinoris calorem dolores capitis oriantur,

multo

multo vehementiori cruciatu laborantem adfi gunt, ob fumos eiusdem viſceris caput petentes, &c.

De ſignis cephalæ.

Primum ſi dolor fuerit à cauſa procatarctica, cognoſcitur ex affectu derelicto. Si dolor fuerit per eſſentiam in capite, dolor continuò ægrum lædet, læſionémque in aliqua cerebri parte comprehẽdemus, & cum reliquis cerebri operationibus manifeſta læſio apparebit, ſicuti in ſenſu viſus vel aliis ſenſibus. Quòd ſi dolor capitis per conſenſum fieri contigerit, tunc per cõſentientis membri læſionem magis vel minus intenſam, dolor magis ac minus creſcet minuétque. Cognoſcitur etiam à primordio ipſius læſionis: nam quod primum lædit, alteri læſionem infert. At ſi ab intemperie fiat dolor, citra humorum complexum, tũc manifeſtus calor vel frigus abſque vlla in capite grauitate ſentietur. Quòd ſi ab intemperie humorali, tunc vniuſcuiuſque humoris aderunt particularia ſigna: nam ſanguinis ſunt ſeptem, rubedo, tẽſio, grauitas, tactus calidus, pulſus magnus, ſomnus ob vaporum copiam, vrina craſſa, rubea. Bilis ſigna ſunt ſex, dolor acutus, mordicans, pũctorius in anteriori & dextra capitis parte, vigiliæ, coloris flauities, parua grauitas

tas, tactus acris, calidus, pulsus velox, & sitis. Pituitæ signa sunt quatuor, color albus, dolor obtusus & perseuerans in occipite, somnus profundus & pigritia. Melancholiæ signa sunt, liuor, in facie nigrities, sensuum corruptio, dolor obtusus perseuerans in parte occipitis sinistra. Flatus signa sunt loci extensio, nulla adest grauitas: interdum fit cum sonitu & tinnitu, permutatur dolor de loco ad locum, & multiplicato vapore maior fit in capite pulsus: imaginatio interdum corrumpitur, & sequitur vertigo. Dolorem qui fit à soluta continuitate, ipsa solutio indicat, quæ nisi extrinsecus appareat, per puris ac sanguinis excretionem cognoscitur. Si fiat dolor ab aliquo abscessu, aderunt signa lethargi vel phrenitidis: si fiat à febre, tunc ipsa crescente dolor augebitur, & declinante minuetur.

Loci consentientes de signis cephalææ.

Galen. 2. de compo. medic. per loc. capit. 2. Habet hæc affectio interdum continuos dolores, interdum exacerbationes & interualla, siue ordinata siue inordinata: intermittunt exacerbationes veluti in comitiali morbo correptis. Dolores igitur cum grauitate humorum multitudinem significant: cum mordacitate, aut humorum vel vaporum

vaporum acredinem: cum pulsu inflamma tionem : cum tensione citra grauitatem ac pulsum tenuis ac ventosi flatus multitudinem demonstrant: si verò cum pulsu, membranosi corporis inflammationem : si verò cum grauitate distentio fiat, humorum multitudinem intra membranas contentam. Et eodem in libr. cap. 1. Qui ex ardore caput dolent, cutis tactus aridior, oculósque rubros habent, frigidísque tum perfusionibus, tum illinitionibus gaudent. Quòd si ob biliosum humorem caput doleat, accedit maior morbus, & faciei pallor, & aliquando oris amaritudo contingere solet. Porrò signa dolentium caput ob frigiditatem contraria sunt eis, quæ ex ardore oriuntur, &c. Lege de his Paulum lib. 3. cap. 5.

Obiectio.

Ob quam rationem hæc affectio dolores per interualla habet velut morbus comitialis?

Responsio.

Hac ratione, quia hoc contingere potest ex specifica proprietate in humoribus inuenta: nam ex bile extra vasa mota fit dolor tertianarius, & in venis contenta mota & alterata prouenit dolor continuus: & hoc contingit ex specificabilis proprietate, vel hoc euenit ob quantitatem auctam

aut diminutã humorũ, vel propter eorũ craſſitiẽ, tenuitatẽ, fluxibilitatẽ, & viſcoſitatẽ. Et hoc habetur ex Gal. 2. de diff. feb. de febre ſextana, & ab Auic. prima quarti, tra. 4. ca. de febr. apoſtematum, &c. Auic. prima quarti, de feb. Ephemeris cauſa primitiua cognoſcitur per eius præſentiam & ablationem, & ab effectu derelicto, &c. Et prima tertij, cap. de ſignis oſtendentibus, ſpecies ſodæ habet omnia quæ antè recitata ſunt, &c. Lege etiam Aët. ſer. 6. cap. 48.

De cura cephalææ ab humore calido.

Eliciuntur ex Gale. quinque ad curandum intentiones: prima eſt vniuerſalis euacuatio, quum à multitudine dolor fiat: ſecunda eſt reuulſio: tertia malæ qualitatis repulſio: quarta capitis particularis purgatio: quinta capitis roboratio, & ſi quid derelictum eſt, reſolutio, &c. Vniuerſalis euacuatio fit per ſectionem venæ: primò per ſaphenam, ſi in cauſa ſint hæmorrhoides, vel menſtrua retenta: vel per venam baſilicam vel communem, ſi adhuc ſanguis abundare videatur: deinde per cephalicam: poſtremò per venas frontis, aut eius loco applicentur naribus ſanguiſugæ. Reuulſio fit pluribus modis, ſicut per enæmata, per extremarum partium frictiones, ligaturas, per ſanguinis detractionem, per cucurbi

curbitulas, per hirundines ad hæmorrhoidas & ad nares applicatas, per suppositoria. Nam interdum sub reuulsione etiam deriuatio conuenit, quæ ad vicina loca tantùm fieri solet: vnde per ἐρρίνα id est, per nares euacuantia, vt sternutatoria, gargarismata, masticatoria, aurifusoria & similia fiunt. Repulsio malæ qualitatis fit dupliciter, per exteriora, & per interiora. Exteriora fiunt per repellentia epithemata, inunctiones, cerata, cataplasmata, odoramenta, suffumigia, instillationes, lotiones, & similia: ita tamen vt repellentia sint adstringentia & frigefacientia primùm, deinde repulsoria, quibus addendum est aliquid ex mitigatoriis ac concoctoriis medicamentis: deinceps ad discussoria paulatim accedendum, detractis omnino repellentibus. Interiora malam qualitatem remouentia sunt syrupti, zulapia siue Iuleb, eclegmata, apozemata siue decocta, pulueres, &c. Sirupi sunt, acetosus simplex, violaceus de endiuia, rosaceus de succo acetosæ, de agresta, de granatis, de limonibus, de acetositate citri, &c. Zulapia varia sunt, vt violacea, nenupharina. Fiunt etiam cum ptisana & vino granatorum, cydoniorum malorum, vel cum Iuleb rosaceo, aqua hordei & aqua

coriandrorum præparatorum,&c. Electuaria sunt diarrhodon Abb. Triasandali, conserua violacea, rosacea, confectio de pruniſmes. Manuschristi, diacorali, &c. Decocta fiunt ex rebus frigidis ad caput spectantibus, vt sunt viola, nenuphar, rosa, salix, cucurbita, mala granata, lactuca, sandali, myrthus, plantago, semperuiua, portulaca, & similia. Capitis purgatio multifariam fieri potest, siue per simplicia medicamina, vel per cõposita. Simplicia sunt rheu barbarum, aloes, agaricus, succus rosarum, diagridium, myrobalani citrini, cassia, siliqua, succus violarum, manna, succus iridis, tamarindi, succus fumi terræ, & similia. Cõposita sunt varia, sicuti electuaria, cõfectiones, pilulæ, trochisci, potiones, boli, pulueres. Electuaria sunt, electuarium de succo rosarum. Nic. electuariũ ros. Mes. Diaprunis sol. Nic. Diaphinicon Mes. electuarium de psilio sol. Mes. Cassia & manna cũ rheubarbaro, cum agarico, cum scamonio præparato. Confectiones sunt, cydoniata soluti ua, nebulæ solutiuæ, & mille confectiones quæ parari possunt, sicuti passulæ cum diagridio, &c. Pilulæ sunt aureæ Nic. de hiera simplici Gal. pilulæ lucis Mes. de hiera composita Nic. De Rheubarbaro Mes. Aggregatiuæ. Mes. aleophanginæ Mes. Trochisci

sunt

sunt, Trochiscus de diarrhodon, de rheubarbaro, de cãphora, addẽdo aliquid rheubarbari vel diagredij. Potiones fiunt ex electuariis ac decoctis suprascriptis, similiter boli cum electuariis & saccaro. Pulueres sunt ex rheubarbaro, aloë, agarico, cucumere sylueſtri, &c. Apis roboratio perficitur cum stypticis infrigidantibus ac constringentibus, vt oleo rosaceo, myrthino, &c. Residui resolutio fiat cum resoluentibus modicè calefacientibus, sicut sunt semina altheæ, fœnugræci, lini, meliloti cum camomilla, anetho: aut cum oleis camomillæ, anethi, &c. vel cum pulmone agni vel arietis catulorum, & pullorum columbarum, &c.

Loci consentientes de cura cephalæa.

Auic. prima tertij, tra. 4 cap. 36. Si causa est sanguis, phlebotoma: & si tu in principio administrasti id quod repellit, demum vtere embrocis ex aquis, in quibus resoluentia fiat modicè calefacientia cum repercussione modica & stipticitate, vt flos squinanti, camomilla, &c. Deinde euacua cum eis quæ eueniunt: & scias, quod quum purgasti, supereſt vt confortes cerebrum & eius velamina, &c. Ex quibus verbis omnes intentiones à me iam dictæ eliciuntur. Præterea Paulus Aegi. lib. 3. capit. 5.

& Aët.ſer.6.cap.50 & Meſ.cap.de ſoda,& Arcul.de cura cephalææ: ſimiliter Michael Sauonarola de cura ſodæ cali. Gerardus de ſolo, Gordonius ac ipſe Marcus Catinarius omnes in has intentiones curandi concurrunt. De reuulſione loquitur Galenus 2.de compoſ.med.per loc.ca.2.inquiens, Reuulſio itaque fit per clyſteres,per extremitatũ ligaturas, & per plures infernarũ partium frictiones: interdum per ſanguinis ex cubito detractionem, & ex naribus, aperta vena, & apophlegmatiſmis, & medicamentis, quæ naribus induntur,&c. Similiter Hippo. 3. de morbis circa principium, Si dolor capitis permanet, vt ſternutes curato, lenibúſque ac odoratis caput & ventrem purgato, ptiſanæ ſuccum ſorbeto, vinum ne potato,&c. De repulſione malæ qualitatis loquitur etiam Gale.loco citato, ibi, Repellit oleum roſaceum omphacinum per ſe, & cum aceto ex capitibus papaueris,&c. Et 2.de compoſ. med. per loc. cap.1.Quòd ſi in capite ipſa affectio calida exiſtat, in primis repellendum cum refrigerantibus, deinde ex mitigatoriis ac concoctoriis aliquid admiſcere ad repulſoria oportet, deinde diſcuſſoria adhibenda, ita vt paulatim repulſoria pharmaca detrahantur. De interioribus exhibendis conſule

sule neotericos authores. De purgatione capitis tetigit Gale. 2. de compos. med. per loc. cap. 2 ibi, Dabimus hieram exacutam, &c. Quomodo verò hiera exacuatur, docuit Galen. eodem in lib. cap. de Alopecia, dicens se veratrum nigrum addere, si atra bilis sit expurganda, aut scamonium, si amara bilis sit euacuanda. Vnde Græcè habetur τλὼ ἱερὰν ὀξύνατας σλοτίον. Et 2. de composit. medicamen. per loc. cap. 1. Euacuandus est bilios us humor per absinthij cremorem, aut per aloën, & per ipsam picram antidotum, aut modica adita scamonia, aut per catapotia ex aloë confecta, &c. De capitis roboratione & residui resolutione satis habes ex Auicenna, Mes. & Almansore, capite de soda calida. Galen. cap. cit. Discutit oleum dulcissimum calidum & magis inueteratum, itémque Sycionium. Nota non dici Sycionium ἀπὸ συκίου id est, à cucumere, vt nonnulli putant, sed potius à Sycionia patria, vbi parabatur: nam Dioscorid. primo libro de oleo Sycionio loquens nullam de cucumere mentionem facit, & hoc prius annotauit Cornarius in suis annotationibus. Discutiunt etiam, inquit Arcul. pulmo arietis, agni, item catuli lactantes, ac pulli columbarum, &c.

Obſeruationes de venæ ſectione.

Auicen. prima tertij de cura ſodæ calidæ abſque materia, In ſectione venæ primùm caue, ne venter ſit ſtypticus: ibi tu ad curandas ægritudines capitis lenificatione multùm naturæ indiges, &c. Similiter Razes lib. diuiſ. cap. 3. aſſerit: Secundò caue ne adeò vehemẽs ſit dolor, vt curandi ordinem permuter, & hoc voluit Meſ. & Auicen. quarta primi, cap. 3. ibi, Quúmque ad diuerſum trahere volueris, dolorem illius membri prius ſeda. Gal. met. 12. cap. 1. Qui dolori neglecta curatione tantùm eſt intentus, non id ex topicis artis ratione, ſed in ægri gratiam facit: at ſi ex dolore vires reſoluantur, atque ex eo periculum impendet, & mitigari prius dolor & vires roborari debent. Similis ſenſus eſt eodem in lib. cap. 7.

Obſeruationes de repulſione.

Galen. 2. de compoſ. med. per loc. cap. 1. Aptiſſimus locus eſt ad applicanda remedia iuxta capitis ſinciput: ſi quidem ob laxitatem coarticulationis iuxta coronalem ſuturam, & ob oſſium tenuitatem & raritatem facilè, tum caliditatem cùm frigiditatem omniúmque adhibeatur, intrò diſtribuit.

Auicen. de vniuerſ. cur. ſod. Alienanda

ſunt

sunt hæc frigida à posteriori cerebro, quod est origo neruorum. Gal. loco citato, A papaueris succo & mandragoræ est abstinendum: non enim citra damnum refrigerant: vitandáque quæ cum refrigeratione manifesta adstringunt, vt solani succus, mali punici, cotonei, & mespili, & si quando necessitas expostulat, parum ex eis admiscere oportet.

Mesues cap. de cur. sod. cal. Quum topicis vsus fueris, fac ne priuentur his tribus virtutibus. Prima, quòd in gradu alterationis competant: secunda, quòd membri virtutem coadunent, ne superfluitates caput recipiat: tertia, quòd sua proprietate caput roborent, &c. Rursus idem Mes. Adhibēda sunt alterantia frigida, præterquàm in quatuor casibus. Primò, quum soda calida fit in febribus materialibus: nam sodam multiplicat vsus epithematum, vapores exire non permittentium, vt testatur Auic. prima tertij, cap. 11. Secundò, quum soda fit propter vapores acutos, qui ex totius corporis consensu, vel partis, ad caput perueniunt, etiam caput eos recipit: nam diuersio ad oppositum ex vna parte competit, & ex alia receptorum resolutio, non autem alteratio. Tertiò, quum soda fit à multitudine materiæ, & tunc euacuatio

sedat. Quartò, quum fit à multitudine vaporum, existentium in capite per consensum totius vel partis: tunc resolutio & particularis euacuatio conuenit, & non alteratio.

Gal 2. de compos. med. per loc. cap 1. notat, quòd vbi frigidior & crudior fuerit humorum multitudo, tepida applicentur: vbi calidior & biliosior, frigida. Arcul. Præsente rheumate fomentationes, sternutatoria, & gargarismata, & lotiones pedum & capitis non sunt omnino, nisi post perfectam euacuationem admittenda. Auicen. prima tertij, cap. de can. vniuer. cur. Cauendum est in cerebri inflammationibus, ne maturantia adhibeamus, &c.

Obseruationes de purgatione capitis.

Auicen. prima tertij, de euacu. cur. A facilioribus est inchoandum. Similiter Mes. cap. de sod. cal. Auic. prima quarti, cap. de cura putridarum in genere, Ad euacuationem præcedat digestio. Et Hippoc. aphor. 1 aphor. 22. Concocta medicari atque mouere, non cruda, modò non turgeant, &c. De his vide de purg. sup.

De cura cephalææ ex humore frigido.

Curationis scopi erunt quinque Primus, modus regiminis: secundus, materiæ præparatio: tertius, humoris præparati euacu-

cuatio: quartus, diuerſio: quintus, cerebri roboratio ac reſidui reſolutio.

Modus regiminis, ſi materia ſit pituitoſa, frigida ſcilicet & humida, erit circa ſex res non naturales calefaciens & exiccans. Materiæ præparatio fiet, ſi pituita fuerit craſſa ac viſcoſa, per incidentia ac attenuantia capiti conferentia, vt eſt rhodomel, oxymel ſimplex, compoſitum & ſcilliticum, ſyrupus de duabus radicibus, ſyrupus de quinque radicibus, ſyrupus de ſtechade, de betonica, cum decoctis incidentibus, vt ex hyſſopo, origano, pulegio, ſaluia, maiorana, betonica, ruta, peonia, ſaturegia, ſtechade, ſileri montano, ex chamedrio, chamepithi, caſtorio, cinnamomo, ligno aloës, laudano, melliloto, calamo aromatico, verbena, fœniculo, foliis lauri cum moſco, ambra, nuce myriſtica, roſmarino, quæ omnia ſummopere capiti opportuna eſſe videntur. Si verò materia fuerit tenuis & fluens, calidis ſtypticis, quæ craſſiorem materiam reddãt, vtemur, ſicuti eſt maſtiche, nux moſch. lignum aloës, &c. Poſſet etiam fieri materiæ præparatio cum cataplaſmate ex rebus prædictis, minus calido & frigido, prout expedire videbitur. Euacuatio fiet, vt ſuprà dictum eſt, per ſimplicia ac compoſita pharmaca. Simplicia

ſunt

sunt colocynthis, agaricus, aloës, vebuli, sarcacola, turbit, chartamus, esula, polypodium, hermodactylus, scylla, radices ireos, ciclamen, &c. Composita sunt, cõfectiones, electuaria, pilulæ & pulueres. Confectiones sunt diarob, diaturbit, & millæ aliæ, quas per te cum melle & saccharo poteris componere. Electuaria sunt, diaphinicon Mes. electuariũ indum Mes. diacartami magist. egerea Mes. electuariũ elescoph Mes. diarob cum turbit & rheubarbaro & similia. Pilulæ sunt cochiæ Alman. pilulæ fœtidæ Mes. de serapino Mes. de rheub. Mes. de sarcacola Mes. hieralogodion Nic. pilulæ aggregatiuæ Mes. sine quibus Nic. pilulæ de hiera magna Gal. de hiera cum agarico magist. pilulæ aleophanginæ Mes. pilulæ de agarico & de hermodactylis Mes. &c. Pulueres cõponi possunt ad libitum, sicut puluis turbit, præparati rheub. agarici, cartami, &c. Diuersio & deriuatio, quæ est altera euacuatio, fit per extremarũ partium ligaturas, per suppositoria enæmata, cucurbitulas, lotiones, frictiones. Deriuatio fit per gargarismata, sternutatoria & masticatoria, caput purgantia. Ligationes fient validiores quàm in calida cephaleæ. Suppositoria parantur ex specierum hieræ compositæ ℥ ij. salis gemmei ℥ j. cum melle,

qui

quibus addi poteſt colocynthis, agaricus, fel tauri, ſtercus muris, euphorbium, eſula, diagridium, &c. Enæmata parari poſſunt ex decocto ſaluiæ, ſtechados, mercurialis, maluæ, furfuris lb j. caſſiæ, hieræ, logodionis ana ʒ ß. Rhodomellis, olei communis ana ʒ iij. ſalis ʒ ß. Validiora fiunt cum colocynthide, agarico, cẽtaurio, cartamo, &c. Cucurbitulæ applicantur cum ſcarificatione, prout tibi videbitur. Fricationes fiunt manibus oleis, mantili aſpero vel leni, vino albo & decocto aſparagorum & herbarum calidarum, &c. Gargariſmata fiunt cum oxymelle ſimplici & cõpoſito & ſcillitico, cũ decocto origani, hyſſopi, cui addi poteſt, vt ſit validius, ſynapis, piretrum, cortices thuris, ac piper, &c. Sternutatoria cum pipere, condiſi, helleboro albo fiunt. Caput purgia cum nigella per 24. horas infuſa in aceto, & exiccata, & in puluerem redacta fiunt, aut ex felle taurino aut caprinó cum modico caſtorei, & parte vna croci, cum aqua maioranæ fiat collirium. Maſticatoria fiunt ſimpliciter cum maſtice, addito pipere vel piretro, vel radice capparorũ, &c. Capitis roboratio fiet cum calidis ſtypticis. Reſidui reſolutio fieri poteſt per linimenta, epithemata, attractiones, ſacculos, inſtillationes, confectiones, & ſuffumigia, & ce-

rata.

rata. Linimenta fiunt ex oleo camomillino, rutaceo, laurino, de ſpica liliorũ alborum, de cheiri nardino ſanſucino, de amygdalis amaris, de croco: quibus addi poſſunt oleũ roſaceum, violaceum & ſimilia: vel ſi calidiora deſiderantur, cum oleo de caſtorio, de euphorbio, de piperibus. Epithemata fiunt ex aquis maioranæ, vel oleis, aut ex decocto ſtechados, foliorum lauri, camomillæ, roſarum cum oleis ad caput ſpectantibus. Attractio per nares fiet cum aqua maioranæ muſcho addito vel ambra (quanuis odorifera in mulieribus ſint vitanda, ob conuerſionem vteri ad ſuperiora) vel cum aliis aquis capitalibus addendo calamum aromaticum, & nucem myriſticam. Sacculi fiunt ex camomilla, maiorana, ſtechade, foliis lauri, pulegio, origano, corticibus cedri, cinnamomo, ſpica, mace, gallia muſchata, &c. Inſtillationes fiunt ex laudano, ſtorace cal. cum oleo camomillino, rutaceo, &c. Confectiones fiũt ex diambra, diamargaritone, diamuſcho dul. confectiones de gentis aromatiço roſ. moſchato electuario regũ myrridato, theriaca, diacoro, &c. Suffumigia fiunt ex thure, ſandaraca, ligno aloës, laudano, muſcho, ſtorace, calamite, caryophillis, &c. Cerata fiunt ex camomillæ, maioranæ, ſtechades, rotarum ana P. j.

certi

corticũ citri, garyophyllorum, cinnamomi, nucis muſchatæ ana P ß. galliæ muſchatæ, laudani parum, cum oleo de ſpica & reſina pini ad libitum fiat ceratum, &c.

Loci conſentientes de cura cephalæa ab humore frigido.

Galen. 2. de compo. med. per loc. cap. 1. Si viſcoſus aut craſſus humor, aut flatus vaporoſus in anguſtiis meatuum infarcitur, ita vt multo tempore opus ſit ad curationem, tunc quæ ſic infarcta ſunt, attenuare oportet, meatúſq; dilatare, per quos excernantur, habita prouidentia, ne quid humoris vel flatus amplius infarciatur, & ad hæc corroborandum eſt affectum membrum. Ex quibus verbis curandi intentiones elici poſſunt. Conſule tamen in iis omnes neotericos practicantes. De ſex rebus non naturalibus loquitur Paulus lib. 3. cap. 4. ibi, Vinum, inquit, ſubtilius propinandum, corporis motio adhibenda, item balneum prodeſt, &c. Quòd materiæ præparatio fiat per incidentia ac extenuátia, habes in 9. apho. 2. libri: nam in fine commen. Gal. Erit fluidum corpus omnibus reſeratis meatibus, humoribus verò inciſis, abſterſis atque extenuatis, ſi quis fuerit humor in corpore craſſus ac glutinoſus. Quòd verò tales ſyrupi iam enarrati ſint ad propoſitum, lege

ex Meſue, vel ex Gal. 2. de compoſ. med. per loc. cap. 1, vbi acetum, mulſum in potu aut ſimplex aut Iulianicum appellatum ex origano hyſſopo commendat. Auicen. prima tertij, de cura ſodæ frigidæ, Et adminiſtretur ſubtiliatiua vel maturatiua & euacuatiua determinata, &c.

De diuerſione loquitur Auicen. loco citato, vbi eam fieri in principio imperat, ſi humor fuerit in eo communicans. Quòd verò hæc tot modis, quot iam diximus, fiat, expreſſè habetur ab Arcul Marco Catinario & ab omnibus practicantibus. De roborando capite lege Galen. loco nuper citato. Item Auicen. prima tertij, vbi modos epithematum, caputpurgiorum, oleorum ac herbarum docet: inde enim omnia ex me dicta intelliges. Auicen. de cura ſodæ frigidæ: Omnes qui habent ſodam ex frigore poſt purgationem, ſi ea indigent, iuuant vnctiones, caputpurgia, ſectiones narium, odoramenta, embrocæ & emplaſtra calefacientia, &c. Habes ſimilia ex Galeno 2. de compoſit. medic. cap. 2 de cura cephalææ ex Archigene & Aſclepiade, & plurimis aliis, vt apophlegmatiſmos, ſternutatoria, & amuleta, quæ capiti circumponuntur: ſimiliter irrigationes, maſticatoria, paſtillos, &c.

Ob

Obſeruationes de regimine in cephalæa.

Auic. prima tertij de vniuer. regimine in ſoda, Tu ſcis quòd ſoda eſt exemplum reliquis ægritudinibus in neceſſitate abſciſſionis ſuæ cauſæ & oppoſitione ei cum contrario. Et poſt hæc ſcis, quòd ex rebus in rememoratione ſodæ iuuantibus eſt, paucitas comeſtionis, & potus proprie vini & multitudo ſomni: verum nimia paucitas comeſtionis in ſoda calida nocumentum affert, augmentum in ipſa faciens, & in vniuerſali can. Et ſcias, quod qui conqueritur de ægritudine frigida in capite, nocetur à vino, & qui habet ægritudinẽ in velaminibus, nocetur ab aqua frigida. Arcul. Fercula ſint facilis cõcoctionis & paucarũ ſuperfluitatum: item comedantur aliqua ſtyptica poſt cibũ, vapores reprimentia, ſicut cydoniata cum ſpeciebus, vel pira, vel fructus ſtyptici. Somnus ſit minor quàm in aliis ſodæ ſpeciebus: dormiat leuato capite, loco exercitij fricationes vicem ſuppleant, animi accidentia vitentur exceſſiua, &c.

Obſeruationes de materiæ præparatione.

Marcus Catinarius de cura ſodæ phlegmaticę, Ab imbecillioribus, inquit, inchoandum ad validiora procedendo. Ratio eſt,

quia valde extenuantia in principio exhibita magis naturam dilatant, quàm in digerendo adiuuant, &c.

Obseruationes de euacuatione.

Mesues de sod. frig. ab humore melancholico, Tria considerãda sunt in euacuatione, primum, quòd non semel, & multã & subitam faciamus euacuationem, sed per interualla, habentem temperiem: vt natura euacuationem, non autem euacuatio naturam regulet: nam ex subita ac violenta euacuatione vix natura regulariter operatur, sicut impetus flammæ, quæ subitò agit in subtilem, & prætergreditur crassam. Secundum est, quòd euacutio sit commensurata, non excedens mediocritatem. sed sit extensio eius eleuationis non recedens à gradu medicinarum incolumium. Tertium est, quod non expolientur solutiua à rebus leni ficatiuis & humectantibus: nam hæc operationem beatificant. Itidem asserit Auicen. prima tertij de can. vniuers. curat. Adde tamẽ his tu quartũ, quoniam quum phlegmagoga indifferenter ab omnibus partibus euacuãt, idcirco aliquid quod membrũ euacuandũ respiciat, his semper addere conuenit, vt virtus pharmaci ad id tendat: quod euacuare intendis, vt si caput, capitalia, si pectus, pectoralia, &c.

Obser

Obseruationes de topicis applicandis.

Gal.2.de comp.med. per loca, ca. In inueteratis capitis affectionibus ac doloribus validis ac frigidis necessariò capillos radimus,aut valde vsq; ad cutẽ resecamus. Paulus lib 3 cap.4.Topica mutentur singula cõtinuè, nam vetustate fiunt inefficacia. Galen.2.de compos.med. per loc.cap 2. inquit , quòd in principio morbi à debilioribus est auspicandum,quum statim efficacissima adhiberi non conueniat , vt suprà dictum est.

De Hemicrania.

Ἡμικρανία siue ἑτερομρανία est , vbi vel in parte sinistra vel dextra dolor capitis accidit,qui interdum intensionem, quandoque remissionem infert. Locus doloris interdũ extra caluariam percipitur,aliquibus ad capitis vsque profunditatem penetrat,quibusdam verò temporum musculos vehementer infestat,&c.

Loci consentientes de Hemicrania.

Gal.2.de compos.med.per loc.cap.3. Hemicrania est affectio dolorosa , circa dimidiam capitis partem,aliquando dextrã , aliquando sinistram,quæ iuxta futuram secundum eius longitudinem terminatur , & vt plurimùm exacerbatur. Auicen. prima ter-

tij, Hemicrania est dolor in vna medietate capitis excitatus, &c. Razes, quem multi sequuntur, nullum agit de hemicrania caput, volens fortasse pharmaca quę inueterato capitis dolori medentur, hemicranicis etiam affectionibus auxiliari: sed non mirum, quum nec Apollonius Archigenes, & Asclepiades vnà cum Critone, vt refert Galen. scripserint. De loco affecto loquitur Gale loc. citato ibi. Quidam circa tẽporum musculos dolitant, & pleraq; sanè ipsorum pars hoc modo affligitur: quidam verò dolorem lõgè vlterius progredientẽ habent, & quidam adeò vehementer dolẽt, vt neq; manus contactum facile ferant. Aet. ser. 6. cap. 49 Er aliquibus contingit, vt extra caluariam doloris sensum perceptent, quibusdam in capitis profunditatẽ penetrat, &c. Similiter Paulus libro 3. cap. 5. Quanquam vnum & idem caput de cephalæa & hemicrania ipse faciat.

De causa Hemicraniæ.

Causa est plenitudo, vel humorum aut vaporum influxus. Fit nonnunquam etiam hemicrania, ab intemperie nuda, absque humorum complexu: sæpius tamen fit ex aliarum corporis partium consensu, & denique ab his omnibus quæ dicta sunt superius de cephalæa.

Loci

Loci consentientes de causis Hemicraniæ.

Galen.2.de compos.medic.per loc.cap.3. Hemicrania fit ex influxu humorum, siue multorum, siue calidorum, siue frigidorum causam doloris suggerente. Hoc idem asserit Aet. ser. 6.cap.49.itidem Paulus. Alex. lib.1 cap.18 nonnunquam fieri, inquit, ex solo temperamento, sæpius ex consensu aliarum corporis partium,&c. Negat tamen Auic.posse fieri hemicraniam à malitia cõplexionis singularis, id est, ab intemperie nuda,sed quum nullam adducat euidẽtem de hac rationem, plus tribuendum esse Alexandro authoritatĩ assererem in hac re, quàm Auicennæ.

De Hemicraniæ indicijs.

Quanuis vberius de indiciis suprà dictum sit,quum de Cephalæa verba fecimus, nihilominus, vt in summa referam, grauitas molesta, plenitudinem indicat, dolores cum erosione, humorum vel vaporum acrimoniam, dolores cum pulsibus,inflammationem: dolores verò ad radices oculorum se extendẽtes,intra caluariam morbum denotant: si verò circa caluariam doleat,dolores extrà sunt. De humorum qualitate fumi potest indicium à iuuantibus & nocentibus applicitis,&c.

Loci consentientes de Hemicraniæ indicijs.

Aet.ser.6.cap.48. Dolores cum grauitate humorum multitudinem indicant, cum mordacitate, humorum vel vaporum acredinem, cum pulsu inflammationem.&c. Et paulò inferius, Dolores quidem in superficie hærentes membranæ os caluariæ ambientis affectionem significant: quibus verò affectio intra caluariam est, dolores vsque ad radices oculorum procedũt, &c. Hoc idem asserit Galen.2.de compos.medic.per loc.cap.2.& Paulus Aegi.lib.3.cap.5.Auic. prima tertij,cap.37. Quum fiat hemicrania modò à frigidis, modò à calidis, frigidos esse dices, si cum calefactione quietem inueneris:calidos, si quietem cum infrigidantibus, &c. Vide etiam de his latius Gal.3. de loc.affect.cap.9.

De cura Hemicraniæ.

Tres sunt in crura hemicraniæ intentiones medendi.Prima est euacuatio, secunda est reuulsio ac deriuatio, tertia malæ qualitatis permutatio. Euacuatio fiet vel pharmaco, vel venæ sectione, prout æger magis opus habuerit: & de his superius vberrimè dictum est in capite cephalææ. Reuulsio ac deriuatio per eadem perficientur, vt suprà dictum est. Verùm ante accessionis

sionis tempus hæc perpetranda sunt : iuuat in hoc fricare partem, quæ circa temporum musculum est, tam diu, vt excalefiat, præsertim si à frigida causa dolor proueniat. Mala intemperies, siue humorum qualitas per sui contrarium permutabitur, vt calida cum frigidis, frigida cum calefacientibus: vtrisque tamen semper ea addenda sunt, quæ adstringentem facultatem habent, eo tamen seruato, quòd in vehementi caliditate modicè refrigeres, in frigida multum excalefacias; dolor verò sine humorum complexu per alterantia tantùm extrinsecus adhibita, curabitur.

Loci consentientes de cura Hemicraniæ.

Galen. 2. de compo. medic. per loc. capi. 3. Vbi quis hemicraniam curare aggreditur, prius quali purgatione, aut venæ sectione æger opus habeat, consideret, atque ita ad capitis auxilia progrediendo, tum per digitos suæ manus, tum per linteum dimidiam frontis partem, & eam maximè quæ circa temporum musculum est confricando excalefaciat : atque id ante accessionis tempus faciendum est, post exacerbationem verò pharmacis hemicranicis vtendum. Quòd si multa caliditas in doloribus percipiatur, iis quæ modicè refri-

gerant: citra verò hanc, iis quæ multum excalefaciunt: verùm vtriſque ex his quæ firmitatem ac robur addunt, miſceantur quæ adſtringentem habeant facultatem, &c. Auicen. prima tertij, capit. 38. Eius cura eſt phlebotomia, & propria venæ frontis & temporis, & ſolutio, & clyſteria, & attractio, & totum cum eo quod conuenit ipſi, vt dictum eſt. Quum periodus adeſt, oportet vt purgetur corpus ante ipſum, & permutetur complexio poſt purgationem. Quòd ſi materia fuerit calida, pones narcotica ſuper tempora, &c. Et paulò infrà, Aegritudo, cuius tempus eſt prolongatum, eſt frigida ſecundum diſpoſitionem, & indiget reſolutione, & quod calefaciat cum fortitudine, &c. Alexan. lib. 1. capit. 8. Si hemicrania citra materiam ab intemperie fiat, ſolis extrinſecis vtendum eſt præſidiis. Si verò cum materia conſiderandum eſt, quisnam humorum adauctus redundet: quòd ſi ſanguis modum exceſſerit, ſectione venæ vtendum, ſi alius humor, ſortito medicamine ſtatim euacuandus eſt, &c.

De cura cephaleæ & hemicraniæ per conſenſum.

Si ab vniuerſo corpore caput efficiatur, quatuor erunt curandi intentiones. Prima,

euacuatio aut purgatio: secunda, reuulsio & malæ qualitatis impressæ repulsio: tertia erit eius, si quid adsit in capite, concoctio: quarta erit partis affectæ roboratio ac discussio. Si verò vni alicui parti condoleat, binæ tantùm erunt intentiones, altera scilicet ad membrum, ex quo humores vel vapores mittuntur, altera ad membrum in quo recipiuntur. Euacuatio fiet, si multitudo humorum in venis fuerit, per sectionem venæ: si verò qualitate tantùm humores inualeant, purgante pharmaco vtemur, &c. Reuulsio fiet in partem contrariam reuellendo. Repulsio malæ qualitatis impressæ fiet per sorbitiones aut irrigationes moderatè refrigerantes. Concoctio eius quod capiti impactum est, fiet per attenuantia & incidentia, vt dictum est suprà. Roboratio fiet etiam per eadem, vt suprà dictum est. Quòd verò attenuatum est & incisum, tunc discutiendum erit. Si verò vna pars mandet, & altera susciplat quòd altera non transmittat, stypticis refrigerantibus procurandum, & quòd caput ne recipiat, iis quæ firmitatem ac robur indunt, vtendum erit. Quot modis autem aliquid per consensum fiat, lege fusius ex Auicen secunda primi, cap. de complendis dispositionibus, &c.

Loci consentientes de cura Cephalæa & Hemicraniæ.

Galen.de compos.medic.per loc. cap.2. Si ab vniuerso corpore caput afficiatur, prospiciendum intemperiei & materiæ prædominanti, instando, eásque vrgendo: & si multitudo humorum circa venas fuerit, venam secabimus, si qualitas magis inualuerit, purgante pharmaco vtemur: quòd si vni alicui parti condoleat, existente calida intemperie, panem ex diluto vino dabimus, exhibendo etiam sorbitiones ex alica, & foris irrigationes moderatè refrigerantes, & firmitatem addentes, vt dictum est, &c. Et paulò superius dixerat, Si aliunde humor vel vapor deriuet, influentem in primis repellere necessarium est, impactúmque cõcoquere & attenuare, ídque ipsum discutere, & circa partem affectam firmitatem inducere, vt ne quid influens amplius suscipiat. De reuulsione loquitur Hippoc. aphoris. 5. aphoris. 68. ibi, Dolenti partem capitis posteriorem in frõte vena incisa prodest. De coctione, Galen. 2.de composit.medic.per loc.cap. j. vbi inquit, Si verò ob crassos & viscosos humores, in stomacho contentos caput doleat, hos extirpabimus, acetum mulsum exhibendo, aut simplex, aut Iulianicum appellatum

ex

ex hyssopo & origano potionibus, &c. Quòd verò membrum ne transmittat, iubet Razes buccellas panis in succo granati, aut vuæ acerbæ, aut horum similium exhiberi: qua de re frigidis stypticis opus est in his vti, &c.

De his quæ ladunt caput.

Galen. 2 de compos. medic. per loc. cap. 1. iuxta finem, Viticis semen, absinthij succus, lac in potu, glandes quercinæ, oliuæ nigræ, eruũ: hoc enim articulos dissoluit. Offendunt etiam caput myrrha, thus, hederæ cacumina. Perturbant etiam mentem lentiscifructus, crocus, peucedanum, cyclaminus sicca cũ vino potata, styrax. Medicus potus tristitiam discutit, multus autem turbulentos somnos efficit, &c. Dioscor. Ledunt præter hæc, palma, arbutus, ferula, meu, mãdragora, vinum gypsatum, &c. Auicen. præter hæc damnat lac, alium, cepas, & omnia acrumina. Et prima tertij, de ser. vniuer. sod. omnia aromata siue calida siue frigida. Item damnat carnem vaccinam, & reliquas carnes crassas, fabas, auellanas, &c.

De prognosticis cephalææ & Hemicraniæ.

Hippoc. aphor. 6. aphor. 10. Caput doléti & circundolenti pus, vel aqua, vel sanguis effluens

effluens per nares aut os aut aures, morbũ soluit. B Intellige si dolor ab inflammatione, aut ab humorum multitudine fiat, alioqui si à flatuoso spiritu, aut ab intemperie contigerit, non per hos modos sanaretur, vt Galen. in comment. Et aphor. 3. aphor. 13. Si æitas sicca fuerit & aquilonia, autumnus verò pluuiosus & australis, dolores capitis ad hyemem fiunt. Hoc idem etiam adserit Auicen. prima tertij, cap. de vniuers. sermone sodæ. Et aphor. 4. aphor. 70. Quibus vrinæ perturbatæ, quales sunt iumentorum, iis dolor capitis vel adest vel aderit. Ba. Nota ex Galeni comment. quòd quædam vrinæ, longo tẽpore manent perturbatæ, quædam citò sedimen crassum habent, & citò morbum finiri denotant: quæ verò non residen, si vires adsint, longum fore morbum prænunciant, si imbecilles, ægri mortem prædicunt. Auicen. similiter de his pertractat, de signis nunciatiuis sodæ cap. 8. ibi, Vrina similis asinorum vrinis, significat, quòd soda fuit, aut fit, aut erit, & similiter rubedo vrinæ, & subtilitas eius in febribus, & hora crisis significans permutationem ad caput, &c. Hippocra aphoris. 6. aphoris. 51. Quicunque sani dolore capitis repentè capiuntur, & statim muti fiunt & stertunt, in septem diebus pereunt, nisi febris appreh

prehenderit, &c. Et 3 prognoſt. cap. 7. Capitis dolor vehemens & continuus cum febre, ſiquidem ex indiciis extiterit exitioſis, lethalis admodum eſt, &c. Hoc idem etiam habet de coactis prænotionibus, & plura multa. Et 3. prognoſt. capi. 12. Si quis per febrem non exitioſam dixerit caput dolere, aut etiam tenebricoſum quid ob oculos obuerſari, ſi ventriculi dolor in eo extiterit, bilioſa vomitio aderit, &c. Et poſt hæc tres capitis dolorum differentias aſſignat, ibi, Si quibus horum cœpit dolor, &c. lege fuſius, & plura inuenies ad hanc rem vtilia. Arcul. Dolor capitis continuus, prolongatus, frequenter ad cerebri abſceſſum, aut cæciratem ægrum perducit. Item, Cephalalgia in febribus continuis, quæ non inclinante febre remittitur, phrenitidem pronunciat. Hippoc. 3. de morbis circa principium. Quum grauis capitis dolor repentè per exordia mutum facit, præſertim cũ temulentia, hic in ſeptem diebus perit. Habes etiam plurima prognoſtica ex prædictione ſecunda ipſius Hippocratis: quanquã eſſe Hippocratis librum falsò aſcribant nõnulli, &c.

Authores erronei diſſentientes circa dolorem capitis.

1 Adſerere, cephalæam à cephalalgia non differ

differre.

2 Adſerere, alterationem eſſe ſolam tantũmodo cauſam doloris, cum Auerrhoe.

3 Adſerere, humidum quatenus humidum nullo modo efficere dolorem.

4 Adſerere, ſolutionem continui eſſe ſolam tantummodo cauſam doloris.

5 Adſerere, quod tenues vrinæ dolores capitis ſignificent.

6 Adſerere, ſectionem venæ non in omni capitis dolore conuenire.

7 Adſerere, reuulſionum modos eſſe ſex tantùm & non plures.

Confutatio diſſentientium circa dolorem capitis.

Ad primum: Gal 3 de loc.aff.cap.9. Conſtat quòd ſicut in cephalalgia, ita & in cephalæa caput facillimè afficitur, atque hoc eſt ipſis commune: verùm per cephalæã affectę partes multò debiliores quã in cephalalgia reddũtur. Igitur intensè differunt.

Ad ſecundum: Gal.2. de compo med.per loc.cap.1. Dictum eſt, ob diſſolutionẽ continuitatis ſimilarium partium doloré oboriri: diſſoluunt enim erodentia, diſſecantia, diſtendentia, & vehementer calefacientia & refrigerantia, &c. Si igitur diſſolutio continui cauſa eſt doloris, non ergo ſola tantũmodò alteratio, &c.

Ad

Ad tertium: Gal. in arte med. cap. 80. Alteratur substantia à caliditate, frigiditate, humiditate, siccitate. Itidem adserit secundo de vic. in morbis ac commen. 1. Igitur humiditas alterando efficiet dolorem, quòd intelligendum est, si non per se, saltem hoc efficere per accidens.

Ad quartum: Auic. prima tertij, de vniuer. ser. fod. Causa doloris aut est mala cõplexio, aut solutio continui, aut vtraque, sicut in apostemate. Itidem ait Gal. 12. meth. cap. 7. Necesse est, vt affectus, qui dolorem excitat, vel diuisio sit, vel alteratio, &c. Itidem in art. med. cap. 80. Igitur non sola solutio continui est causa tantummodò doloris, sed etiam alteratio.

Ad quintum respondet Gal. aphor. 4. cõment. 70. esse falsum, quòd vrinę tenues sint καφαλικαί, id est, dolorem capitis significantes, &c.

Ad sextum: Hippo. aphor. 5. aphor. 68 Dolenti partem capitis posteriorem in fronte recta vena incisa prodest: qua de re si nõ ratione euacuationis, ratione tamẽ auersionis ne aliquis absessus fiat, semper cõueniet.

Ad septimum: Gal. 5. meth. cap 3. Reuulsio in his quæ suprà sunt omnibus, deorsum semper agitur, sursum in iis, quæ sunt infrà. Præterea à dextris ad sinistra, sicuti

ab

ab iis rursus ad illa, similiter ex iis quæ intus sunt ad ea quæ foris habentur: & sic sunt sex modi. Sed hic Gal. reticet modum de antè & retrò, quem aphor. v. comment. 68. recitauerat, & sic sunt octo. *nec. 3.*

De Phrenitidis descriptione.

Phrenitis duplex est, vera & nota. Vera est inflammatio membranarum cerebri, cũ febre acuta, delirium & mentis perculsionem inducens. Mendosa, quæ paraphrenitis dicitur, est nõ inflammatio cerebri vera, à consensu totius vel alicuius partis dependens. Phrenitidis tres sunt differentiæ: vna, qua læditur cogitatio, & seruatur ratio & memoria: secunda, in qua solùm læditur ratio seruata imaginatione & memoria: tertia, in qua læditur memoria, ratione & imaginatione seruata. Quarta etiã addi potest, in qua nihil horũ seruatur. Si igitur imaginatio læditur, tunc pars sincipitis læsa est: si memoria, pars occipitis: si ratio, medius ventriculus, &c.

Loci consentientes de Phrenitide & eius diff.

Gal lib. finit. medi. Phrenitis est mentis delirium, cum febre acuta, ac floccorũ collectu, & mẽtis emotione. Paulus. lib. 3. ca. 6. ἡ φρενίτις φλεγμονὴ τῶν μηνίγγων ἐστίν. Auic. prima tertij. tra. 3. cap. 1. Charabitus, id est, phre-

nitis

nitis est apostema calidum, in velamine cerebri, subtili ac crasso absque corpore cerebri, licet quandoque cerebro accidat. Vocatur etiam ab ipso sirsen calidum. Quod verò fiat cũ acuta febre, lege Hippocr. lib. 3. in epidemicis morbis, ibi, φρενιτίζεις Græci dicunt, qui cũ febre acuta desipiunt: μαίνεσθαι verò, qui citra febrem insaniunt. Hoc idem sentit Gale. 5. de sympt. cau. vbi, inquit, delirium esse motũ principis facultatis deprauatum à prauis succis, siue à cerebri intemperie ortum habens: cui si febris accesserit, phrenitis vocatur, si citra febrem, mania, &c. Quòd verò tres sint vel quatuor phrenitidis differentiæ, innuit Gal. 4. de loc. aff. cap. 2 vbi, inquit, Tres sunt differentiæ, duæ quidẽ simplices, ex quibus tertia componitur. Prima quæcunque oculis offeruntur, quantum ad sensitiuam notitiam pertinet, rectè iudicat, cogitando verò à naturali iudicio aberrat. Secunda rectè cogitat, sed à sensibus difformiter mouetur. Tertia, quæ simul & sensus & cogitationis vitio laborat. De memoria amissa in hoc casu habes ex Galeno exemplũ de quodam, qui cùm matellam petiuisset, meiere tamẽ neglexerit, aut quum lotium emisisset, matellam prodere non meminerit, &c. Quod verò quarta species siue differentia

addi possit, habes ex Auicenna capite de Ignis charabiti. De his etiam mentionem facit Aet. ser. 6. cap. 2. ibi, Proinde anteriore cerebri parte læsa, imaginatio solum peruertitur, &c.

De causis phrenitidis.

Causarum aliquæ antecedentes, aliquæ coniunctæ. Antecedentes sunt, succi calidi, veluti sanguis & vtraq; bilis, in cerebri membranas penetrantes. Cõiunctæ sunt iidẽ & succi inflammationẽ ad actum deducentes. Paraphrenitis verò fit à vaporibus calidis & mordacibus, à toto velut in febre acuta ad caput elatis. Interdum fit etiam à simplici & nuda alteratione, interdũ affecto diaphragmate, vel alia quapiam corporis parte. Verũ ea quæ à septo transuerso prouenit, adeò similis veræ phrenitidi existit, vt quis facilè in hoc decipi possit, &c.

Loci consentientes de causis phrenitidis.

Gal. 5. de symptom. cau. cap. vlti. Phrenitis non solùm ob calidos succos, vel calidiorem cerebri temperaturam accidit, sed quum phlegmonem in cerebro, vel in ipsius membranis ij succi pariunt, &c. Paulus. lib. 3. capit. 6. Causa morbi est sanguis exuperans, vel biliosus humor, interdum flaua bilis adeò peruста, vt in nigram degenerauerit,

uerit, quæ etiam grauissimam phrenitidem contrahit, &c. Gal. 5. de loc. aff. cap. 4. Atque delirare etiam solent nonnulli ob vitium quod in ore ventriculi consistit, & febribus ardentibus, & pleuritide, & peripneumonia: sed quæ ob septi transuersi accidunt deliria, non multùm distant à phrenitide.

De Phrenitidis indiciis.

Quum tria sint phrenitidis indicia, præcedentia, scilicet, demonstratiua ac rememoratiua, de præcedentibus ac demonstratiuis hic tantum mentionẽ facimus. Signa præcedentia sunt, vigiliæ prolixæ, somnus turbulentus, obliuio agrestis, dolor capitis, promptitudo ad iram & odium, aluus adstringitur, vrinæ sunt tenues, biliosum humorem ad superiora petentem demonstrantes. Signa demonstratiua sunt sex, vt febris continua concluſa, magna capitis & oculorum grauitas, vehemens in facie & oculis rubor, dolor capitis, horror luminis, & pulsus frequentia cum duritie. Signa inter veram & spuriam interstinguentia sunt, vt si quid ex dictis sex defecerit, non amplius sit vera, sed spuria. Præterea si ab altera corporis parte, vel à toto, vt in febribus fieret, tunc mendosa est: nam febre curata etiam ipsa curatur. Præterea

mendosa statim fieri solet, vera autem paulatim accedit. Signa causarum sunt, nam sanguine peccante, oculorum aderit rubor, venæ sanguine tumefactæ, risus, motus morbi vniformis (vniformiter moueri, inquam, quum nec de tertio in tertium, nec de quarto in quartum accessionem habet) sanguis distillat è naribus, somnus longus, imaginationes rubeæ. Signa bilis sunt audacia, temeritas, oculorum vultúsque flauities, vigiliæ multæ, linguæ ariditas: qui verò tam immaniter sæuiunt, vt coerceri nequeant, iis ab atra bili phrenitis procedit. De signis quæ affectam particulam demonstrant superius dictum est. Signa inflammationis in cerebro, aut in eius membranis, sumuntur ex dolorum ac oculorum affectionibus: nam maior est dolor, quum in membranis inflammatio existit, quàm in cerebro, &c.

Loci consentientes de signis Phrenitidis.

Gal. 5 de loc. aff. cap. 4. de omnibus his signis mentionem facit, ibi, Interdum vigiliæ præcedunt, & somnus manifestis imaginibus turbatus, ita vt clament & exiliant: interdum adeò agrestis obliuio, vt ne meiere, sed nec matellam prodere meminerint, &c. Lege fusius, & inuenies multa à

ta à me pridem recitata. Leges etiá in hoc capite differentiam inter veram & mendosam phrenitidem.

De signis sex demonstratiuis loquitur Razes. 9. alman. ibi; Quum aliquem febris concluſa continua inuaſerit, cum forti capitis & oculorum grauedine, & in facie atque in oculis vehemens fuerit rubedo, & capitis dolor, & horror luminis fuerit, & in pulſu velocitas, & frequentiæ ſuperfluitas, ſunt certiſſima phrenitidis indicia. Quòd ſi lingua fuerit nigra, vel citrina, & permiſceatur intellectus, & multum fuerit alienatus, & multum vigilauerit, iam phrenitis perfecta eſt, &c Sed Gale. 1. prorrhet. comment. 4 à principio vſque ad finem, methodum inueniendi phrenitidis indicia docet, vbi quæ propria, quæve inſeparabilia eſſe ſigna dicantur, facilè intelliges. De paraphrenitide loquitur Paulus lib. 3. cap 6 ibi. Quæ conſenſu ſtomachi gignitur, non eſt phrenitis, ſed hoc ſolùm puta delirium. Facit etiam mentionem de ſignis cauſarum, ibi. Quibus ſanguineus humor morbum facit, ij cum riſu inſaniunt: quibus flaua bilis, ferociter, quibus atra, tam immaniter ſæuiunt, vt coërceri nequeant, &c.

De vera ac mendoſa phrenitide loqui-

tur etiam Cornel. Celſ. lib 3. capit.18. ibi, Phrenitis tum demum eſt, quum continua dementia eſſe incipit: ſed perfecta eſt, vbi mens imaginibus addicta eſt, &c. Itidem Gal. aphor.7. cõment.14. Deſipientia agnoſcitur loquentibus agentibúſve nihil conſentaneum rationi, &c. lege etiam de his Hippo.3. de morbis circa principium, &c.

De cura ipſius phrenitidis.

Conſiderandum in primis, num facta vel fienda ſit inflammatio: quòd ſi non facta, prohibendum ne fiat, his videlicet quinque modis. Primò, cum victu tenui, ac aliis ſex rebus non naturalibus in contrarium ordinatis. Secundò, reuulſione & deriuatione, vel ſi adſit plethoria, euacuatione. Tertiò, repulſione. Quartò, ſanguinis & aliorum humorum alteratione. Quintò, euacuatione. Regimen ſex rerum non naturalium tale ſit, primùm quieſcat in aëre puro ac temperato, nec in thalamo ſint picturæ: victus ſit in primis tenuis, ad frigidum decliuis, abſtineat à potu aquæ frigidæ, præſertim ſi morbus in ſepto tranſuerſo fuerit, ſed potus ſit aqua hordeacea cum oxymellite. Reuulſio fiet per ſectionem venæ cephalicæ. Deriuatio per hirudines naribus applicitas, vel per ſectionem venæ in fronte, vel per cauſtica quædam, veſicatoria

nuncup

nuncupata. Euacuatio nimia existente plethoria fiet incipiendo à saphenis, deinde à communi & à basilica. Repulsio fiet per epithemata, instillationes, & cætera topica, prout suprà relatum est in cura cephalææ calidæ. Epithemata fiẽt cum oxyrrhodino, quod vario modo parari solet. Nam aliqui aquæ rosaceæ ad alia ingredientia portionem duplam immittunt, sicut, Recipe aquæ ros. ʒ viij. olei ros. & aceti ana ʒ ij. Alij verò volũt, vt ex his tribus aliud sit subduplum ad reliquum, vt verbi gratia, Recipe aquæ ros. ʒ viij. olei ros. ʒ iiij. aceti ʒ ij. Alex. verò trac. quintam aceti partem oleo ros. adiungit. Alteratio sanguinis vel bilis fiet per infrigidantia styptica, & hæc perficitur per cibum aut potum, per Iuleb aut syrupos vocatos aut confectiones. Cibi sint frigidi styptici. Potus sit vinũ granatorum malorum, vel cydoniatus succus, omphacium, limones, & arantia mala. Iuleb sit rosaceum, vel cum aliquibus syrupis concinnatum, miscendo vnà aquas vel decocta plantaginis, solatri, portulacæ, cichorij. Vel sic paretur: Accipe syr. de aceto citri ʒ iiij. sy. de papauere ʒ ij. aquæ ros. florũ nenuphatis, cichorij ana ʒ v. vini granatorum ʒ j. vini coroneorum malorum ʒ v. fiat Iuleb cum sandalis rubeis aromatizatum.

Syrupi sunt sy. de ribes, de limonibus, de succo acetosæ. sy. rosaceus, violaceus, de papauere, de citro, de agresta, oxysachara. sy. de granatis. Confectiones sunt, conserua ros. viol. boraginacea, diacorali, diarhodon Abb. &c. Euacuatio fiet si morbus sit sanguineus, per sectionem venæ, vt suprà retulimus: si verò bilioſus, per pharmacū cholagogum, quod fiet per electuaria, vel pilulas, vel potus; prout opus fuerit, de quibus suprà in capite cephalææ fusius pertractauimus. Peculiaris tamen est aqua fructuum Mes. distin. 7. Antidotarij & infusio rheubarbari, &c. At si inflammatio facta sit, tunc duo erunt medendi scopi: alter ad materiæ fluxæ resolutionem, alter ad tollenda symptomata. Resolutio materiæ ita fiet: Primò, euacuādo materiā exuperātem cum rheubarbaro, myrobalanis, vel pilulis iam dictis. Secundò, resoluendo cum topicis temperatæ caliditatis, sicut cum columbis, pulmone arietis, & catulis scissis ac euisceratis, cum natiua eorū caliditate, aut aduentitia, præsertim parata cum rebus anodinis, modicè calidis, veluti sunt violæ, maluæ, melilotu, foliis lauri, corticibus papaueris, camomilla, anetho, foliis senæ, & liechade, &c. Remotio symptomatū fiet, si vigiliæ adsint, cū somnū prouocantibus, veluti

veluti cum syrupo de papauere, cum lotionibus extrinsecis soporiferis, vt cum corticibus capitum papaueris albi, cum hioscia-mo, floribus nenupharis, violis, anetho, & cum foliis vitium, salicis, lactucæ, mandragoræ, rosarum, populi, &c. Vel cum seminibus papaueris albi, aut semiscrupulo pilularũ de cynogloſſa, &c. Quòd si retineatur vrina, eam prouocabimus cũ oleo scorpionum, inungendo circa vesicæ regionem, vel cum cataplasmate ex parietaria, &c.

Loci consentientes de cura, & primo de regimine.

Auicen. prima tertij, cap. de charabito loquens. De regimine sex rerũ naturalium inquit, Et fac eum quiescere in domo temperata, & in aëre puro.

Obiectio.

Aër esse debet frigidus, quum sit morbo contrarius, & cordis intemperiem magis euenter. Quomodo igitur erit temperatus, vt Auicenna?

Responsio.

Aër ratione morbi potestate debet esse frigidus, sed non actu, quia poros ac meatus cutis nimium constiparet: calidus verò nimium caput repleret, & resoluendo vires debilitaret. Quare magis temperatus esse debet quàm frigidus. Hoc etiam habes

ex Gal.10.meth.& ex Alex & Raze.1.continentis.Mesues cap.de phrenit.& Auicen. loco citato. Domus in qua locatur patiens, sit exuta à formis & luciditate: nam phreneticus intueri eorum vertigines diligit,& ex earum intuitu læditur cerebrum.

Obiectio.

Quomodo hîc luciditas prohibetur, quum Alex.cap.de phrenit.dicat,quòd magis lucidus debeat esse aër,quam obscurus.

Responsio.

Si patiens ex tenebris timorem concipit, aut amoto lumine in imaginationes incurrat,aër esse debet lucidus:si verò econtrà, in obscuro quiescat. Vide in hoc casu Cornel. Celsum lib.3. cap.18. De victu loquitur Pau.lib.3 cap.6 inquiens:Cibus primùm esto aqua mulsa, deinde ptisanæ cremor, & sorbitiones condito cum quadam dulci porione, vt rodomellite. Panis quoque aqua lotus rectè exhibetur, similiter intubum, lactuca elixa. Ab aquæ frigidæ potu arcendi sunt, præsertim si septum transuersum consortij lege malo dedisse originem cognoueris. Razes similiter 9. alman. Nutrimẽtum eius sit aqua hordei,semel aut bis in die sumpta,secundũ cõsuetudinem, quam in tẽpore sanitatis habuerit. Arcul.iubet ptisanam quater in die esse sumen-

mendam, Auic. Incipe nutrire ipsum subtili nutrimento, ita vt sis contentus oxymellite : deinde permuta ipsum ad aquam hordei subtilem cum oxymellite, deinde permuta ad crassum, & cõsidera ægritudinem & virtutem. Et loquens de potu, Aliena, inquit, eos ab aqua vehementis frigoris.

Obiectio.

Dogma Auicennæ de cibandis ægris omnino contrarium videtur Hipp. 1. aphor. Nam iubet quòd à principio morbi victus sit crassior, & versus statum sit tenuior : hic verò econtrà iubet primũ quòd sit tenuior, & versus statum crassior.

Responsio.

Modus cibandi in morbis acutis cum apostemate est diuersus ab eo, qui tantùm in morbis acutis sine apostemate fieri solet. Nam morbus acutus cum apostemate requirit in principio victum tenuiorem, vt membra magis conficiant & retineant, & motus humorum ex hac retentione supprimatur : hócque habetur ex ipso Auicen. fen. 16. cap. de cura fluxus cum excoriatione, & cap. de tinesmo. Sed in aliis morbis acutis seruatur dictum Hippocr. De diuersione ac sectione venæ loquitur Galen. 13. meth. cap. 21. ibi, Itaque incidenda est in talibus affectibus vena statim ab initio, si modò

modò tam valens fuerit virtus, vt sine noxa missionem sanguinis tolleret. Et paulò pòst, Et hoc vtrique vitio cõmune est, & ei quod cum sopore, & ei quod cum vigiliis incidit, &c. Similiter Mes. cap. de phren. In primis si nihil prohibeat, phlebotometur cephalica, deinde phlebotoma venas frontis, vel sanguisugas naribus applicato, &c. Razes. 9. alman. Aegro igitur, antequam prædicta compleantur accidentia, est subueniendum ex sanguinis detractione, & ventris solutione cum succo fructuum, &c. Aduerte quòd Azarauius non vult fieri sectionem venæ in bilioſa phrenitide, sed tantum hemorrhoidarum prouocationem. Auic. prima tertij, cap. de cura charab. Fiat phebotomia ex cephalica, & egressio sanguinis aliquantula, imò multa valde: deinde phlebotoma venas frontis, &c. & cùm phlebotomaueris, tum oportet vt ipsum clysterizes clysteri valde leni, cũ oleo scilicet rosaceo & aqua hordei, deinde trahe materiam ad interiora cum fricatione pedum, &c.

Obiectio.

In principio morbi conueniúntne frictiones?

Responsio.

Dico, quòd repletione imminente, ne

mate

materia plus agitetur quàm auertatur, non conducant, sed remota hac causa si fuerint debiles frictiones, & à longinquis partibus inceptæ, fortè conducent, &c. De hac sectione omnes ferè practici loquuntur. Similiter Cor. Cel. lib 3 cap. 18. ibi, Quòd si vires patiantur ægri, sanguis quoque mittendus. Itidem ait Aët. ser 6. cap. 2. &c. De repulsione loquitur Gale. 13. meth. cap. 21. ibi, Commune præterea vtriusque est, vt oxyrrhodinum in principio admoueas, &c. Similiter Auic. prima tertij, cap. cit. ibi, Et pone super caput eius in principio oleum rosaceum cum aceto, infrigidatum niue, &c. & oportet vt in principio administrés repercussiua pura, nisi sit de genere magno, ex quo apostemantur venæ que sunt extra caput, &c. Nam in morbi augmento pura non conueniunt, sed cum resoluentibus mixta, &c. Itidem fatetur Cor. Cel. loco citato, ibi, Cõuenit caput ad cutem tondere, &c. De alteratione per syrupos & confectiones habes plura ex Mes. Arcul. Marc. Cat. Sauonarola, &c. Similiter de euacuatione: nam Arcul. Si cholera fuerit in causa, euacuabis eam cum medicina leniente, quæ etiam digesta materia erit reiteranda. &c. De remotione accidentium loquitur Cor. Cel. lib. 3. cap 18 ibi,

Si nih

Si nihilominus vigilent hi, quidam somnum moliuntur, potui dando aquam, in qua papauer aut hyoſciamos decocta ſit. Et paulò pòſt, Seruanda eſt aluus quàm tenerrima, remouendi terrores, & potius bona ſpes afferenda, quærenda delectatio ex fabulis ludíſque, quibus capi maximè ſanus aſſueuerat. Pau. lib. 3. cap. 6. Quòd ſi vrina ipſis delirij vitio cohibeatur, calentis hydre lei imbre pubem & veſicam fouebimus. Itidem ait Auic. loco citato, Inungens oleo pubem tepido.

Obſeruationes de venæ ſectione.

Auic. prima tertij, cap. de charab. inquit, quòd phlebotomia fieri debet ex cephalica, ſeruatis quatuor conditionibus. Prima, quòd nihil ſit quòd prohibeat, ſicut tempus anni, ætas, robur virtutis, &c. Secunda, quòd copioſa fiat, ſi à ſanguine phrenitis dependeret: pauca ſi ab alio humore, ibi, Cholericum indiget in ſui cura eductione choleræ plurima, & phlebotomia minore, & cum cautela, &c. Tertia, quòd cauẽda eſt ſyncopis, ita vt ne actu accidat. Quarta, quòd ſit cautela in ligando, ne ex magna commotione fieret hypoſpaſma, id eſt venæ ruptio. Haly abbas vnum tantùm aduertit, vt ne poſt tertium diem ſui euentus

fiat

fiat venæ sectio. Hoc idem videtur attestari Hipp. in eo aphorismo. Medicari in valde acutis, si materia turget, eadem die: tardare enim malum est. Auic. loc. cit. videtur etiã innuere, quòd vniuersalis venæ sectio particularem præcedere debeat, obseruatis tamen tribus conditionibus: prima, quòd virtus sit valida: secunda, quòd dispositio capitis hanc requirat: tertia, quòd sæua accidentia non adsint, &c.

Obseruationes de repuisione.

Auic. de cura charab. Conuenit oxyrrhodinum niue infrigidatum & non calidum.

Obiectio.

Quomodo frigidum, si Aët. ser. 6. cap. 2. dicat, Caput rosaceo tepido irrigetur, nam in cerebri membrana inflãmata frigiditas rosacei non est tuta?

Responsio.

In phrenitide duplex esse potest medendi scopus quatenus ad topica, alter scilicet ad inflammationem, alter ad reliqua indicantia. Si igitur ad inflammationem tãtum sit tua intentio, tunc oxyrrhodinum conuenit actu frigidum, si ad reliqua indicãtia, tepidum, &c.

Obseruationes de euacuatione.

Mes. in cholerica phrenitide, Statim fiat euacuatio cum aqua fructuũ, nec in mora

sit

sit medicus: nam inducia non dantur in præparanda materia: vnde versus,

Sinocha cum colica, phrenesis, squinantis & antrax.

Materias crudas euacuare iubent.

Et de topicis loquens, inquit: Scito quòd sanguinea indiget resolutione plus, & extinctione minus, cholerica verò econtrà: hoc idem ait Auicennas.

De prognosticis phrenetidis.

Hippo. aphoris. 6. aphor. 53. Desipientiæ quæ cum risu fiunt, securiores: quæ verò cum studio, periculosiores. B. Securior, id est, minus periculosa, & hæc fit à sanguine: sed quæ fit à flaua bile, timor est ne exusta insaniam satis furiosam generet, &c. Et aphor. 2. aphor. 2. Vbi somnus delirium sedat, bonum. B. Hoc delirium non fit patiente cerebro, sed tantùm à caliditate nuda. Vnde mirum non est, si id somnus de medio tollat. Et aphor. 7. aphor. 12. A pulmonis inflammatione phrenitis malum. B. Etiam econtrà malum est, si ex phrenitide inflammatio pulmonis sequatur. Verum quòd tunc phrenitis mala sit, quum ad cerebrũ permutatur, vel si adeò excrescat, vt meninges cerebri patiantur. Gal. 3. de loc. aff. capitu. 7. Phrenitis mitior est, quum à pallida bile ortum contraxit: vehemen

men

mentior, quum à flaua: ferina verò, quum a flaua bile perassata. Hipp. pronost. 1. cap. 9. Qui in febre acuta, aut delirio, aut pulmonia, aut capitis dolore, manus subinde ad os fert, aut frustra venatur muscas, aut colligit festucas, aut euellit pilos, id exitiale est B. Lege fusius Gal. comm. de delirio. Et Hippo. aphor. 4. aphor. 72. Quibus vrinæ albæ & perspicuæ, malæ præsertim si in phreneticis appareant. Et Auicen. prima tertij. cap de charab. Nullus visus est habens apostema in partibus cerebri, cuius vrina fuerit aquosa, qui euaserit. Nam tũc aquosa esse dicitur vrina, quum, teste Gal. perspicua simul sit & alba. Hæc enim magnam cruditatem ac flauam bilem ad caput solummodò rapi ostendit, &c. Mesu. cap. de phrenit. Cura huius ægritudinis, si iam impressit, cassa est: si verò adhuc perfecta non est, curatur, sed non apud negligentes & stultos medicos, &c.

Authores erronei dissentientes circa phrenitidem.

1 Adserere, cerebri substantiã nullo modo posse inflammari, vt Serapio.
2 Adserere, phrenitidem absque febre fieri posse.
3 Adserere, paraphrenitidem à nuda caliditate non posse effici.

4 Adſerere, phrenitidem à ſanguine exortam, non eſſe ſignum periculoſum.

5 Adſerere, aquam frigidam in phrenitide poſſe exhiberi, vt Razes.

6 Adſerere, in omni phrenitide ſectionem venæ non conuenire.

Confutatio diſſentientium circa phrenitidem.

Confutat primum Auic. cap. de charab. dicens: Quidam medicorum exiſtimant, quod in ſum cerebrum non apoſtematur, quia quod lene eſt vt cerebrum, vel durum vt oſſa, nõ extenditur, & ſic non apoſtematur. Sed hic ſermo eſt erroneus, quoniam lene viſcoſum extenditur, & oſſa etiã apoſtemãtur, &c. Quod intelligendum eſt per viam congeſtionis, non autem per viam rheumatis: & hoc idem ſentit Auer. 4. collig. & Gal. 6. Aphor. comment. 53. ibi, Fiunt omnes patiente cerebro, &c.

Ad ſecundum Gal. 3. de loc. aff. cap. 7. Igitur quemadmodũ phreneticis febris vnum quoddam accidens diſpoſitionem cerebri cenſetur, ſic ecõuerſo in ardentiũ febrium demẽtia, multis elatis ad ipſum vaporibus. Idem ſentit Hipp. in Epid. mor. & Gal. 5. de ſympt. cau. &c.

Ad tertium Gale. 6. Aphor. comment. 53. loquens de paraphrenitide, inquit, Quæcunque

cunque enim ex sola caliditate sine humore vitioso fiunt, similes quodammodo sunt eis, quę ex ebrietate cõtingunt. Igitur quędam fiunt à nuda caliditate.

Ad quartum: Gal. Aphor. 2. cõment. 2. Sed satis fuit ei periculosissimũ morbũ phrenitidem nominare. Et Aphor. 6. cõment 53. Nulla, inquit, desipientia secura est. Igitur nec à sanguine exorta.

Ad quintum: Auic. prima tertii, cap. de charab. & Alex. cap. de phrenit. Gelida autem aqua, quoniam parum frugi, omnino vitanda: nã internæ phlegmoni nocet, deliriúmque auget, & omnia in deterius conuertit, materiæque resolutionem prohibet, & neruis nocet: & sic nullo modo conuenit.

Ad sextum: Conueniunt Alex. Razes & denique omnes, quòd fieri debeat, si non euacuandi, saltem reuellendi gratia, & hoc in principio morbi, cauendo vt suprà.

De lethargi descriptione & loco affecto.

Lethargus est dormiendi inexpugnabilis quæ ſã cupiditas, eóque λήθαργος dictus est, quod ab accidente, id est, ab obliuione frigidum cerebri apostema sequente fiat: vnde & alâs, veteranus morbus vocatur, eò quòd qui tali ægritudine laborant,

æterno veluti sopore efficiantur. Fitque hic morbus vel in meatibus substantiæ cerebri, & hoc vt plurimum: vel fit in panniculis, vel in eius substantia, & hoc rarò admodum contingit, in ventriculis verò cerebri nequaquam. Quòd si fieri contingat, non amplius lethargi nomen, sed potius apoplexiæ vel epilepsiæ obtinet, fitque vt plurimū in occipitio, interdum in sincipiti, vel in medio, sed rarò admodum.

Loci consentientes de lethargo.

Gal lib. finit. med. Lethargus est delatio in somnum non facilè excitabilem, quæ cum coloris vitio & flatuoso œdemate, nec sine ipsarum quoque solidarū partium repulsifici spiritus languore prouenit ferè in debili febre ac maligna. Auicen. prima tertij. cap. 16. Lethargia dicitur apostema phlegmaticum intra cranium factum, & est sirsen pituitosum, &c. Et hæc quidem, ægritudo nominatur nomine sui accidentis, id est, ab obliuione apostema cerebri sequente, &c. Cel. lib. 3. cap. 20. In lethargo marcor est, ac inexpugnabilis penè dormiendi necessitas, &c. De loco læso loquitur Paul. lib. 3. cap. de leth. ibi, τόπον ἔχει τὸν αὐτὸν τῇ φρενίτιδι ἡμὶ τὸ ἐγκέφαλον, &c. Auicen. prima tertii, cap. 16. Et plurimùm quidem fit in meatibus substantiæ cerebri,

bri & raro in velaminibus & substantia cerebri, quia phlegma raro penetrat panniculos cerebri, propter eorum duritiem & propter eius viscositatem, &c. Gale. 3. de loc. aff. cap. 5. In lethargo & in omnibus soporosis affectionibus ratio & memoria pereunt. Quare quum memoria in occipitio, & ratio in medio ventriculo reponatur, hoc sequi necesse est, lethargum scilicet plerunque in his duobus locis contingere, &c.

De lethargi causis.

Quuum cerebrum primario affectu laborat, binas tantùm causas antecedentes & coniunctas habere dicitur, ex quibus procatarcticæ intelliguntur. Antecedentes sunt vehementia frigora cum multa humiditate complexa, sicut in pituita & in nimia repletione cernitur. Vel antecedentes dicuntur quæcunque pituitosum humorem generare possunt, sicut comestio fructuum & ceparum, aut nimia potio. Causæ verò coniunctæ sunt humores lethargum ad actum producentes. Si verò cerebrum per consensum afficiatur, tunc vel fit ex mutatione alicuius acuti morbi, velut à phrenitide & à febre continente, vel à stupefacientibus pharmacis nimis refrigerantibus cerebro adhibitis, aut fit à diaphrag.

mate vel aliquo alio viscere affecto. Verus igitur lethargus à pituita tãtùm fit, nothus verò à pituita cum bile admixta, in capite putrescente, oboritur, vnde symptomata habet etiam admixta.

Loci consentientes de causis lethargi.

Gal. 3. de loc. aff cap. de morb. comit. Lethargus ortum trahit à vehementi frigore. Et 2. Aphor. comment. 3. Somnus, inquit, fit refrigerato primo sensitiuo, id est, cerebro, quæ refrigeratio si mixta fuerit humiditati, facit lethargicas passiones, si cũ siccitate κάλαλήψεις. Et 4. de sympt. cau. cap. 8. Fit lethargus à frigida multáque humiditate grauante. Vide etiam Gal. 2. de loc. aff. cap. vlti. Nam ibi quotquot, inquit, affectus sunt soporosi ac somnolenti, tot omnes à frigida causa oriri. Itidem 3. de loc. aff. cap. 5. Paulus lib. 3. cap. de leth. Ex pituita quæ frigore nimio & humiditate cerebrũ imbuerit, contrahitur. Auic. prima tertii, cap. 16. Et hæc ægritudo generatur ab omni quo generatur humor phlegmaticus, & in quo sunt euaporatio & putrefactio, &c. Et plurimum, inquit, generatur ex comestione ceparum, & ex nimia repletione stomachi, & multitudine potus, & comestione fructuũ intellige frigidorũ humidorum.

Obiectio.

Cur damnat cepas Auic. quum ex sua caliditate potius proficere, quàm nocere deberent?

Responsio.

Cõsiderat in cepis duas esse partes, quasdam scilicet crassas, ex quibus pituita generatur, & quasdam acres, quæ euaporationem ad caput mittunt, quæ simul vnitæ potius capiti nocent, quàm prosunt. De causis per consensum loquitur Aët. ser. 6. cap. 3 Fit lethargus ex mutatione alicuius acuti morbi, vt ex phrenitide, & à continente febre, & ex aliis plurimis morbis, in quibus præsertim euacuationes sequutæ sunt, &c. Gale. lib. finit. med. Lethargus euenit partim affecto principio, id est, cerebro, partim abscessu. Alex. lib. 1. cap 20. Si pituita sola deliquerit, lethargiam veram introducit: notham verò pituita cum bile mixta in capite putrescente, & sunt in ea symptomata permixta.

De lethargi indicijs.

Indicia lethargi sunt 13. vt dolor leuis quasi extendens, febris lenta, somnus grauis, obliuio vehemens, respiratio imbecillis & rara, crebra oscitatio, singultus ob stomachi consensum, albedo linguæ, pi-

tia in motu palpebrarū, pulsus rari & tremuli, aluus interdū humida, interdum, sed rarò, arescit, vrinæ quales iumētorū, interdum tremores & sudores apparent, &c.

Discrimen phrenitidis & letargi ex Auicenna.

Vterque affectus similis in hoc esse videtur, quòd patientes aliena ac varia loquuntur. Differunt verò quadrifariam: primò, quia in lethargo somnus est grauis, in phrenitide paucus vel nullus: secundò, lethargi in suis lectis præcipitati iacēt, phrenetici resurgunt: tertiò, in lethargo pars posterior, in phrenitide anterior læditur: quartò, in lethargo est febris lēta, leuisque dolor capitis, in phrenitide verò vehementia sunt omnia, &c.

Discrimen lethargi & apoplexiæ syncopæ & vteri strangulatus.

Differt lethargus ab apoplexia ex eo, quòd lethargus paulatim ac pedetentim fiat: apoplexia verò statim. Differt ab vteri strangulatu, quum excitatus respondeat, strangulata minimè. Differt à syncopi, quum in lethargo facies sit viuida, in syncopi veluti mortua. Differt à subet & congelatione per febrem, quæ nec in subet vel

conge

congelatione accidit, intellige, præsertim si ægritudines & non accidentia per se sint.

Loci consentientes de signis lethargi.

Paulus lib.3.cap. 9. In lethargo adest febris lenta, nõ admodum acris, cùm animi in somnũ profunda delatione, pulsus magni, turbulenti, respiratio rara & imbecillis, & cætera omnia à me exposita. Auic. similiter prima tertii, de signis leth. ibi, Soda leuis, febris lenta: necessaria enim est febris in omni apostemate facto ab humore putrefacto: & propter hoc separatur à subet, &c. Vide insuper Gal. 5. de loc. aff. cap. de septi trãsuersi affectibus, & 3. de loc. aff. cap. 5. Itidem Aët. ser. 6. cap. 3. ibi, Proinde considerare oportet speciem delationis in somnum &c. De signis discriminum lethargi cum phrenitide, apoplexia, & cæteris similibus lege ex Auic. Arcul. Sauonarola, & ab ipso Gordonio.

De lethargi cura.

Scopi in curando lethargum quinque enumerantur: primus euacuatio, secundus reuulsio, tertius materiæ repulsio, quartus symptomatum emendatio, quintus victus ratio instituenda. Euacuatio si adsit repletio, aut pituita cum sanguine abundaue-

rit, fiet per sectionem venæ cephalicę: quod si minus sanguis redundet, per phlegmagogum, per secessum, vel per vomitū educens moliri potest. Educunt pituitam hiera simplex, hiera cōposita, pilulæ chochiæ, electuariū indum, & quæcunque in cephalæa ab humore frigido exarata sunt. Vomitus fiet ex decocto raphani cum sesquiuncia oxymellitis scillitici. Reuulsio fiet per cucurbitulas, lotiones, clysteria, quæ multum in hoc casu laudantur, per frictiones, ligationes, &c. Clysteria parantur ex rebus ad caput spectantibus, sicut ex decocto saluiæ, maioranæ, rutæ, betonicæ, stechados, cui mellis rosacei tres vnciæ, & totidem olei communis adiectæ sint: vel si acria volueris, adde prædicto decocto radicum cyclaminis, colocynthidos, cartami, centaurii quantum lubet, addito etiam sale gemeo, aut hiera composita, electuario indo, &c. Lotiones fiant ex prædictis rebus à cubito ad extremam manum, & à genu vsque ad plantas pedum, &c. Repulsio materiæ perficitur per exteriora & interiora. Per exteriora in principio repellentia, per interiora materiam præparantia. Exteriora in principio repellētia sunt oxyrrhodinum: in augmento repellentibus adde resoluentia, vt est aliquid castorei,

ſtorei,& à medio ſtatu vſq; ad lethargi declinationem reſoluentibus puris vtendum ſicuti eſt emplaſtrum Meſues, quòd recipit piretri, ſinapis, ſcillæ, caſtorei, euphorbii, &c. Interiora materiam præparantia ſunt ſyrupus de ſtechade,oximel ſcilliticũ,rhodomel, & cætera quæ dicta ſunt in capite cephalęæ ab humore frigido, cũ aquis vel decoctis ſaluiæ,ſtechados,maioranę,hyſſopi,betonicę, &c. Emẽdatio ſymptomatum fiet per ea, quæ à ſomno profundo ægrum reuocant, vt eſt fumus humorum capillorum, item frictio pedum cum acuto ſale, vel farina ſynapis,vel cum ſucco rutæ,aceto & ſale.Reuocat etiam à ſomno pilorum euulſio partiũ inferiorum,clamor & tumultus:obliuio verò loquẽdi,mingẽdi,ac egerendi, incitando, veſicam comprimendo, oleíſque aſpergendo, membráque inferiora vehementer comprimendo, reuertitur. Victus ſit tenuis, inciſorius ac reſecans,cũ condimentis quibuſdam paratus, vt panis cõtritus in aqua cum ſaluia, pauco pipere, vel cinnamomo, vel ptiſana, ſale vel pulegio, vel oxymellite parata, vel aqua cicerum vel lupinorum:potus ſit hydromel. In declinatione morbi victus ſit qui vires recolligat ac recreet: vnde dandum eſt vinum aquoſum,tenue, album, ſubaſtringẽs.

Carnes

Carnes ſint gallinarũ, columborum, montanarúmque auicularũ, piſces petroſi, olera ſint porri, aſparagus, petroſelinum, &c. Aër ſit lucidus, ſplendidus, domus tepida, ſomnus non permittatur niſi per mediam horam, deinde excitetur, ita vt de media in mediam horam dormiat & excitetur: frictiones vicem ſuppleant exercitii, &c.

Loci conſentientes de cura lethargi.

De omnibus his ferè intentionibus loquitur Galen. 13. meth. cap. 21. & primum de euacuatione, ibi: Incidenda eſt in talibus affectibus vena ſtatim ab initio, ſi virtus valeat, &c. De humorum præparatione, ibi: Excitare eos oportet, & craſſitiem humoris incidere & excalefacere, incoquentes in aceto thymum, & pulegium, & origanum, &c. De deriuatione, ibi: Mox palatum valentibus & acribus medicamentis vngemus, deinde ſteruntamentis vtemur. De repulſione, ibi: Tum capiti ſimiles prædidorum facultates imponemus, adaucta ſemper eorum vſque ad ipſum ſinapi vehementia. De reuulſione, ibi: Quinetiam cucurbitulis vtemur, &c De euacuatione loquitur Auice. etiã prima tertii cap. de cu. leth. ibi: Si non fuerit quod prohibeat, phlebotometur prius: & ſi alia fuerint tibi neceſſaria

saria, da ei ad potandum hieræ picræ, ʒ.j. & quartam vnius drachmę de pulpa colocynthidos,&tres drachmas myrobalanorũ & danic vnum masticis. Aet.ser.6.capi.3.Si sanguis fuerit redundans secetur vena, & proviribus euacuetur.De reuulsione loquitur Paul.lib.3 cap.9.ibi.Si minus sectio venæ competit, eius loco clysteriis acribus alnum ducemus. Acria enim huc spectant, quia tum febris mitis est & lenis, tum quia materia crassa,non apta fluere,in ventriculo continetur,à quo clystere acutũ diuertit & euacuat.Similiter Auic.loc. cit. Administra eis clysteria acuta,& trahatur materia ad inferiora, & fac eũ vomere cũ pẽna melle & sinapi illita, & frica extremitates eius donec rubescãt & doleant,&c. De repulsione & materię præparatione loquitur Auic. cap.cit.& in principio. Repelle materiam cum oleo rosaceo &aceto,&post duos dies à principio sui misceatur eis castoriũ, &c. Alex.lib.1.cap. 20. Vniuersam curationem capiti applicare oportet, quo vapores, qui eò deferuntur, promptius supprimantur. Danda est insuper opera, vt humores ibi coacti cõcoquantur, incidãtur, & dissipentur,&c. De sympt.emendatione facit mentionem Cels.lib.3.cap.20.ibi, Hos quidam excitare nitũtur admotis his, per quæ sternutam

nutamenta euocantur,& his quæ odore fœdo mouent:qualis est pix cruda,lana succida,piper,veratrũ, &c. Auic. loco cita. Quũ in iubet profundi fiunt, euelle capillos eorum, & pone apud nocram ventosas multas cum igne & absque incisione, & quum eis acciderit obliuio vrinæ & stercoris, em broca vtraque emunctoria,& vẽtrem cum decocto camomillæ, meliloti, violarum, & comprime vesicam, &c. De victus ratione instituenda lege Aët. ser. 6. capit. 3. ibi. Cibi porrò sint tenues, & incisorii,ac resecantes, & tum condimentis parati, anisо, cumino, apio, pipere: sunt tamen qui anisum damnent quum sit somniferum. Paul. lib.3.cap.9.etiam de his loquitur, ibi, Alimentum sit cremor ptisanę cum oxymelli te, vel salibus, vel pulegio, & hoc in principio. Nam in declinatione victus sit quivi res recolligat,&c. Auic. loco cita. Et quum nutris,nutri eos cum aliquibus quæ sint sicut aqua lupinorũ,ciceris cum hordeo fracto: deinde quum finitur ægritudo, administra restaurantia. Lege fusius hos authores, & plura quæ hîc recitari non possunt inuenies,&c.

Lethargum generantia.

Cepe, ozimum, semina nigri & albi papaueris,poma mandragoræ.

De

De prognosticis lethargi.

Hippoc.aphor.2.Aphor. 1.in quo morbo somnus laborem facit, mortale: si verò iuuat,non mortale.B.intellige somnum,quatenus somnum, esse mortalem, sed quatenus accidens alicuius morbi.Et Aphoris.2. Aphor.3. Somnus atque vigilia si modum excesserint, malum.B.Excedit modum tripliciter: primò ex parte quantitatis, vnde multus vel deficiens malus: secūdò ex parte qualitatis,qualis est somnus inexpugnabilis & superfluus, cerebrum infrigidans & humectans: tertiò ex parte temporis, qualis meridianus & nocturnus. Auicēnas prima tertii,ca.de signis lethargiæ. Quīq; fortia fuerint accidentia lethargiæ,& multiplicatur sudor valde, est tunc perimens, propterea quòd sudor deiicit virtutem: & quum spiritus dilatatur & fit bonus & declinant accidentia, tunc tendit ad salutem, & propriè si apparent apostemata post aures,&c.Cels.lib.3.cap.20. Lethargus est de genere acutorum,& nisi succurratur, celeriter iugulat,&c.

Authores dissentientes circa leth.& vertig.quære infrà.

De vertigine.

Τὸ σκοτωματικὸν πάθος,id est affectus scotomaticus qui & vertiginosus dicitur, quid

sit ex ipsa appellatione manifestatur. Est enim scotomaticus is dicendus, cui obtenebrationes contingunt, ac ei videtur caput circunferri, ita vt firmari non possit, sed parua occasione cadat. Differt verò vertigo à scotomatico affectu, eo quòd omne scotoma vertigo sit, sed non econuerso, σκότωμα dictum Latinè turbo, à σκοτοῦμαι, id est vertiginor, siue à verbo σκοτόω, id est obtenebro, siue à σκοτίζω, id est obscuro: obscurantur enim præ caligine oculi, vt nihil videant. Sed in vertigine simpliciter dicta res videntur tantùm circùuolui, absque casu & tenebris. Differunt etiam in causis vt infrà videbitur.

Loci consentientes de vertigine.

Gale. Aphor. 4. comment 17. Vertigo est quando simul videntur circũuolui quęcunque conspicimus, & sensus visus de repentè destruitur, quum videantur tenebræ circũfusæ. Auic prima tertii, tra. 5. Vertigo est, vt habens ipsum imaginetur quòd res super ipsum voluantur, & quòd eius cerebrum & corpus ipsius reuoluantur: quare non regit se ita vt firmetur, imò cadit, &c. Ba. Intellige scotomaticum affectum (& si nulla de tenebris fiat mentio) hîc ab Auicen. definiri, sub quo vertigo tanquam minor dispositio continetur. Definitur verò vertigo à

Raze

Raze hoc modo, Razes 1. comment. capi. 2. Vertigo est dispositio, in qua apparet res re uolui, tamen homo non cadit, sed regit se, &c. Ba. Adde, sed perseuerante morbo diutius ex facili occasione concidit, maxime vbi in circulum circũuertatur. Vnde. Gale. 3. de loc. aff. A parua occasione hebetantur, ita vt interdum cadant, si circunrotentur. Hoc idem adserit Paul. capi. proprio, &c. & Aet. ser. 6. cap. de vertig.

De vertiginis causis.

Causę vertiginis primitiuæ sunt omnes sex res prȩter naturales, ex quibus vapores crassi egredientes, vt cepæ, vinum, cerebrũ malè afficiunt. Similiter vna in sole, mala intemperies capitis percussio aut cranii fractura solitæ, excretiones rẽtentæ, cruditates, ebrietates, & consideratio rerum quæ circumagũtur. Antecedẽtes sunt omnes humores, à quibus vapores eleuantur, qualis est vtraque bilis, pituita & sanguis. Coiunctæ sunt vapores spiritibus admixti, existẽtes actu in regione visus. Hæc affectio etiã per cõsensum alicuius partis vel totius fieri potest, ex vaporibus ad caput elatis, aut ex ore ventriculi à malis humoribus morso, ab iisdẽ met causis deniq; prodeunt vertigines, à quibus morbus comitalis, & eas demmet sedes occupant, &c.

Loci consentientes de causis vertigmis.

De causis primitiuis loquitur Gale. 3. de locis aff. ca 8. ibi. Id maximè accidit, quum vel sub sole çstuauerint, vel aliam ob causam calefacto fuerint capite, aut ex calido vaporoſóq; spiritu caput opplente, &c. Act. ser. 6. capit. 7. Facilè capiuntur ab hac affectione, quibus consuetæ excretiones sunt oppressæ, sed & cruditas & ardores assidui, & ebrietates affectionem hanc efficiunt. Auicen. prima tertii, cap. de cau. vertig. Fit propter consideratione ad res quę voluuntur, ita vt figatur forma illa sensata in anima. Et paulò pòst inquit. Interdum fit à malitia complexionis, & fit ex motore spiritus exterius, sicut ex percussione capitis & fractione cranii, &c. De antecedentibus causis lege Galen Aphor. 3. commẽt. 27. ibi, Quotidianæ cõstitutiones, &c. vbi inquit. Fit vertigo ab humore cum spiritus crassitie in capite moto, ideóque proxima est comitialibus morbis & apoplexiis, &c. Paul lib. 3. capit. 12. Nascitur vertigo, quum frigidus & glutinosus humor cerebrum occupat, &c. Auicen. prima tertii, tract. 5. Vaporis materia quandoque est cholera quandoque phlegma, & vertigo phlegmatica similis est epilepsia, &c. De atrâ bile & sanguine non meminit, ni-

si

si vbi de signis vertiginis loquitur. De causis coniunctis loquitur Galen. Aphoris. 3.comment. 31. ibi, Vertigines accidunt propter spiritum vaporosum, qui in partibus cerebri inordinato motu cietur, &c. Auicen. prima tertii, capi. cit. Ex causis fit corporeis prçsentibus in vacuitatibus cerebri, contentis in ipso ex vaporibus prouenientibus in venis, quæ sunt in ipso & neruis, &c. De causis per consensum plura habes ex Galen. Aphoris. 4 comment. 17. ibi, Fit ab ore ventriculi à malis humoribus morso, &c. Item Aphor. 3. comment. 31. ibi, Aut in ventriculo vitiosis superfluitatibus aceruatis ad cerebrum fertur exhalatio vaporosa. Item 3. de loc. affect. capit. 8. Oribasius Aphoris. 3. comment. 20. de hac re mentionem & ipse facit, ibi, Sicut ventus sese eleuans, & puluerem in sublime rapiens, &c. Auicen. prima tertii, tra. 5. Et quandoque fit ex vaporibus ascendentibus ad cerebrum, &c. lege eum fusius, nam ibi enumerat omnes partes, à quibus se extollere potest. Galen. in libr. qui Introductio siue Medicus uuncupatur, Caligines, inquit, oculis offusæ & vertigines cognata sunt vitia morbo caduco, ab iisdémmet causis prodeunt, atque eadem sedes occupant, &c.

De signis vertiginis.

Indicia quæ distinguũt vtrùm primario affectu, an per cõsensum efficiatur vertigo, hæc tria sunt: primum nõ præcessit alterius membri nocumentum: secundum est vertigo assidua, quæ nõ excitatur ex repletione alterius mẽbri, nec remouetur ad alterius membri euacuationem: tertiũ, quia omnes ferè sensuum actiones læsæ sunt. Si igitur alterius membri læsio præcesserit, ad cuius incrementum vertigo augeatur, & ad eius decrementum decrescat, & ad eius ablationem auferatur, tunc per consensum est. Vbi igitur per consensum ventriculi fieret vertigo, tunc præcedet praua conconctio, appetitus deiectio, grauitas, nausea, vomitus, & anxietas quædam stomachica, dolórq; erit in anteriori parte cerebri vsque ad mediũ, propter neruorũ reuersiuorum consensum, &c. Si verò primario affectu, tunc præcedunt hebetudines in oculis, aurium sonitus, auditus grauitas, dolor capitis, & sic vniuscuiusque sensus oblæsio acerit. Indicia humorum, præcipuè sanguinis sunt, venarum inflatio, oculi rubei, capitis grauitas, somnus & pulsatio. Bilis sunt vigiliæ, inflammatio sine grauitate multa, imaginationes citrinæ, &c. Pituitæ, sunt grauitas, tumor, multitudo somni, & sic de reliquis

liquis humoribus etiam intelliges,&c.

Loci consentientes de signis vertiginis.

Galen.2. de loc.affect.ca.8. loquens de signis primarii affectus & per cõsensum inquit, Vertigo quum per se fiat, aut per ventriculi consensum, sicut & Archigenes fatetur sic signa distinguere oportet. Nã si vertigo ex primaria cerebri affectione fiat, tũc aurium soni, & capitis dolor, & grauitas, & sic olfactus & cuiuscunque sensus à capite prodeuntis oblæsio aderit. Vbi verò per consensum oris vẽtriculi, præsentietur cordis morsio, quam Græci dicunt καρδιαγμὸν, & nausea,&c, hęc eadem recitat Paul. lib. 3.capi.12. Auicen. prima tertii, tra.5. Vertigo facta ex reuolutione hominis, aut considerationẽ ad res reuolutas, nota est per se, & similiter quæ fit à percussione & casu. In ea quæ fit à retentione materiarum in cerebro, signa sunt, quòd ægritudo est assidua, non sequens ægritudinem aliorum membrorum, nec est excitata cum repletione, nec sedata cum euacuatione, & antecedit ipsam dolor capitis, sonitus & tinnitus, & grauitas est in capite, & inuenit tenebrositatem in visu, & in sensibus abbreuiationem, &c. Lege eum fusius: nam ii omnia velem in vnum congerere, essem longitudine longè longior. Lege etiam

ipsum de signis cuiusque humoris, ibi, Etsi fuerit humor,&c.

De cura vertiginis.

Primùm id in cura notato, an per se,an per compatiendi rationem morbus fiat.Si per se, an actu vertiginosus sit, an facultate. Primò expedit curatio, alteri præseruatio. Præterea etiam id intuere, num in ipsa vertiginis accessione sit patiens, an extrà. Si in accessione, tunc frictionibus, cucurbitulis, ligationibus & medicamentis odore mouentibus æger excitandus est:si verò extra accessionem,tunc primùm causa diligenter considerata, curandus erit. Vnde si fuerit causa primitiua, qualis est visus rerum circunuoluentium, aut auditus vocum ingentium, aut percussio & crapula, tunc ita erit remouenda causa, vt nec res mobiles videat, nec sonos ingentes audiat: & tunc motus spirituum & eorum disiunctio moderetur cum quiete animi & corporis in loco obscuro, interim remouendo si quæ mala fuerit intemperies in cerebro derelicta, cum contrariis intrà & extrà applicatis. Si verò aliquis humorum causa fuerit, tunc quintuplici medio indiget, primò euacuatione, secundò reuulsione simul & deriuatione,tertiò alteratione siue humorũ præparatione, quartò

quartò accidentium remotione, quintò victus ratione. Euacuatio fiet per sectionem venę, si sanguis superabundauerit, per remotas venas, incipiendo à saphena, deinde à basilica, postremò ab ipsa cephalica & à venis, quę post aures locantur, præsertim si purgationes mẽstruorum vel hæmorrhoidarum oppressę sint. Si verò sanguis cum aliis humoribus in qualitate redunder, prout natura humoris requirit, euacuabitur cum rheubarbaro, myrobalanis, cassia, &c. Reuulsio fiet cũ omni reuulsionũ genere, vt suprà dictum est in cap. cephalææ, procedẽdo vsq; ad cauteria. Alteratio, siue humorum prępara:io perficitur per exteriora & interiora. Exteriora parantur in principio cum his quę repellunt ac infrigidant, quale est oleũ rosaceum & acetum. In medio tempore cum repellẽtibus ac resoluentibus mixtis, & in fine cum puris resoluentibus, prout habuisti in cap. cephalææ. Inferiora per ea, quæ immobiles reddunt spiritus sicuti sunt frigida stiptica, qualis est syrupus ros. de granatis, de ribes, de citoniis, & quæcunq; apozemata ex his parata, vbi materia sit calida, & spiritus in motu fuerint. Valẽt etiã in hoc casu eclegmata ex saccharo rosaceo, mina cydoniorum, item cotoneata à prandio statim vel ab

ipsa cœna comesta. Remotio accidentium erit, si nec apud ignẽ, nec in scalis, nec prope flumina patientes sint, ne interdum ex vertigine oborta præcipitentur: si verò aliquæ etiam tenebræ adhuc remaneant, cum his quæ clarificant, statim curabuntur, &c. Victus ratio, si ab humore calido fieret vertigo, erit quę bilis aut sanguinis feruorem extinguat, sicut sunt acetosa, styptica, qualis est succus cotoneorum malorum & granatorum in quo buccella panis immergi potest, sitque victus non flatuosus, nõ cacostomachicus, sed facilè concoctilis. Aër sit magis obscurus, quàm lucidus, ne spiritus agitentur. Potus sit modicum vini albi tenuissimi, presertim si vertigo per compatiendi rationẽ fieret. Sonus sit notabilis: quies non solùm corpori, sed etiam animo cõfert. Vitãda insuper sunt accidentia animi, sicut ira, tristitia, nimia cogitatio, &c. Venereis quãtum potest se abstineat, &c. Si causa fuerit per cõsensum, tunc triplici scopo curabitur: primò cum causæ remotione, secundò cũ mẽbri mittentis & recipientis roboratione, tertiò cũ reuulsione vaporũ, adhibito tamen regimine cõgruo, vt suprà: quę omnia lõgè vberius habita sunt in cap. cephalææ per consensum, &c. Quare non est, vt hîc denuò recitentur, &c.

Loci

Loci consentientes de cura vertiginis.

Paulus lib.3.cap.12. Vertiginosos in accessione excitabimus cum medicamentis, quæ odore mouent,item frictionibus,& id genus aliis, &c. lege etiam de hoc Marc. Cat.Auic.prima tertii,tra.5. Vertigo facta à reuolutione hominis super ipsum,& considerationе eius ad reuolutiones,& cõsideratione à loco alto,cũ quiete & trãquillitate curatur & somno,si non citò sedatur.

De cura à causa humorali, & primò de ipsa euacuatione loquitur Auicen.loco nuper citato ibi: Quæ verò facta est ex sanguine,aut ab humore contento in corpore, curat phebotomia ex cephalica,deinde ex vena quietis,quæ est post aurem.Et Paulus loco citato:Vbi morbus conquieuerit,sanguis discutiendi gratia extrahatur, & purgatio ex hiera præsanda & Razes.9. almã. Quòd si non appareant, & facies sit rubra, sanguis ex cephalica vel basilica erit minuẽdus.De reuulsione etiam loquitur Paulus ibi, Interpositis diebus acri clystere & cucurbitulis ad occipitium cum scarificatione , móxque apophlegmatismis & sternutamentis vti debemus,&c.Auic.loco citato: Et cauterizatur arteria, & propriè ea, cuius causa est ascensio vaporum:& ventosæ conferũt nocrati,&c.Si verò fuerint hu-

mores diuersi à sanguine, incipe ad curandum cũ pilulis de hiera & infusione aloes, vel in humoribus calidis cum decoctione myrobalanorum, epithimi, pilulis stomaticis, &c. De alteratione plura habes ab Aet ser. 6. cap. 7. ibi, His verò qui calidum caput habent, etiam rosaceum cum aceto adhibeas, &c. Et Auic. cap cit. Et confortabis caput cũ oleo rosaceo & aceto, & oleo camomillino, & post cõfirmationẽ cũ oleo camomillino singulari, &c. Loquens etiam de interiori inquit, Et malitia complexionis curatur per contrarium, vt temperetur cõplexio naturalis, vbi Hugo Senensis vtitur syrupo de stechade, de epithimo, oxymelle composito & scillitico cũ decocto: hasce origani, hyssopi, stechadis, &c. De accidẽtium remotione loquens etiam Auic. inquit, Et habens vertiginem alienet à se considerationem ad omnem rem cito reuolubilem, & ab aspectu profunditatum fouearum, & verticum mõtium. Lege etiam de his omnibus Arcul. Marc. Cat. Michaelem Sauo. & Gordonium. De victus ratione fit mentio ab Aetio ser. 6. ibi, Cibi sint boni succi, facilè concoctiles, flatus extorres, omnino stomacho ac ventri commodi, vrinam cientes, vinum modicum sit album & tenuissimum, & non valde vetus. De cura

per

per consensum, Mes. cap. de vert. inquit, In primis materiam abscinde, deinde membrum mundans rectifica, & regimen ad æqualitatem administra, cerebrum & caput cõforta, ne recipiat, deinde diuerte vapores & fumos cum constructione dolorosa, ventosatione, clysteriis, &c.

Obseruationes de sectione venæ.

Aetius ser. 6. capite 7. monet, ne aceruatim euacues, nam ex facili occasione concidunt, &c.

Vertiginem generantia ex Dioscor.

Cardamomum, hyosciamus, mandragora, falernum, aconitum, cicuta.

Remedia ad vertiginem ex eodem.

Valent peucedanum, galbanum, ampelos leuce acetum scilliticum, vinum scilliticum.

De prognosticis vertiginis.

Auic. prima tertii, tra. 5. Quandoque fit vertigo & scotomia secũdum semitam erisis, & vertigo frequens, & propriè in decrepitis nunciat apoplexiam: & similiter vertigo eueniens successione stuporis communicantis membrum, & quandoque soluit vertiginem soda accidens. Ille cui frequenter accidit scotomia, de seipso solicitus sit, & humorem euacuet crassum, ne ad epilepsiam aut apoplexiam perueniat.

Quum

Quum vertigo prolongatur, signum est quòd fiat à causa frigida, &c.

Authores dissentientes circa lethargum & vertiginem.

1 Adserere, lethargum non principaliter in cerebro, sed in corde fieri, vt Aristoteles, qui primam vim sentiendi in corde esse dicebat, & non in capite.

2 Adserere, lethargum à melancholia generari posse, vt Razes.

3 Adserere, in lethargo à frigiditate & humiditate proueniente, sectionem venæ non competere.

4 Adserere, in lethargo occipiti esse adhibenda repellentia.

5 Adserere, scotomaticum affectum non differre à suffusionibus oculorum, quum vtrobique imagines videantur.

6 Adserere, vertiginem quæ fit per consensum, non esse attribuendam capiti.

7 Adserere, omnem vertiginem per arteriarum sectionem esse curandam.

Confutatio dissentientium circa lethargum & vertiginem.

Impugnat primum Gal. 4. de symp. cau. capit. 8. ibi, Cæterùm quòd capitis repletio somnum conciliet, iam Aristot. satis monstrauit: sed quamobrem oppleto capite prima sentiendi vis quiescat, quum ipsa (vt ille put

putat) in corde reſideat, nullam probabile m inuenire potuit rationem, igitur, &c.

Ad ſecundum reſpondet Auicen. prima tertij, cap. 16. ibi, Sunt quidam Medici, qui nominant lechargiam omne apoſtema frigidū in cerebro, ſiue ſit melancholicū, &c. quem videre poteris. Præterea Galen. loco citato, Lethargus, inquit, fit à frigiditate & humiditate: ſed melancholia frigida eſt & ſicca, igitur, &c.

Ad tertium: Alex. lib. 1. cap. 20. Si nec vires ægrotantis, nec ætas, regio & tempus obſiſtere videātur, ſanguinem detrahere in principio ſtatim expedit, &c. Auice. Si non fuerit quod prohibeat, phlebotometur: intellige ſaltem reuulſiuam ſectionem competere, ſi non euacuatiuam.

Ad quartum: Galen. 13. meth. cap. 11. Sed quoniam ſuturæ, & præſertim coronariæ, non ſolùm impoſiti medicamenti qualitates, ſed etiam ſubſtantiam, (ſi tenuis eſt) intrò tranſmittit: nam præter reliqua, tenuiſſimum eſt hoc loco cranium & rariſſimū: ergo quoties medicamenti cuiuſque vim vehementer deſcēdere voles, hoc maximè loco impones, &c. igitur non occipiti, &c.

Ad quintum: Gal. in lib. qui Introductio ſiue Med. nuncupatur, reſpondet dicens, q caligines oculis offuſæ & vertigines cognat

gnata ſuntvitia morbo caduco,ſed inter ſe differunt,quod experientia demonſtratur: nam in ſcotomatico affectu leui occaſione hebetantur & concidunt, ſed non in ſuffuſionibus oculorum, &c.

Ad ſextum:Galen.3.de loc.affect. cap.8. Verùm vt iam anteà ſæpenumero monuimus,li et caput per alterius partis conſenſum afficiatur,affectio tamen ipſi aſcribenda eſt, &c.

Ad ſeptimum: Galen.de loc. affect.cap. citato,Quamborem nonulli horum ab arteriarum ſectione præſidium petierunt,arterias pone aures ſecantes,ſed conſtat non omnes huius auxilii beneficio fuiſſe curatos, &c. Nam fieri poteſt quòd inæqualis cerebri intemperies huiuſcemodi ſpiritum producat,&c.

De morbo comitiali.

Morbus comitialis, Græcè ἐπιλημψία dictus, eſt totius corporis nõ omnimoda conuulſio,ex qua operationes,motus & ſenſus in mẽbris probibentur,per temporũ interualla accidens,fitq; cum repentino caſu ac exitu ſpumæ oris.Talis vero cõuulſio ſequi ſolet vel à multitudine grauante, vel ab acri materia cerebrum mordicante: quod quum tale moleſtum reiicere conatur, tali motu conuulſiuo concutitur,&c.

Loci

Loci consentientes de morbo comitiali.

Galen.3.de loc.affect.cap.7.Morbus comitialis est omniũ corporis partium conuulsio non perpetua,sicut in emprosthotono,opisthotono & tetano,sed quæ ex temporum accidit interuallis. Et lib.fini. med. Comitialis morbus est, oppressio mentis sensoriorúmque cũ repentino casu, ac spumæ oris exitu.Auicen. prima tertii,tra. 5. Epilepsia est ægritudo, prohibens membra animata ab operationibus sensus & motus in erectione non integrè: & illud est propter oppilationem contingentem, &c.

Obiectio.

Quum Galen.de symptom.differ. cap 3. dicat.Si non totum corpus conuellitur,sed principes functiones detinentur,hoc symptoma morbus comitialis appellatur:si igitur symptoma est,quomodo ab Auicen. ægritudo dicitur? Præterea conuulsio est symptoma sed morbus comitialis est conuulsio: igitur symptoma & non morbus,vt Auicen.

Responsio.

Morbus comitialis sumi potest primò pro obstructione cerebri ventriculos oplente, vel pro mala intẽperie,vel pro mala compositione,& sic his tribus modis est ægritudo: at sumptus pro motu cõuulsiuo,

est

est symptoma siue accidens, &c. Cur motus conuulsiuus fiat in cerebro, reddit rationem Gal.3.de loc.aff.cap.de mor.comi. ibi, Proinde existimaui similem motum cerebro euenire, qualis stomacho interdū à re quapiam molestato accidere solet,&c. Vide etiam de hac re Act.ser.6.cap. 13. De generatione spumæ vide Galen.aphoris.2. comment. 43 ibi, Strangulati, &c. & Auic. ibi, Spuma verò accidens in epilepsia est propter agitationem motus,&c.

De causis morbi comitialis.

Causæ primitiuæ sunt victus depraua-tus ac potus multitudo, mora in sole nimia,coitus plurimus, exercitium super repletionē: accidentia animi, vt tristitia, ira, timor, euentus, tumultus, auditus vocum terribilium, odor hepatis cerui vsti,& gagates lapis, bitumen & cornu ceruinum, Causę antecedentes sunt, intemperies mala totius corporis,cōplexio cerebri frigida & humida, ex qua flatuosus spiritus generatur,vel malus humor, vt pituita, atra bilis, sanguis vel materia venenosa. Causæ coniunctæ sunt,vapor vel flatus crassus,vel talis humor actu obstruens.Causę verò per consensum, omnia membra, à quibus vapores ad cerebrum mittuntur,sicut totum corpus,stomachus,lien,& cætera membra,

à quib

à quibus vapores eleuari possunt.

Loci consentientes de causis morbi comitialis.

Gal.5.de loc.aff. cap.6. Iam alios vidimus (loquens de causa primitiua) conuulsione comitiali ob oris stomachi vitium correptos,quũ aut non probe cõcoxissent, ut vini meracioris plurimum potassent, aut Veneri immodicè operam dedissent. Auic.prima tertij.tract.5.Et causas mouentes epilepsiam plerunque adiuuant causæ extrinsecæ, sicuti immoderantia cibi & potus,& satietas nauseatiua, & mora plurima in sole, & coitus plurimus, & exercitium super repletionem,& id quod debilitat cor ex timore,&c.Aët.ser.6.cap.14.Epilepticos collabi faciunt suffita, bitumẽ, lapis gagates,cornu ceruinum, odor hepatis caprini assati,& ipsum hepar dũ editur. Hoc idem habet Paul.lib.3. cap.13.Gal.aphor.2. com. 45. Magna ex parte victus deprauatus hãc passionem generat.Mattheus de Grado hi storiam de suo filio recitat, qui ex magno tubarum sonitu in epilepsiam ceciderit. De causis antecedentibus & cõiunctis loquitur Gal.3. de loc.aff.cap.7.ibi, Non ab ariditate vacuationéq;,sed à crasso semper humore hanc affectionẽ induci argumẽto est, quòd & subitò fit, & soluitur cõfestim:

nam subitariam meatuum obstructionem à crasso viscosóque humore fieri constat. Paulus lib. 3. cap. 13. Morbus comitialis habet causam partim in ipso cerebro, partim in vniuersis ventriculis subsistentem, modò humorem pituitosum, modò melancholicum. Itidem ait Gal. 3. de loc. aff. cap. de Mania. Auic. prima tertij, tract. 5. Tunc restat vt eius causa sit, aut contractio cerebri ad expellendam rem impediẽtem, quę est aut vapor, aut qualitas mordicatiua, aut humectatiua malę substantiæ, aut humor faciens oppilationem & spasmum nõ integrum in ventriculis cerebri, & principiis originis neruorum, &c. B. Nota quòd hæ tres causæ, scilicet vapor, humor & qualitas vel mordicans vel substãtiæ venenosæ, mutuam adeò beneuolentiam in se agunt, vt vna sine altera effici non possit, & sic intelligitur Auic. Ipse verò loquens de causa materiali inquit, Fieri à sanguine plurimo dominante, aut à phlegmate, aut à melancholia, aut à cholera, & est parua valde, &c. Hippoc. de sacro morb. Pituitosis fit natura non bilioſis. Galen. 4. de loc. aff. loquens de sopore, apoplexia, & morbo comitiali, inquit, Horum trium morborum frigiditas, ac crassus, aut omnino viscidus humor causa est. Simili

militer 2.aphor. comm.45.dixit. De causis per cõsensum habes plura ex Gal.5. de loc. aff.cap.de affectu oris vẽtriculi, vbi exemplum de grammatico affert, qui quotiens doceret, cogitaret, irascereturr, morbo comitiali corripiebatur. Item differentias huius habes ex Gal.3. de loc.aff.cap. de morb. comit. Similiter habes exemplum de puero, qui principium affectionis sentiebat in crure. Præterea quomodo ille humor ad caput ascendat, habes etiã exemplum de ictu scorpionis, quãuis hæc tertia species rarò cõtingere soleat, prout notauit Aët. ser.6. cap.13. Paulus lib. 3. cap.13. Ore ventriculi inquit affecto cõsortij lege oboritur, quẽadmodum in colicis. Itẽ & ab aliis inquit partibus nascitur, quum veluti aura quædã frigidior ad cerebrũ ascendat, aliàs à crure, aliàs à manus digitis, aliàs ab vtero mulieris grauidæ,&c. Aui.. prima tertij, trac. 5. Membra ex quibus vapores eleuãtur ad cerebrum, epilepsiam facientes, sunt aut totum corpus, aut splen, aut stomachus, aut myrach, & cõtingit etiam illud in reliquis membris,&c.

De signis morbi comitialis.

Signa cõmuniter præcedentia, sunt mutatio corporis à complexione sua, grauitas capitis, tristitia, & eorum quæ iuxta sunt,

obliuio, imagines insomniorũ turbulẽtæ, pallor fac ei, inordinatus linguæ motus & ira. Signa morbũ demonstrãtia, sunt spuma oris, repentinus casus, oris ac faciei distractio, ceruicis ac totius tremor, dentiũ constrictio, stercoris ac vrinæ ac etiam spermatis inuoluntaria emissio. In vehemẽti morbo si spuma ab ore abstergitur, denuò resurgit, in debili verò non amplius reuertitur, vel in debili citò resoluitur, in vehemẽti nequaquam. Signa pituitæ sunt, si spuma sit crassa ac multa, si vrina vitro liquefacto sit similis. Cognoscitur etiã ex vomitu, ab ætate, à regione, à regimine prę terito, à colore faciei, & ab aliis vt dictũ est in primo lib. Signa demonstrantia morbũ esse in capite vel in aliis membris sunt, quia si in capite, præcesserũt sensus & motus læsiones, aut obliuio, aut amẽtia, &c. Si in stomacho, cognoscitur ex nausea, vomitu, erosione, & sic de reliquis morbis, &c.

Loci de signis morbi comitialis.

De signis præcedentibus Auic. ibi loquitur & plurimùm antecedit mutatio corporis à cõplexione sua, &c. Paulus lib. 3. cap. 13. Præcedunt quædam animi tristitia, eorum quæ iuxta sunt obliuio, turbulẽtæ insomniorũ imagines, dolor capitis, eiúsque repletio continua, & ob iracundiam faciei

ciei pallor, inordinatus linguæ motus, &c. De ſignis morbum demonſtrantibus loquitur Razes 9. almã. cap de epilep. Quum aliquis cadit in terram, & torquetur, & commouetur, & intellectum amittit, dicimus eſſe epilepticam: quòd ſi ſpuma exit per os, aut ſe commingit, aut ſperma egreditur, aut egeſtio, paſſio tunc eſt grauior ac vehementior, &c. Paul. cap. cit. Quamprimùm morbus inuadit, concidunt ægri, vóxque interrumpitur. peculiaris morbi nota eſt, oris ſpuma. non deſunt quibus vrina & ſtercus præter voluntatem excernitur, &c. B. Hæc ſigna de vehementi epilepſia intelliguntur: nam in debili non omnia adſunt. Vide de iis tamen fuſius Arcul. Sauonarolam, Gordonium & cæteros practicantes.

De ſignis humorum lege Auicen. prima tertij. tract. 5. ibi, Et ſigna eius cuius cauſa eſt phlegma, &c. vide eum fuſius: nam omnia annotaſſe longum ac præterrem foret.

De ſignis per conſenſum loquitur ibi, Qui non ex propria cerebri affectione, ſed per conſenſum comitiali morbo laborant, ij citra perpetuã conuulſionẽ, veluti ſaltando per interualla cõcuti videntur. Manardus in epiſt. 6. lib. 3. Quando per conſen-

sum patitur, non accidunt vehementes & assiduæ conuulsiones, sed per interualla breuibus quibusdam saltuosis motibus patiens concutitur. Galen 5. de loc aff. cap. de oris vēntriculi affectione. & Paul lib. 3. cap. 13. Similiter Alex. ca. de sacro morbo, Si per consensum stoma. hi eueniat, cognoscitur ex nimia ventriculi repletione, aut ex inedia, aut syncopi, ex nausea, vomitu, erosione, &c.

De cura morbi comitialis.

Id in primis præuidendum est, an in ipsa morbi exacerbatione æger actu sit an extra. Si in exacerbatione, tunc vnica tantùm curandi intentio erit, scilicet ab exacerbatione liberatio, quæ fieri potest cum reuulsione vaporum ad alia loca per cucurbitulas, frictiones, clysteres, suppositoria, aut per odores sensum irritantes, cum castoreo, succo cirenaico, id est, assa fœtida, succo rutæ, &c. Si verò patiens fuerit extra exacerbationem, tunc considera num inceperit, vel incipienda sit ægritudo: quæ si non inceperit, sed incipienda timeatur, tunc vna tantùm erit curandi intentio, præseruare scilicet ne patiens dispositus in hanc ægritudinem incurrat, quod fiet si superuacaneas humiditates abstulerimus cum electuario ex saccharo & amygdalin

gdalino oleo aut siſamino parato, aut ſi ea quæ a proprietate comitialem morbum expellunt, dederimus, ſicut pęoniam, &c. aut infantes ab omni ſtrepitu & timore cuſtodierimus: aut ſi nutrix à coitu, à crapula, & ab his quæ lac malum generare poſſunt, ſeſe abſtinuerit, &c. Si verò morbus iam dudum inceperit, cauſam tunc primùm inquirito, quæ ſi fuerit pituita tanquam maiori ex parte contingens, vide num per primariam affectionem, aut per conſenſum efficiat: ſi affectio primaria ſit in cerebro vel in ventriculis eius, tunc quinque erunt medendi intentiones. Prima, victus ratio. Secunda, humoris præparatio. Tertia, euacuatio. Quarta, reuulſio. Quinta, cerebri roboratio, ac reſidui reſolutio: quanquam ſi ad Galeni dogma acceſſerimus, vnicus tantùm erit curandi ſcopus, qui eſt obſtructionis remotio. Victus ratio ſit incidens ac extenuans, qualis eſt capparis vſus, ſiſtque laudabilis chymi, non ſuperfluè humectans. Cauenda eſt inſuper repletio, & mala digeſtio, ſemel in die reficiatur æger ſi tolerat. Cane etiam ne ventriculo pleno ſuperueniat exacerbatio, caueant etiam à craſſis carnibus multæ ſuperfluitatis, & à leguminibus vinóque co-

pioſiori: nã paucitas vini dilatat animam, inquit Auic. & excuſat à multitudine. Itẽ à venereis liberalioribus, à balneis ante purgationem, à ſinapi, eo quòd cerebrum ſua acrimonia percutit. Caueant inſuper à calore & frigore ſuperfluo, à ventis, ſi poſſibile ſit regionem permutantes. Quies & tranquillitas laudatur, & exercitium poſt euacuationem. Somnus ſuper repletionem vitandus, & vigilię ſuperfluę: nam ſpiritum reſoluunt ac debilitant. Præparatio humoris perficitur per ea, quæ incidendi ac extenuandi vires habent, quale eſt oxymel ſimplex & cõpoſitum & ſcilliticũ, ſyrupus de abſinthio, apozema ex hiſſopo & origano, ſyrup. de ſtechade, de hiſſopo, rhodomel, &c. cum decoctis ſaluiæ, hiſſopi, rutæ, maioranæ, radicũ iridis, ſcillæ, viſci quercini, pęoniæ, florũ roſmarini, ſtechados, glycyrrhizę, acori, paſſularum, nuſcis moſchatæ, cinnamomi, betonicæ, &c.

Euacuatio erit, ſi repletio vniuerſalis exiſtat cum pituita, & nihil aliud prohibeat, per ſanguinis à cubito miſſionẽ: ſi minus, fiet cũ turbito agarico, cum hiera Ruffi, cũ pilulis chochiis fœtidis, polypodio. Si verò fuerit affectio atrabilaris, cũ helleboro, pilulis indis de lapide lazuli, cum myrobalanis & ſimilibus, &c. Vel euacuatio fiet

cum

cũ electuariis dissolutis in aliquo decocto, sicut cũ diaphinicone, electuario indo, &c. vt suprà relatũ est in capite cephaleæ. Reuulsio, id est ad inferiora materiæ deductio, perficitur cum cucurbitulis dorso & prȩcordiis etiã cute incisa affixis, aut enȩmate ex centaurio, eolocynthide, additis quibusdã electuariis ad hoc propositũ facientibus, vt hiera diacolocynthidos, hiera simplici, & oleis, & rhodomelle, deinde frictionibus, lotionibus circa crura, quibus annecte deriuationes quæ fiunt per sternutatoria, masticatoria, gargarismata, &c.

Roboratio ac residui resolutio fieri possunt per exteriora & interiora, remouẽdo malam intemperiẽ derelictã, ne ipsa remanẽte, noua materia denuò aggregetur. Interiora sunt diacorus, diamuscus dul. confectio pliris, arcoticõ Nic. theriaca, mitridatum, acorus conditus, & quæcũque à proprietate occulta conferre dicuntur, dequibus plura à nobis dicta sunt in fine capituli, & sunt, pȩonia, ruta, corium frontis asini. &c. Exteriora sunt sacculi, commissuræ coronali & sagittali appliciti ex maiorana, stechade, ruta, pæonia, nuce moschata: vel fiat eodem in loco sinapismus, aut cauterium aliquod potẽtiale vel actuale vsque ad ossis superficiem, & vlcus per

aliquot dies apertum cõseruetur. At si per alicuius partis consensum morbus comitialis acciderit, procurandum, vt membri, à quo malus vapor ad caput reptat, mala dispositio remoueatur, vel ascensus prohibeatur cũ ligatione arcta, vel cucurbitulis, vel loci apertione, prout magis expediet: deinceps cerebrum, ne vapores suscipiat, roborandum, & quod susceptum est, resoluendum, &c.

Loci consentientes de cura morbi comitialis.

Aët. ser. 6. cap. 13. Cura tempore exacerbationis erit, partes obtortas deligare, inungere, & dirigere odoribus, sensum irritare, & perseuerante exacerbatione castorium aut succum cyrenaicum ori cum aceto mulso infundere, &c. B. intellige de his qui post annos puetiles in morbum concidunt. Arcul. de cura epilepsiæ, Quædam administranda in tempore paroxysmi diuertendo cum fricationibus, ligaturis, & suffumigium ex assa citò remouet paroxysmum, &c. vide in hoc cæteros practicantes, sicut Gord. Marc. Cat. Sauona. itidem habes Auicen. ibi, Et finis actionis causę eius est, alienatio à prauitate paroxysmi, &c.

De præ

De præseruatione lege Mesuen, ibi: Præseruant quæcunque à proprietate retardant paroxysmum, aut prohibent eduentum eius omnino, aut occultant, sicuti dicemus, &c. Auicen prima tertij, tracta. 5. Epilepsia in infantibus curetur ita, vt nutrimentum lactantis rectificetur, vnde lactans alienet à se omne quod generat lac aquosum, aut corruptum, aut grossum, & prohibeat sibi coitum & prægnationem, & alienetur infans ab omni re, in qua est tumor, & voces magni sensus, vt vox tonitrui, fulguris, &c.

Razes primo comment cap. de epilep. scribit plures medicinas morbum prohibentes, calefacientes scilicet & exiccantes, quas etiam habet Auicen. loc. cit. & sunt pęonia, quam Gale. 6. de fac. simp. tantopere laudat, suspensa vel in potu data, & quęcunque infrà ex mente Dioscor. recitabuntur, &c. Quòd primùm in omni morbo inquirenda sit causa, habes vltra Auicen. & Galeni textum, etiam duos Ausonii versus, in quibus omnes ferè intentiones curandi habentur, & sunt.

Quis morbus, quæ causa facit, qui casus ab illo
Nascantur, quæ cura modo, quis denique finis.

Mes-

Meſu in cura epilep. Sunt quinque intentiones: Prima regimen in vita ponit, ſecunda æquat & coaptat materiam, tertia abſcindit eam &c. in hoc conſnle non ſolùm Græcos omnes, ſed etiam cæteros Arabes, nam fuſius de his pertractant. De victus ratione loquitur Paulus lib. 3. cap. 13. ibi. Victus ratio vtilis eſt, quæ incidit & extenuat, idcirco capparis eſus & ſalſamentum prodeſt. Auice. prima tertii. tract. 5. Commune eſt omnibus epilepticis, vt vtantur cibis laudabilibus, quibus ineſt humectatio laudabilis non ſuperflua, caueant à repletione, & cuſtodiant ſe à malitia digeſtionis. Qui verò non tolerant vt ſemel reficiantur, diuidant cibum ſuum in tres partes, & ſumant duas tertias in prandio, & tertiam in cœna, &c. B. Hic Auicénæ locus effecit, vt diſcrimen illud inter neotericos naſceretur, vtrũ cœna maior prandio eſſe debeat: ſed quum vtrinque robuſtæ ac validæ rationes afferantur, tu tamen aduerte, ne aduenientе exacerbatione ſiue veſperi ſiue manè, quod ventriculus ſit valde plenus. Vnde Auicẽ. Et oportet vt occurrat paroxyſmus cum mundatione ſtomachi, &c.

Paul. lib. & cap. cit. Fugere, inquit, oportet carnes, legumina, vinum copioſius, Venerem liberaliorem, balnea, ſinapim, &c.

Auic.

Auicen.loc.cit Oportet vt alienent omnes fructus humidos & grossos, nisi stypticos super cibum, quia roborant stomachum, & repletio vini multùm nocet, sed parum ex ipso sumptum dilatat animam, & confortat spiritum, &c.Mes. Hydromel est potus elegãtior, quàm vinum.Auice.Et oportet vt alienẽt à se omne aere & vaporosum, & vitent cibos graues, vt sunt raphanus, caules,baucię,id est pastinacę,&c.lege hũc locum fusius, & plurima à me dicta inuenies.Celsus lib.3.cap. 25. Cauẽdæ sunt cruditates,locíque præcipitis conspectus, omnia terrentia, vomitus, lassitudo, solicitudines & negotia omnia,&c. De humorum præparatione loquitur Auicen. loc. cit.ibi. Et ex syrupis est oxymel squilliticum, & similiter syrupus de absinthio, & apozema hissopi cum origano,&c. Itidem Mes. ibi, Adaptant materiam, vt eius facilis fiat expulsio,qualia sunt squilla & acetum eius & oxymel, &c. Et Paulus, Auxiliatur his oxymel scilliticum quotidie potum, &c. De euacuatione loquitur Act.ser.6 cap.14. Si nihil dicẽs prohibeat, venã secare oportet, & intermissis quatuor aut quinq; diebus corpus reficere, ac sic infrà euacuare, maximè per veratrum nigrum aut colocyntidem, &c. Itidem adserit Paulus & Auic.

Auicen.ibi, Melius quo purgetur illa, cuius causa est phlegma, est hiera & pulpa coloquinthidos, & hiera Hermetis. Quòd si cum phlegmate est repletio vniuersalis, tunc phlebotomia, secundum quod narrauimus est ei iuuatiua,&c. De reuulsione & deriuatione verba facit Mes. cap.de epilepsia,ibi,Cōpetūt gargarismata & sternutatoria, & propriè vomitus, & masticatoria, & fricationes, & ligaturæ in extremitatibus, & ventosationes in eis, & emplastra rubificantia, super mēbrum mandans, &c. Itidem Auicen. & Paulus ibi, Synapismus capiti inducatur,&c.Et Auice.ibi.Ex eis verò quæ materiam ad inferiora trahunt,&c.

De roboratione cerebri ac residui resolutione habes plura ex Auice. prima tertii tra.5.ibi. Et post illud permuta cōplexionē cerebri cum confortatiuis, calefaciētibus, ex emplastris & sinapi,&c. Paul. lib.3.cap. 13.iubet ad hoc caput esse rondendum, & ex peucedani liquore, cui spondylium sit incoctum cum aceto diluto, perungendū &c.Mes.Et in omnibushis rectificatio cerebri debet esse intētio prima,&c.Arcul.Vnū est vt fiat attractio materiarum de profundo capitis ad cutim, ad quod valet hoc emplastrū.Recipe, Ammoniaci dissoluti cum pinguedine anatis vel milui vnc.as duas,

fer

fermenti vnciam vnam, sinapis ʒ ß. cantaridarum, ʒ ß. peoniæ ʒ ii. fiat emplastrum, quo remoto, iuungatur cum pinguedine milui, & iterum apponatur & auferatur, donec crustæ apparuerint, &c.

Quæ excitare possunt morbum comitialem.

Excitant epilepsiam apium, & in hoc cõsentiunt Plinius lib. 20. Auicen. Serapio, & Mes. Item alium, asphaltum, nidor, cornu capræ, vel hirci, vel cerui. Item ostracorum, & sulphuris suffumigium, lácque omne nocet secundum Serapionem.

Morbum comitialem curantia.

Cardamomum, balsamum, populus nigra, ficus, iuncus odoratus, lepus terrestris, mustela, iecur, & vnguis asini, lichen equi, iecur hirci, hirundines, lac humanum, coagulum, fel, sanguis, fimum, plantago, eryngium, ruta, seseli, libanotis, spondylium, peucedanum, laserpitium, galbanum, segapenum, ammoniacum, trifolium, coniza, anthyllis, symphyton, cestron, pentaphylon, viola purpurea, helleborum nigrum, ampelos leuce, oxymel, acetum scilitæ, lapis selenites, lapis aëtites, &c. Confectiones ad hunc morbum idoneæ sunt, aromaticum moschatum, confectio Nic. confectio de moscho, diacastoreum Nic.

potio

porio ſancti Pauli, pliris, arcoticon Nic. pilulæ indæ, pilulæ Alex. de ſex rebus, pilulæ ex artemiſia, &c. Si quis ſcire voluerit, quo pacto applicari debeãt ſimplicia legat de ſingulis, Dioſc.

Quæ curant à proprietate.

Hugo, Curantia à tota ſpecie ſunt, hepar lupi, hepar milui, pellis frontis aſini portata ſuper carne nuda, cingulum ex pelle caudę lupi, aut frontis eius, veſica apricum vrina puluerizata, omnia coagula, & propriè lepo ris, pyretrum conditum peonia, viſcus quer cinus, caput cuculi, oua corui, far, ſmaragdus portatus, lapis ſpongiæ, phylipendula in cibis, os hominis, &c.

De prognoſticis morbi comitialis.

Hippoc. aphor. 2. aphor. 45. Quicunque iuuenes morbo comitiali laborant, mutatione ætatis, temporum & locorum, & victuum, quoque liberãtur B. id eſt, Quæcunque poſſunt patientis temperaturam permutare, ea à morbo ipſum liberant. Et aphor. 4. apho. 7. Quibuſcunque morbis comitiales fiunt, ante pubertatem, mutationem accipiunt: quibus autem vigeſimoquinto commoriũtur. B. Nota quod puber tas durat à 14. vſque ad 25. annum Gale. 3. de loc. aff. ca. de morb. comit. Porro in his

omn

omnibus affectibus, in quorum numero est epilepsia, periculi magnitudinem ex anhelitus nocumento coniicere oportet. Paul. lib. 3. cap 13. Si acutissimus fuerit effectus, tum ob crebras accessiones, tum ob symptomatum vehementiam statim iugulat. Itidem Aet. & Auicen. ibi. Et quando continuantur paroxysmi epilepsiæ, interficit, &c. Paul. lib de dinamidiis. Si quis lunaticus spumat, & oculos conuertit, & fremit, & mugit, & cadit, & mẽbra contraxerit, & colorem similem croco habuerit, moriturus est. Razes. 1 comment. authoritate Hippoc. Multi pueri moriuntur ex eo quia eorum venæ arctæ sunt, & phlegma plurimum recipere non possunt. Auic. prima terti. tract. 5. Et quando apostemata apparent in eo, fortasse resoluunt eam, & minuunt materiam eius, & multotiens mutata epilepsia ad melancholiam, & multotiens resoluitur propter febres, quæ sunt longæ, & epilepsia melãcholica est deterior, quàm phlegmatica, &c. Michael Sauonarolus inquit, quòd si infans est genitus tẽpore menstruorum, vel præsente epileptico, quod incurrit in epilepsiam incurabilem, sed cur ita sit, diuinare non possum, & fortè pace sua dixerim, hoc somniauit. Hippoca. de mor. fac. Quum inueterauerit, amplius parẽte

medicabilis non est, quoniam cerebrum pituita consumitur & liquefit, quo liquefacto, crebrius corripiuntur, &c.

Authores dissentientes circa morbum comitialem.

1 Adserere, in epilepsia sensum & motum omnino integrè auferri.

2 Adserere cum Auerrhoe, causam immediatam epilepsię esse vaporem absque materia fouente.

3 Adserere, epilepsiæ causam & locum affectum non idem esse cum apoplexia.

4 Adserere, epilepsiam per cōsensum post pubertatem non posse curari.

5 Adserere, omnem mutationem ad calidam complexionem & siccam curare epilepsiam.

Confutatio dissentientium circa morbum comitialem.

Ad primum respondet Gentilis & Auer. 3. collig. ca. vltim. quòd in epilepsia in relationem ad apoplexiam, nō aufertur sensus & motus omnino integrè, quia cuiuslibet epilepsia obstructio non est integra, seu omnimoda, vt in apoplexia, itidem Galenus & Auicen, vt supra.

Ad secundum, Auic. prima tertii, trac. 5. impugnat ipsum Auerrhoim, probās quòd pura qualitas sine mataria fouente hoc

per

per se efficere non possit. Vide tu eius rationes. Hoc idem ait Gale. 3. de loc. aff. ca. 7. ibi, Planè constat hanc in cerebro affectionem consistere impediente humore animalem spiritum, quo minus possit exire, &c. Ex quibus verbis non puram qualitatem, sed potius humorem causam esse coniicere possumus, &c.

Ad tertium, Gale. aphor. 2. com. 45. Morbus comitialis, inquit, est proximus quodammodò apoplexiæ, quum idem locus in vtroque patiatur, & idem humor in causa sit, &c.

Ad quartũ, Gal. 5. de loc. aff cap. 6. exemplum affert de quodam grammatico, qui ex affectu oris ventriculi morbo comitiali corripiebatur, cui probam cõcoctionem procurans, & robustum ventriculum efficiens, simúlque purgans cum hiera, viginti annis, quibus posteà superstes fuit, integra valetudine vitam exegit. Quæ si vera sunt, sequitur, quòd ea quæ per consensum fit, saltem si non quæ per essentiam curari possit.

Ad quintum. Gale. 2. aphor comment. 45. respondet, quòd nõ quælibet mutatio morbum soluit comitialem, sed ea tantùm, quæ calidiorem & siccioremcorporis habitum efficit, &c. Igitur non quælibet mutatio,

sed quæ corpus tantùm ad has qualitates peruertit, &c.

De apoplexiæ descriptione.

Apoplexia, est quędam ventriculorum, cerebri obstructio, per quam membra motu & sensu priuantur. vel ἀποπληξία, quæ Latinè dici potest Sideratio, est priuatio motus & sensus totius corporis, vnà cum læsione principalium actionum de repente incidens, in qua non tantùm motus & sensus, sed etiam interdum ipsa spiratio vehementer impeditur, & hæc acutissima est apoplexia.

Loci consentientes de descriptione apoplexiæ.

Auicprima tertii, tract 5. Apoplexia, est otiositas membrorum, à sensu & motu propter oppilationem contingentem in ventriculis cérebri, & in cursibus spiritus sensibilis & motui, &c. Paul. lib. fini. med. Apoplexia, est detentio mentis cum priuatione sensuum & corporis resolutione, &c. Cels. lib. 3. cap. 27. mentionē facit de apoplexia simul & paralysi. Paul. libr. 3. cap. 18. & Aet. ser. 6. cap. 27. describunt etiam apoplexiam, ibi, Est affectio cerebri, priuatio motus & sensus totius corporis, &c. Similiter Gal. aphor. 2. comment. 42. ibi, Vbi

in apoplexia totum corpus sensu & motu priuatur, solus restat anhelitus. Qui si etiã ipse prohibeatur, maxima est & acutissima hæc apoplexia, &c. Auer. 3. collig. ca. vlt. Apoplexia est, quum homo cadit in terram, & cessat eius vox, & priuantur omnes operationes motus totius corporis, &c.

De causis apoplexiæ.

Quum apoplexiæ causa sit obstructio, vt dictũ est, duplex erit obstructionis causa vel clausio, vel repletio. Clauditur cerebrum, vel ex causa virtutem stimulante, vnde fugit & contrahit: vel ex causa dolorem inferente: vel ex mala qualitate frigida, stiptica, ventriculos cerebri opprimente. Repletur cerebrũ vel ab apostemate calido vel frigido, vel ex materia pituitosa vel melancholia vel sanguinea, ratò fit à pallida bile: fit etiam à percussione, aut casu, aut per consensum, &c.

Loci consentientes de causis apoplexiæ.

Auic. prima tertii. tra. 5. Hæc quidem oppilatio fit aut propter clausionem, aut propter repletionem. Clausio fit, quum id ad cerebrum perueniat, quod dolorem facit, aut impediat, & moueatur motu contractionis, aut qualitas perueniens ad ipsum stypticum, faciens, &c. Repletio aut est

apoſtemans, aut non, &c. lege fuſius, & cætera habebis Galen. aphoriſ. 2. comment. 42. Omnes autem apoplexiæ fiunt in animali non potente ad partes infra caput exiſtentes defluere, aut propter aliquam diſpoſitionem inflammationi ſimilem, quæ fit in ipſo cerebro cõſtituto, aut ventriculis ipſis humore pituitoſo oppletis, &c. Pau. libr. 3. capit. 18. Origo vitii eſt ex frigidiore pituita, quæ principaliſſimos cerebri ventriculos vna vice & cumulatim replet, &c. Gale. aphor. 6. com. 56. Apoplexiæ & cõuulſiones fiunt propter humorẽ pituitoſum aut melancholicum, quoniam communis vtriſque eſt craſſitudo. B. Hac ratione motus Hippoc. in aphor. 57. eiuſdem dixit apoplexias fieri à quadrageſimo vſque ad ſexageſimũ, quoniam in his maximè temporibus abundat vterque humor, &c. In reliquis lege Aet. ſer. 6. cap. 27. in principio: item Galen. 4. de vict. in morb. acut. comment. 27. & 3. de loc. aff. cap. 7. Item Alexand. & Arcul. & Gord. &c.

De ſignis apoplexiæ.

Signa præcedentia ſunt, dolor capitis, vertigines & ſcotomiæ, venarum circa guttur inflatio, totius corporis tremor, & ſtridor dentium, in ſomno grauitas ac pigritia, frigus extremarum partium, motus

diff

difficilis, vrina æruginosa, atra, & modica. Signa actualis apoplexię sunt, quia subitò infirmus cadit, & veluti attonitus iacet, vox amittitur cũ totius corporis sensu & motu citra febrem, in somno stertit, vocatus non respondet, nec diuulsis pilis vel stimulo pũctus non sentit.

Signa apostematis sunt febris superueniens dolor, &c. Signa loci affecti sunt, quia si fuerit in ventriculis prioribus, aut in meatibus qui ἰσθμοὶ dicuntur, tunc resolutæ erunt faciei partes, aut odoratus vitiatur: si in ventriculis posterioribus, tunc resolutio erit in spinæ principio. Signa humorum non est vt totiens repetantur, quum à nobis aliàs satis supérque relata sint. Signa quibus apoplexia à subet, syncopi, epilepsia, vteri strangulatu, & à defuncto corpore differat, intelliges ex locis allegandis infrà: Signa eius quæ fit à percussione, aut à casu, cognosces ex narratione infirmi, &c.

Loci consentientes de signis apoplexiæ.

Pau. lib. 3. ca. 18. loquens de signis præcedentibus, inquit: Præcedunt capitis turbatio, acutus dolor, & iugularium venarum suspensio, tenebræ oculis offusę, extremarum partium sine ratione algores, totius

corporis palpitatio, motus difficilis, & dētium in dormiendo ſtridor, vrina æruginoſa, atra, modica, &c. Et Auic. prima tertii, tra. 5. ibi, Antecedunt ſoda & inflatio guidez, &c. qua habet Paulus, ſed rudioribus verbis expreſſa. De ſignis præſentibus habes locum in Raze. 9. almān. ibi, Quum aliquis quaſi dormiens iacet, & ſine ſomno ſtertit, & quum pungitur, non ſentit, tunc iam patitur apoplexiam: quantitas ægritudinis eſt ſecundum quod fortiter aut debiliter ſtertit. Oribaſius 2. aphor. comment. 47. Cognoſcimus eſſe apoplexiam, dum ſpumam edit, & extenſionem molitur & oppreſſionem, &c. Itidem Pau. ibi, Procumbunt, id eſt, attoniti iacent, vox intercipitur, &c. Gal. 1. meth. ca. 9. ibi, Si quis tribus horis, ſiue quatuor, ſiue horæ dimidio, toto corpore ſit vehementer arreptus, vt neque ſentiat nec moueatur, hunc apoplecton ſiue attonitum eſſe dicimus. Signa apoſtematis habes etiam ex Auicenna prima tertii, tract. 5. ibi, Quæ autem eſt ex apoſtemate, non euacuatur à febre, &c. B. Idcirco febris fit, quia dum pus conficitur, dolores & febres accidunt, teſte Hippocrate aphor. 2. aphor. 49. Signa humorum peccantium ſimiliter ab eodēmet Auicenna recitantur ibidem, & illa quæ fit ex

ſang

ſanguine ſignificant ſigna ſanguinis prædicta multis vicibus,& eſt facies rubea,&c. Illa vero quæ fit ex phlegmate, ſignificat color & forma oculi,&c. lege de his Alex. Arcul.& Gord. De ſignis quibus apoplexia differt à ſubet,&c. loquitur primum Auic. ibi, Differentia inter apoplexiam & ſubet eſt,quòd apopleticus clamat,&c.Arcul. Differt à ſyncopi,quia facies veluti mortui & pulſus debilis valde & ſummerſus: in apoplexia verò facies & pulſus conſuetus. Differt ab epilepſia, quia hæc cum periodis, & cum motucouulſiuo citò ſoluitur, & ad paraliſim non terminatur vt apoplexia. Differt à vuluæ ſtrangulatu, quia præfocata ſentit, audit,& habet omnes interiorũ ſenſuũ operationes,nõ autem apoplexia. Differt à mortuo per quatuor ſigna ab ipſo recitata,ſicuti per cotum ſubtiliſſimè carminatũ ori admotum,aut per ſpeculũ lucidũ ac terſum naribus appoſitum,&c. Vide Marc.Catin. Auic. loc. cit. Et tardetur ſepultura ambigui ex mortuis, donec perpendatur eius diſpoſitio, & nec ſit minus 74. horis, &c. Cur inſepultus tanto tẽpore remanere debeat, in hoc conſulè conſiliatorem: mihi videtur potiſſima ratio, quia in hoc potiſſimum tẽpore fœtor apparet, qui mortuum hominem ꝓclamat,&c.

De cura apoplexiæ sanguineæ.

In apoplexia primùm coniectari oportet, an patiens mortuus sit, an adhuc supersit cum hisdem signis nuper à me recitatis. Deinde si in causa fuerit sanguis, tunc triplex erit curandi scopus: primus reuulsio, secundus euacuatio, tertius malæ cõplexionis derelictæ remotio. Reuulsio statim fiet per sectionem venæ saphenæ aut basilicæ, præsertim si corpus fuerit plethoricũ, aut solitæ purgationes oppressæ sint: si minus fiet sectio venæ cephalicæ, aut venę frontis, & sufficiet etiam pro euacuatione. Remotio malæ cõplexionis derelictæ fiet cum epithemate ex aceto & oleo rosaceo, & hoc in fine, ne in principio morbi facta magis obstruat.

De cura apoplexiæ pituitosæ.

Cura apoplexiæ pituitosę requirit quatuor intensiones, scilicet euacuationem, reuulsionem & deriuationem, residui resolutionem, & sex rerum non naturalium regimen. Euacuatio fit per sectionem venæ, si cum pituita signa sanguinis adfuerint: si minus, statim per pharmacum, absque vlla humorum præparatione. Nam tardare in acutis malum est. Aut fiat per enæmata, suppositoria, vomitoria, aut per pilulas chochias fœtidas de euphorbio

cum

cum syru.de stechade aut aquis capiti dica
tis dissolutas. Clysteres parari possunt cum
decoctis saluiæ, maioranę, rorismarini,
origani, calamenti, centaurii, abrotoni,
pęoniæ, pulpæ colocynthidos, additis hie-
rę logodionis, cæsiæ extra. sacchari parti-
bus opportunis, & cũ oleo camomillino,
rutaceo laurino, addito sale conficiantur,
&c. Suppositoria parentur cum veratri vel
colocyntidos puluere, vel cum speciebus
hieræ picræ sale gemmeo, &c. Vomitoria
fiant cum penna in oleo liliaceo intincta,
ac gutturi immissa, &c. Reuulsio & deriua-
tio fiet cum cucurbitulis, occipitio cũ sca-
rificatione affixis, modò vires permittant.
Item cum ligaturis sæpe reiteratis, & cum
apophlegmatismis, cum aceto ex origano
& thymo decoctis. Item cum sternutato-
riis, cũ hellebore & pipere, aut cũ fricatio-
nibus pedum cũ oleo quopiam calido, aut
cum suffumigiis ex castorio, oppopanace,
galbano, &c. aut cũ synapismo, aut vesica-
torio capiti admoto, &c. Resolutio residui
perfici poterit, tum per exteriora, tum per
interiora. Exteriora fiant cum epithema-
tibus calidis, quæ parantur ex rebus capi-
talibus, item cum linimentis, inungendo
cum oleo de costo, de euphorbio, de casto
reo, cum emplastris, in quorum numero

laud

laudatur emplastrum de synapi Mes. aut cum candenti ferro capiti admoto. Interiora perficiuntur per cõfectiones, electuaria, pulueres, masticatoria gargarismata: nam ad resolutionem simul ac diuertioné hæc faciunt. Confectiones sunt diacori, confectio anacardina, item quæcunque cálida sunt & sicca febrem euocantia, &c. Victus ratio sit calida & absterſoria, in principio tenuis atque exquisita, capiatur tantùm hydromel vel aqua hordeacea, modò sanguinea sit apoplexia, procedatur deinde à tenuissima ad crassiusculam, ita vt solo pane patiens vescatur, quousque morbus iam se remittere inceperit: deinde cibus mollis & succulentus, concoctu facilis dandus: similiter vinum aqua dilutum & carnes exhibeantur. Exercitium ante cibũ commendatur, vel loco eius fricationes. Somnus modò conceditur, modò damnatur, si fuerit multus, aut si assumpto statim cibo quis dormiat: conceditur verò ex eo, quod concoctionem adiuuat, & cerebrum roborat, & vaporum resolutionem perficit, &c. Conferunt etiam quandoque animi accidentia, sicuti irasci, &c.

Loci consentientes de cura apoplexiæ sanguineæ.

Auic. Aliquando accidit, vt homo in epi

lepsiam

lepsiam incurrat, & non sit differentia inter ipsum & mortuum, idcirco in primis num æger viuat vel mortuus sit. Mes. cap. de apoplexia, Conaberis à principio materiam subtrahere, inquantum possibilitas exigit: & si sanguineam videris, vtriusque partis illico phleboroma cephalicam, simul cum emissione multi sanguinis, & consequenter crura & pedes ventosari facias, &c. Paul. itidem habet lib. 3. cap. 18. ibi, Qui curationem admittunt, iis statim sanguis ex vena detrahendus est eadem die. Itidem adserit Gal. in introduc. ibi, Sanguis statim mittendus, &c. Auic. similiter prima tertii, tra. 5. ibi, Regimen illius quæ fit ex sanguine, est phleboromia in hora illa, & missio sanguinis multi: sanat enim in dispositione, id est, cit, & post phlebotor iam clysteriza, cum eo quod scisti de clysteribus, vt deponatur materia à capite, &c. De remouenda mala complexione loquitur Paul. loc. cit. ibi, Caput inungatur oleo camomillino vel anethino, in quo spondilium decoctum sit vic. Et fac ipsum olfacere, quod confortet cerebrum, & non calefacit cum eo quod docui te, id est, in cap. sodæ, &c. similiter omnes practici in hanc concurrunt opinionem.

Loca

Loci consentientes de cura apopl. pituitosæ.

Auicen. prima tertij, tra. 5. Si verò cum ea quę facta est ex phlegmate inueniuntur signa sanguinis, phlebotometur, deinde clysterizetur cum clysteribus fortibus, & supponantur collyria fortia, in quibus ponuntur gumæ & fel bouinum, posteà bibat quod soluit, &c. Cels. lib. 3. cap. 27. Proderit malo corporis vel sanguis missus vel aluus ducta, &. Aet. ser. 6. cap. 27. Qui verò ad venæ sectionem inepti sunt: primùm ad vomitũ cõmoueantur, & sedes ipsorum illinatur iis quæ flatus educunt, &c. Paul. lib. 3. cap. 18. Oportet & ori per vim aperto digitum vel pennam oleo madefactam inferere, vt ea quæ insunt eiiciantur. Auicẽ. loc. cit. Et si possibile est, fac eum vomere cum penna immissa gutturi, illita cum oleo liliaceo, & proprie quum existimatur quòd in stomacho, aut in eius ore repletio, &c.

Obiectio.

Celsus videtur esse huic opinioni cõtrarius, cùm dicat, Nõ oportet in hoc casu vomere, neq; vrinam medicamentis mouere.

Responsio.

Intellexit Celsus, si neruorũ dolor aut tremor, qui aliquando accidere solet, in præ-

sentia

sentiarum adesset, quia tremor neruorum ex vomitu magis intenderetur, alioqui vomitū & ipse à cœna vtilem non proposuisset, &c. De reuulsione & deriuatione loquitur Aet. ser. 6. cap. 27. ibi, Post purgationem cucurbitæ præcordiis aut capiti affigantur cū scarificatione. Similiter Auic. prima tertii, tra. 5. ibi, Et non est malū post euacuationem ipsius cū clysteribus & similibus, vt naribus aliquid approximetur, & propriè condisi & caput purgia fortia, &c. Itidem Paul. loc. cit. ibi, Si vires permittant, cucurbitulæ occipitio cū scarificatione defigantur, & si fieri potest etiā, præcordiis. Valetudini etiā faciunt quæ sternutamenta excitant, & apophlegmatismi ex thymi & origani decoctis parati, &c. De resolutione residui habes plura ex Auic. loc. cit. ibi, Et fiant post super caput eius vaporationes calefaciētes, sicut ex anetho, amaraco, foliis citri, calamento, origano, &c. Vel fiant inunctiones ex oleis calefaciētibus & conformatiuis, & ignitū ferrū apponatur capiti, vel aliquod emplastrū ex resolutiuis quæ sciuisti, &c. Et hæc de exterioribus, nā de interioribus posteà medicamentis loquēs dixit, Et cū videris alleuationē, fac gargarismata, sternutationes, & pone ventosas super collū, &c. De regimine victus, Aet. ser. 6. cap. 27. inquit,

quit, Curandũ est vt accipiant cibos quotidie quidẽ, verũ paucos, leues & calidos, & exterſoria vi prędítos, plerunque cũ melle edulcatos, intellige in pituitoſa apoplexia. Auic. prima tertii, tra. 5. Et ſubtilia regimẽ ipſius, & ſis contentus in eo Iuleb, & aqua hordei ſubtili & aqua caſei. Intellige in prima die, & in ſanguinea apoplexia: nam de pituitoſa poſtea loquẽs dixit, Et potus eorũ ſit aqua mellis, & panis cũ ficubus ſic eis eſt bonus eis. Quidã verò dicunt ex eis eſſe bonũ origanũ cũ lentibus, & vuæ paſſæ, & amygdala, & ficus ſunt ex fructibus cõuenientibus eis, &c. Pau. lib. 3. cap. 18. Vbi morbus ſe remiſerit, cibus mollis, diſtribui facilis & ſucculentus aſſumetur. Et paulò infrà, Vinũ tenerũ calente aqua temperatum potui exibebitur, &c. Auenzoar. Sint carnes ſylueſtres, non in domibus pingues factæ: vnde paſſeres & omnia minutarum auium genera in declinatione morbi conueniunt. Aui. loquens de vino inquit, Non nouum ſit, ob eius ſuperfluitatem: non antiquum, ob velocem eius penetrationem, ſed inter vtrunque eorum magis erit conueniens: intellige inclinato morbo, nam in principio nuſquam conuenit. Celſ. lib. 3. capit. 27. Potus ſit ante vino aquæ calidæ, id eſt, in principio. Auenzoar, Nec

potent

potent aquam frigidam, nec aquam per se, sed aquam tepidam cum syrupo corticum citoniorũ cum melle, si verò dederis vinũ, da solùm vnciam vnã in fine pro confortatione membrorum, &c.

De motu loquitur Auicen. ibi: Quum autem voluntas adest, vt cœnent, non est malum, si antè præmittatur exercitium leue, & moueant membra laxata motu aliquo, &c. Paul. Gestentur ægri curru aut lectica aut lecto pensili, &c. De somno & vigilia Auic. dixit, Quum aliquid assumunt, non dormiant super ipsum velociter, sed expectent aliquantulum, donec descendat & digeratur digestione aliqua, nec etiam plurimũ vigilent: illud enim iuuat cerebrum, & resoluit ex cibis vaporem non digestum prohibentem digestionẽ, &c. B. Hinc pende quorundã errores, qui nullo pacto apoplecticum dormire permittunt. Caueat tamen etiam medicus, ne ex hac Auic. licentia ægrum in somno posteà perdat: vnde apprehenso manibus pulsu, si nimis sentiat calorem profundari, statim infirmũ excitet, ne amplius dormiat, &c.

Obseruationes de sectione venæ.

Aet. ser. 6. cap. 27. Copia sanguinis qui detrahitur, diu datur: cõmouere enim tantùm oportet, nõ vires exoluere, & calorem

extinguere,&c. Marcus Catinarius, Ne seces venas guidez, id est, iugulares, sicuti præcipit Razes,nam difficillimè consolidantur:& recitat historiam de quodam scholari in his venis vulnerato qui mortuus est. Paul.4. de vic.in morb. ac.cõment.27. Primùm ante sectionem vult per omnes corporis particulas frictiones fieri vt sanguis extenuatus facilius exeat.&c.

Obseruationes de topicis.

Auicen. prima tertij,cap. de apople. Et oportet vt incipias à debiliori vnctione, si cõferri:& si nõ,adde,& permuta ad id quod est fortius.

Obiectio.

Auicen.primo can.fen.quarta, cap.1. In forti morbo debemus,inquit, à fortiori medicamento incipere, quomodo hic adserit contrarium?

Responsio.

Tuæ obiectioni respondet Concil.differentia 154.inquiens esse hanc curam Auicennæ tentatiuam, &c. Vide eum fusius si lubeat.

Obseruationes de potu.

Auic.loc.cit.Et potus super cibum est ex rebus magis nocitiuis,ac si diceret,à prãdio vel à cœna nullo modo bibant,&c.

Apo

Apoplexiam excitantia.

Excitant apoplexiam fungi, mandragora, & pomorum nimius vſus & odoramentum.

Apoplexiam curantia.

Conferunt apoplexiæ abſinthiũ: anacardus, acorus, betonica, colocynthis, galliæ odoramẽtum, euphorbium, pyrethrum, confectio anacardina, theriaca, diateſſeron, theriaca magna, hieralogodiũ, & quæcunque dicta ſunt in capite epilepſiæ, huc referantur. Vide inſuper Aggregatorẽ cap. de apo. Item Gulielmũ Varignanã, capite proprio. Itẽ cõſilia Bertholomæi Mõtagnani, præſertim vbi de epilepſia loquitur, &c.

De prognoſt. apoplexiæ.

Hipp. Aphor. 2. Aphor. 42. Soluere morbum, quem apoplexiam vocant fortem, impoſſibile, debilem verò non facile B. Fortis apoplexia magna ex parte curationem non admittit, ob reſpirationis læſionem, aut virium imbecillitatem: debilis verò non facile, quia terminatur in paralyſim. Vnde Auic. Paul. Aet. Razes, Vt plurimum in paralytidem terminatur, &c. Et Aphoriſ. 6. Aphoriſ. 51. Quicunque ſani à dolore capitis derepente capiuntur, & incurrunt apoplexiam, ij in ſeptem diebus pereunt, niſi febris apprehenderit. B.

Intellige si dolor fiat à spiritu flatuoso, & apoplexia à materia pituitosa, quia tunc febris superueniens dispositionem soluit calefaciendo, extenuando ac resoluendo spiritum flatuosum, & humorem pituitosum. Pereunt in septimo, inquit, Galenus, quia pars principalis non diu tolerat fortes simul & diuturnas passiones. Auic. prima tertij, tra. 5. Et quum acciderit febris tunc spes sit, vt cum ea resoluatur superfluitas, &c. Aet. ser. 6. cap. 27. Exhibet spem salutis ipsa calamitas febris. Pau. lib. 3. cap. 18. Apoplexiæ morbus nequaquam aut rarò curatur, vt qui minetur mortem in propinquo. Si verò etiam remedia admittat, plurimum cum partis cuiusdam corporis resolutione discedit, &c. Razes. 9. alman. Si spuma ab ore exeat, non est medicamen. Adiicit his Arcul. Quod si admotis valenter sternutationem mouentibus, & nõ iterat, neque impressionem sentiat, quod est mortale, &c. Cels. lib. 3. cap. 27. Post sanguinis missionem, si non redit motus & mens, nihil spei supereſt. Gal. lib. de dinamidiis, Apoplecticus quum ex multis rebus desiderat sibi cibũ afferri & potum, & statim hæc abominatur, mortẽ sibi imminere significat. B. In hoc tamen tu considera robur virium, & æquum iudica, &c. Auic. loc. cit. Et

scias

scias quòd plurimum accidit apoplexia habentibus ætates, & corpora, & regimina humida, & propriè quum adest cum humiditate frigus. Si autem accidit cum caliditate complexionis & siccitate, tunc est res praua: ægritudo enim contraria complexioni non accidit, nisi propter magnam causam, &c. Cùm seni etiam accidit vertigo comitans iterata, tunc illud nunciat apoplexiam, &c. Mesu. cap. de apoplex. inquit, Illico administretur omnis cura: nam dilatio ducit ad mortem festinam, quum morbus per se parum curam recipiat. Idcirco cum protestatione mortis medicus se ad curam intromittat.

Authores dissentientes circa apoplexiam.

1 Adserere, apoplexiæ species esse tantùm tres, vt Auicennas.
2 Adserere, apoplexiam à frigido tantùm humore fieri, & non à calido.
3 Adserere, in apoplexia musculos pectoris ob necessitatem respirationis moueri.
4 Adserere, apoplexiam à nudo & simplici frigore posse fieri, cum Auincenna.
5 Adserere, in acutissima apoplexia omnino deficere spirationem.
6 Adserere, apoplexiam fortem nunquam posse curari.

Confutatio dissentientium circa apoplexiam.

Ad primum, Quæcunque sunt quatuor, non sunt tres tantùm, sed species apoplexiæ sunt quatuor per Gale. Aphor. 2. comment. 42 igitur non tres tantùm. Quòd sint quatuor, ibi enarrat Galen. dicens, quòd prima est, quum anhelitus prohibetur: secunda est, quum respiratio fit cum magna vi: tertia est, quæ nec intentum nec violentum, sed inæqualem ac exordinatum, ac præterea intermittentem habet anhelitum: quarta est, in qua anhelitus aliquem seruat ordinem, & est debilior, & circò curatur.

Ad secundum respondet Auicen. 3 can. quòd causa apoplexiæ potest esse sanguis & pituita. Quare non solùm à frigido, sed etiam à calido humore fiet. Item Gal. lib. de sang. miss. ca. 6. Apoplexiæ proueniunt, multo nimirum sanguine in principium animantis confertim incumbente. Itidem ait 4. de vic. mor. ac comment. 27. & in lib. Introd. siue Medic. appellato, & sic etiam à calido fiet.

Ad tertium: Galen. Aphor. comment. 42. Verùm in apoplexiis non ob id quod fit adaucta necessitas respirationis, sed quia vis est imbecillis, idcirco musculi pectoris coguntur operari, &c.

Ad

Ad quartum respondet Galen. 3. de loc. aff. 7. ibi, Apoplexiæ quòd subitò eueniat aut frigidum, aut crassum, aut viscidũ quidpiam, quod principes cerebri ventriculos affatim implet, non autem totius substantiæ intemperiem, causam esse manifestum est. Idem confirmat. Aet. ser. 6. cap. 27.

Ad quintum: Galen. 6. de loc. aff capit. 4. Quippe in confesso est, & spirationem à vita, & vitam à spiratione separari non posse, adeò vt viuentem non spirare, & spirantem non viuere, sit impossibile. Igitur spiratio omnino non deficit, nisi vellemus apoplexiam mortem appellare: verùm, vt ipse inquit Gal. adeò potest esse exigua ista respiratio, vt sensum omnino effugiat. Itidem ait 4 de loc. aff. cap. 7. &c.

Ad sextum: Gale. 2. Aphor. comment. 42. videtur innuere, quòd interdum possit curari, per id quod dixit, magna ex parte curationem non admittit. Prætereà regulæ medicorum non semper, sed vt in pluribus intelliguntur: igitur interdum curabitur Prætereà Hippoc 6. Aphoris. 51. Aphor. inquit, apoplexiam fortem in septem diebus ægrum perdere, nisi febris apprehenderit, igitur febre superueniente curatur. Quòd verò de forti apoplexia intelligat, lege Galen. in commenta. ibi, Mutos solet

Hipp.nominare,&c.Item Auic. prima tertij,tra.5.cap.de apople.Accidit, inquit, vt homo epilepsiam incurrat, & non sit differentia inter ipsum & mortuum, & non apparet anhelitus, deinde reuiuiscit & sanatur, & tamen intelligit de forti apoplexia,igitur,&c.

De paralytidis descriptione.

Quum paralysis binas habeat descriptiones,propriam scilicet, & communem, ista erit propria. Paralysis est mollificatio totius medietatis corporis cum priuatione sensus & motus: communis eit ista:Paralysis est ablatio vel diminutio in sensu & motu voluntario, aut mixto in aliqua corporis parte, non in toto. Motus vbi deperditur,& si sensus integer remaneat, semper paralytidem efficit.Quum autem interdū remanente sensu,solus amittatur motus, & econtrà,triplices assignantur causæ.Prima, quia ex paucitate spiritus, motus potius quàm sensus deperditur. Secunda, quia aliqua materia est in neruis motus,& non sensus. Tertia, quia temperies pro vno magis quàm pro alio corrumpitur: nam si corrumpatur ab humido, motus deperditur: si verò à ficco, sensus,&c.In hoc morbo interdum cerebrum, interdum nerui musculi ad motionem deputati afficiuntur. Quòd si mat

si materia obstruens in ambobus cerebri ventriculis foret, tunc apoplexia diceretur: si verò in vno tantùm latere, hemiplexia: si in parte nuchæ, omnes corporis partes præter faciem resoluuntur: si in parte spinæ sint dextra siue sinistra fiat obstructio, tunc in ea parte erit resolutio, &c.

Loci consentientes de descriptione paralytidis.

Quòd binæ sint paralysis descriptiones, lege Auic. secunda tertij, cap. de paraly. ibi, Paralysis quandoque dicitur sermone absoluto, quandoque sermone proprio, &c. Galen. lib. finit. med. Paralysis est affectio voluntarium motum offendens in partibus, vel parte quadam contingens. Item Prorrhet. commeut. 26. Paraplegia talis est affectio vnius partis corporis, qualis paraplexia totius, &c. Et quarto de sympt. cau. cap. 5. Si nerui à principio fiant stupidi, deinde omnino sensum & motum amittant, paralysis, id est, neruorum resolutio dicitur. B. Pende ex hoc loco, quòd paralysis à stupore non differt, nisi in magnitudine. Auicen. secunda tertij, cap. cit. Et multotiens remanet cum ea sensus, quoniam materia est in neruis motus & sensus, & vna est causa, cur motus deperditur, &c. Vnde de his latius Auic. loc. cit. & Arcul. De loco affecto

loquitur Galen.3.de loc.aff.cap. vltim. Igitur quemadmodum vbi vniuersæ corporis partes quæ sub facie constitutæ sunt, resoluuntur, faciei partibus illæsis, affectionem in spinæ initio esse certum est : quòd si hæ quoque afficiantur, cerebro noxã iam illatam esse ostenditur. Aet.ser.6.cap.27.plura habet de his, ibi. Si omnes nerui sensum & motum amittant, &c. Itidem Paul.lib. 3. ca. 18.adserit. Lege etiam Gal.4.de symp. cau. cap.5.fusius . Item 4.de loc.aff. cap. de linguæ aff.ibi, Quum vtraque cerebri pars, &c. Item Auic. loc. cit.ibi, Si materia aut læsio fuerit, &c.

De causis paralytidis.

Causæ sunt tres, primitiuæ, antecedentes & coniunctæ. Primitiuæ sunt regimen frigidum & humidum in sex rebus non naturalibus, incisio neruorum, dislocatio spondilium, ligaturæ comprimentes, percussio in partibus neruosis, & accidentia animi, vt timor, ira. Item ægritudines præcedentes sicut apoplexia, epilepsia, cholica, vteri strangulatus, &c. Causæ antecedentes sunt quatuor humores, inter quos pleruque in causa èst pituita, interdum sanguis, rarò melancholia, rarissimè omnium bilis, nisi aliis humoribus admisceatur. Causæ coniunctæ sunt repletio vel inanitio, vel apo-

stema

ſtema in principio nuchæ, vel in vna parte actu contenta obſtruens: item immoderata temperies frigida & humida cum materia & ſine materia, licèt etiam immoderata temperies calida & ſicca ſenſum & motum ex ſua immoderantia debilitet, &c.

Loci conſentientes de cauſis paralytidis primitiuis.

Auicen. ſecunda tertij, tra. 1. capi. de cau. paraly. de cauſis primitiuis loquitur, ibi, Horrorū contractio quādoque accidit propter ligaturam, aut quandoque fit ex compreſſione vehementi ſicut accidit apud percuſſionem aut caſum: aut accidit quum declinant ſpondyli & rumpuntur, &c. Item inciſio quæ eſt in latitudine prohibet ſenſum & motum in membris, & cui accidit percuſſio & ictus, aut motus ſubitò ex timore, pauore, ira, deliciis, anguſtia amittitur, &c. Galen. itidem ait 4. de ſympt. cau. capit. 5. ibi, Idque vel ob luxatam quandam vertebram, vel alio quouis modo. Si quidem ingens fuerit affectus, partes inferiores ſubitò & ſentiendi & mouendi facultate priuantur, &c. De caſu & percuſſione habes ex Galen. 3. de loc. aff. cap. vlti. exemplum de Pauſania Syro, qui ex caſu in initio dorſi læſus duos ſiniſtræ manus

nus digitos amiserat, &c. Similiter habes ex hoc capite Galen. plura de incisione spinæ. Gal. 5 de symp. cau cap. 2. Corripiuntur, qui vehementer fuerunt refrigerati, & qui se meraco vino ingurgitarunt, & qui diu in otio vixerunt, & qui intempestiuè multam aquã frigidam biberunt. &c. De causis antecedentibus habes Aet. ser. 6 ca. 28. ibi. Conflatur hæc affectio humoribus multis, viscosis ac crassis, neruos obturantibus, per quos motus voluntarij perficiuntur. Auic. loc. cit. Et scitum est, quòd destructio motus & sensus fit, quoniam spiritus sensibilis aut motiuus retinetur à penetratione ad mẽbra, &c. Gal 3. de loc. aff. cap. 7. Vbi verò deperdito sensu quis cõciderit, non accidẽte motu, quo vel conuelli vel salire videatur, id à vehementi frigore ortum trahere sentio, &c. Et aphor. 5. commen. 17. Immodicum frigidum hęc facit, conuulsiones, distensiones ob neruorum refrigerationem, &c. De causis coniunctis loquitur Auic. secunda tertij, cap. cit. ibi, Et paralysis faciens abscisionem spiritus à membris, aut est repletio aut apostemat, aut solutio singularitatis, &c. Gal. aphor. 2. com. 20 loquens de immodica intẽperie inquit. Quoniã omnis immodica intemperies, imbecillũ reddit aut exoluit operationem propriæ virtutis. Et in lib. introdu-

du. siue medi. Hemiplexia fit ex humorum crassorum copia, qui capitis vasa, vnde corpori sentiendi mouendíque facultas aduenit, obstruunt. Itidem adserit 3. aphor. comment. 23. in fine commenti, loquens de apoplexia. Paul. lib. 3. cap. 18. Si partes resolutæ conuellantur vel relaxentur, id ab inanitione vel repletione proueniet, &c. Huc etiam spectant quæcunque de causis apoplexiæ nuper recitata sunt, &.

De signis paralytidis.

Quum quis sensum & motum in vna parte, vel in pluribus corporis partibus amiserit, tunc paralytidem pati dicimus. Signa si fiant à primitiuis causis, habentur partim ex relatione infirmi, partim ex quadam coniectura. Signa ex causis antecedentibus, si sint humores, cognoscuntur, quia si sanguis, adest inflatio venarum, totius repletio, oculorum rubedo, &c. Si pituita, adest albedo, mollities, vrina alba, pulsus debilis, tardus, &c. Signa ex causis coniunctis, si adsit apostema, cognoscitur ex febre, dolore, tumore & duritie in loco percepta. Si immodica intemperies, cum materia replens, cognoscitur ex tactu, vel ex his quæ iuuant & nocent, item ex habitudine, victu præcedente & similibus, &c.

Loci

Loci consentientes de signis paralytidis.

Razes 9.alman. Quum alquis se mouere non valet, aut vnum, aut plura membra ex suis, & sensum illius membri siue membrorum amiserit, incurrisse paralysim pronunciamus. Auicen. secunda tertij, tra. 1. ca. de sign. paraly. Illa quæ est à tortuositate, aut à casu & percussiõe aut sectione, cognoscitur ex præcedenti causa. Et primo lib. fen. secunda, cap. de signis dominij humorum, & loco citato, habet omnia signa humorum, præsertim ibi. Et si materia est cum sanguine, significat eam guidez, & venæ, & oculus, & repletio, &c. lege fusius in hoc loco, & intelliges cætera à me dicta: lege etiam Arcul. & Gord. & Sauona. & Auicen. ibi, Si fieret ab apostemate calido, tunc extensio & febris, &c.

De cura paralytidis.

Ad curationem quinque expediunt, videlicet victus ratio, humoris præparatio, euacuatio, reuulsio & deriuatio, residui resolutio, & membrorum robroatio. Victus ratio sit attenuatoria, sicca, non viscosa, non virosa, sed ventri accommoda, vrinam ciẽs, in quantitate his, quæ robrorandi neruos facultatem habent: toleranda est fames & sitis, in potu exhibeatur hydromel potius quàm vinum: nam materia ad neruos vinum

pene

penetrare facit, & procul sit acetum: nam valde nocet in morbi recessu, vinum antiquum paucum exhiberi debet, eo quòd calefaciens & exiccans ægritudinibus neruorum confert. Similiter & frictio & gestatio in lectica aut vehiculo, & balnea commendantur. Humorum præparatio fiet cum calefacientibus & exiccantibus, vt puta cum hydromelle, syrupo de stechade, rhodomelle cum aquis salui æ, betonicæ, rosmarini: huc etiam spectat oxymel simplex, sed ratione aceti cum syrupo mellino rectificandum est. Euacuatio fiet per ea quæ redundantem humorem euacuant, vt cum hiera simplici & composita, hiera hermetis, hiera logodione: nec ab re existimarem, si à venæ sectione inciperemus, moderatámque detractionem moliremur, vt ne ægri nimis perfrigerentur, fiátque detractio per antithesim à sanioribus partibus, nisi quid aliud impediat. Reuulsio & deriuatio, si ea quæ à cerebro ad nucham confluunt, ad alias regiones trahamus cum cucurbitulis affectis, partibus affixis, enæmatibus, masticatoriis, erinis siue sternutatoris frictionibus, & his similibus. Resolutio residui paratur per exteriora & interiora. Exteriora fiunt linimentis, ceratis, emplastris & balneis. Linimenta parentur cum

cum oleo camomillino de ſpica, de coſto, de terebintho, vulpino, de caſtoreo, &c. Cerata ſimiliter fiunt cum puluere lumbricorum, galanga, piretro, caſtoreo, additis oleis, cera & pice. Emplaſtra proſunt, quale eſt emplaſtrum de ſinapi Meſ. vel fiant cum herbis capitalibus, additis oleis & aliquali farina. Balnea conferunt tam naturalia ſicut ſulphurea, quàm etiam arte parata. Interiora ſunt electuaria, confectiones, pulueres, & ſimilia. Electuaria ſunt diamulcus dulcis, theriaca, & omnia denique quæ calefaciunt, ſiccant & reſoluunt. Confectiones ſunt acorus conditus, pulueres, chamæpitheos, ſtechados, &c.

Loci conſentientes de cura paralytidis.

Aët. ſer. 6. cap. 28. loquēs de diæta inquit, Sit attenuatoria ventri commoda, nihil viſcoſi aut viroſi habens, &c. Paul. lib. 3. ca. 18. Cibi conueniunt ad concoctionē expediti, nec recremētitij. Et paulò infra. Victus ſiccior vtilis eſt, potio modica & frictio, &c. Meſu. capi. de paralyſi. Vtantur cibis, qui proprietatem habeant confortandi neruos, qualia ſunt grana pinni, leporis cerebrum, origanum, hyſſopus, piper, gingiber, ſanſucus, ſaluia, &c. hoc intellige in cauſa frigida, & in proceſſu morbi Auicen. ſecunda tertij. Stude vt facias pati famem, & ci-

ba

ba cum cibis ſiccis, & fac tolerare ſitim: & in ſecunda menſa iuuuat vti medulla nucleorum pinni, & ſcias quòd aqua melior eſt eis quàm vinum: nam materiam in neruis penetrare facit, & vtplurimùm aceſcit: acetum verò eſt ex rebus quæ ſunt neruis nocibiliores, &c. Conciliator diff. 144. Non competit vinum, ſi materia cruda & in fluxu ſit: ſi verò digeſta, & factæ ſint euacuationes, paucum vinum antiquũ confert: nam materias reſoluit & exiccat. B. Nota paucum dixiſſe ex eo quod Meſ. dicebat, Scito vinum eſſe neruis inimicum & oculis per ſe: iptius enim abuſus cauſa eſt morbi per ſe. Itidem Auicenna loco cita. Paul. Vomitus à cœna conuenit, item geſtationes curru, lectica aut vehiculo, &c. De præparatione humorum meminit Auicen. ſecunda tertii, quando dixit, Et in hac hora ſis contentus rebus ſubtilibus ex his quæ leuiter digerunt & ſoluunt: vnde dixerat, quòd quandoque exhibetur oxymel cũ ſua diſpoſitione, & oppopanacũ cum ſyrupo de melle, &c, Aet. ſer. 6. cap. 28. Vtendum eſt etiam potionibus relatis ad morbum comitialem. Quòd verò per potiones intelligat ſyrupos, & ea quæ incidendi vim habent, manifeſtum ex ex his, quæ ab ipſo ſuprà relata ſunt, &c. Meſu. Ad

æquatio fit materiei, cum administratione rerum morbi materiam carminantium & maturantium, &c. Vide de hac præparatione humorum plura iuxta neotericos practicantes, &c. De euacuatione facit mentionem Aet ser. 6. cap. 28. ibi, Manifestum igitur est, quòd redundantem humorem euacuare oportet, nec aptius principium in his reperire datur, quàm à venæ sectione, si permiserit ætas, habitus, tempus, progressus victus, &c. Oportet autem moderatam detractionem facere, ne venæ per frigerentur. Quapropter minuenda est materia paululum, detractio verò fiat à sanioribus partibus, &c. Auicen. In illa autem, in qua est spes, oportet incipere à phleborotomia, &c. Paul. loc. cit. Quoniam partes resolutæ vel conuelluntur vel relaxantur, ídque à repletione vel inanitione, attendendum rursus est partim sanguinem detrahi debere, partim non, &c. Mes. cap. proprio. Euacuatio fiat cum administratione propriorum euacuantium sicut cum hiera diacolocynthidos, pilulis fœtidis, hiera hermetis, &c. Similiter Aet. loc. cit. Interpositis diebus aluus subducatur, primũ clysteribus, deinde per aloes & polypodij & colocynthidis cremorẽ, conuenit etiã hiera Archigenis, &c. De reuulsione loquitur Auic. ibi,

ibi, Oportet vt clysterizentur enæmatibus fortibus, & colyria fortia supponantur, vt inclinentur eorum materiæ ad inferiora: confert etiam positio ventosarum super capita lacertorum absque incisione, sed post euacuationem, &c. Similiter Aet. ser. 6. cap. cit. Post purgationem cucurbitulæ affectis partibus adhibeantur: si verò hæ ineptæ sint vicinis affigantur, &c. Et paulò post. Detracta materia etiam sternutatoriis, pituitam per os ducentibus, vtendum est, &c. Itidem Paul. lib. 3. cap. 18 asserit. Mes. cap. de par. Diuersio completur, cum gargarismatibus, masticationibus, caputpurgiis & sternutatoriis, &c Quomodo autem hæc fiant habes suprà de cephalæa à causa frigida, &c. De resolutione residui Auicen. secunda tertij. cap cit Cùmque membrum redit ad se, oportet vt ipsum excites, post id & constringas ipsum, vt ad integram redeat sanitatem &c. Et paulò infrà, Oportet vt resolutio fiat cum aliquibus, quæ sint vt anisum, sigia, id est, storax liquida & castoreum. Et suprà dixerat, quòd emplastrum de sinapi est ex eis quæ ipsis conferunt, & fricatio cum oleo & nitro, & aqua sulphurea, & administratio acori, & quod nihil est ita conferens vt theriaca & mitridarum, & assa fœtida est vehementis iuuamenti bibita vel linis-

ta,&c.Mesu. Vltimam rem complent vnctiones,emplastra, fricationes & balneum, &c.Aet.loc.cit.laudat ad resolutionem residui vstiones quatuor fieri vnam circa cauitatem occipitis, tres in vertice, ex quibus, inquit, non despero perfectam restitutionem,&c Pau. libr.3.cap. 18. Cucurbitulæ resolutis partibus agglutinentur:si paucæ fuerint distinctim, post cucurbitulas delinantur medicamenta ex pice,resina, &c. Vide etiam Auicē.ibi,Quandoque iuuantur à febre & à balneo sicco,&c.

Obseruationes de humorum præparatione.

Marcus Catinarius capi.de par. Cauendum est,inquit, ne nimis præparemus cum fortibus digestiuis nimium calefaciētibus, vsque ad quartam diem, sed gradatim procedendum à debilioribus ad fortiora, eo quòd magis materiam dilatant, quàm præparent.

Obseruationes de euacuatione.

Auicen.secunda tertij. Et non properes in vsu medicinarum fortium in principio rei,imò tarda vsq; ad quartum & septimum: quòd si fuerit ægritudo fortis,vsque ad decimumquartum.

Obiectio.

Cur Auicen.& Mes.incipiunt à debilioribus, quum Razes dicat, Cuius curam incipie

incipiemus cum pilulis fœtidis, quæ inter vehementia pharmaca reputantur?

Responsio.

Intellige ad vtriusque concordiam, quòd hic coactè, illi magis regulariter procedunt. Paul incipit à semidrachma hieræ, & interpositis diebus exhibet integram drachmam, dehinc vnam & semis, posteà duas atque tres. B. Notandum est etiam ex Pauli & Aëtij textu, quòd in hoc morbo interpolatim medicinas exhibeamus: ne natura medicinis assuescat & laxetur. Idcirco diebus interpositis, modò vno, modò altero medicamine vti præcipiunt, & interim vires resumendas iubent, &c.

Obseruationes de resolutione.

Auic. cap. de cur. par. Et vbi necesse est, resoluere oportet, & non sint resoluentia cum lenificatione pura, sed cum aliquantula stypticitate, quia laxantia substantiam membri debilitant, & resoluentia spiritum resoluunt, idcirco cum stypticitate fienda, &c.

Obseruationes de topicis.

Galeni est placitum 3. de loc. aff. cap. vlt. vt consideretur locus originis neruorum: vnde exemplum refert de Pausania Syro. Auic. lo. cit. Positio medicinarum super locum paralyticatum est ex eis, quæ non asse

runt iuuamentum, de quo sit curandum, sed oportet cognoscere originẽ neruorum, &c. Et oportet cũ resoluẽtibus procedere à debilibus ad fortiora, & cùm medicatur cum calidis, augmentatur ægritudo, quoniam materia subtilis dilatatur per ea plurimum: idcirco oportet miscere cum infrigidantibus aut temperatis, vt succo liquiritiæ: & de emplastris loquens dixit, Quúmque sensus est debilis, fortasse emplastrum fortè nocet, & non sentit id, & ducit ad læsionem & vlcerationẽ fortem: oportet igitur vt omni custodia ab illo caueatur, & vt cõsideretur dispositio impressionis emplastri, &c. Paul. lib. 3. cap 18. In relaxatis quidem membris adstringentia iis quæ laxant miscere, & frictionem intensam moliri conuenit: in conuulsis verò laxantibus duntaxat vtendum est, & frictione molli, &c.

Paralytidem generantia.

Generant paralytidem vapor argenti viui, carnes porcinæ, & tubera.

Paralytidem curantia.

Faciunt ad paralytidem, & à proprietate tam occulta, quàm manifesta valent, abroronum chameoris, betonica, saluia, aristologia, artemisia, costus, maiorana mater sylua, colocynthis, laurus, rosmarinum, acorus, calamentum, origanum, hyssopus, melliſ

mélliſſophyllon, rutha, ſauina, mel, cinnamomum, anacardus, aſſa, helleborus, pyrethrum. peucedanum, diptamus, cyclamen, ceratũ alexandrinum, aqua ſulphurea, aluminoſa, vnguentũ de bdellio Meſ. vnguentum baſilicon Meſ. vnguentum Marciaton Nic. oleum de piperibus, de cinnamomo, de citro, oleum laterinum, vulpinum, de coſto, de terebinthina, de ſinapi. de pyrethro Ni. pinguedo gliris, blancha Nic. confectio pyrethri Meſ. cap. de epilep. confectio ana cardina Meſ. cap. de ægritu. neruorum, diambra Auic. in 5. tra. diacalamentum, diacaſtoreum Nic. ſyr. de ſtechade, theriaca hiera Ruffi, hiera Hermetis, hiera logodion, hiera picra, confectio de muſco, diapliris arcot. Nic. pilulę fœtidæ, de euphorbio, &c. Roborant neruos nuclei pinearum conditi, caſtoreum, nux indica, pæonia, &c. Vide Varig in lib. de ſecretis, cap. de paral. Item Barth. Montagnanam conſ. 48. Item Arcul. & Sauon. c. de cur. paral. Vide etiam Gord. & alios practicantes.

De prognoſticis paralytidis.

Paulus loco ſuprà citato, Quæ à nerui diuiſione oritur particularum reſolutio, inſanabilis eſt: quæ verò à temperie vel ab humore, commune ex facultatibus prædictis præſidium recipit. Auicennas ſecunda

tertij, cap.cita. Vrina infantis si sit viridis, nuntiat paralysim siue spasmum, & paralysis eueniens à remorione spondilium mortifera est secūdum plurimum. B. Ratio est, quia spondiles eos neruos, qui à se exeunt, facilè comprimunt, qui nisi ad suum locum reducantur, insperata est salus. Celsus lib.3. cap.27. Morbus qui fit in partibus, nūquam acutus, sæpe longus, & ferè sanabilis est. Razes cap. de paral. Quòd si paralysis ex percussione aut casu euenerit, & accidit subitò, ita quòd nerui aliqualiter contundantur, taliter permanebit, nec vnquam sanabitur. B. Intellige, nisi sit in ætate, in qua mēbra spermatica restaurari possint. Hippocrat.3.prorrhet. Paraplecticis parotides vitiosæ. B. Parotides sunt abscessus post aures, vitiosique sunt, quia ad inferas partes non deuoluuntur, sicuti cæteri abscessus boni. Auicen.loco citato: Et quodcunq; membrum mollificatorum & paralyticorum secundum colorem reliqui corpotis existens, non minoratur nec extenuatur, est de quo maior habēda est fiducia, quàm illud quod est diuersum ab hoc: nam quum minoratur aut extenuatur, signum est quòd non nutritur, &c. At si nihil horum acciderit, bene sperādum. Item febris superueniens soluit paralysim. B. Intellige, si ab humiditate

& fri-

& frigiditate fiat. Arcul Tremor & dolor in paralysi superueniens, bonum: si verò paralysis annum pertransit, vtplurimùm non recipit curam. B Intellige, tremorem & dolorem idcirco esse bonum indicium, quia vbi tremor & dolor, ibi sensus & motus, &c.

Authores dissentientes circa paralytidem.

1 Adserere, tunc resolutionẽ vocari, quum sensus deperditur, & non motus.
2 Adserere, impressionem sensus in membris à calore impediri.
3 Adserere, frequentem vsum calidorum mirum in modum prodesse neruis.
4 Adserere, vehementia pharmaca in principio curæ paralytidis conuenire.
5 Adserere, tunc paralysim vocari, quum vis sentiendi & mouendi omnium neruorum amittatur.

Confutatio dissentientium circa paralytidem.

Ad primum respondet Gal. 3. de loc. affe. cap. pen. dicens, Quòd neruorum tunc vera erit resolutio, vbi motus deperditur: vbi verò aliquarum partium sensus perit, eam partem sensus expertem vel stupidam potiùs dicimus, quàm resolutam.

Ad secundum dicit Auic. secunda tertij,

tra.1. Quòd membra sensus non recipiunt impressionem propter complexionis corruptionem: complexio verò corrumpitur à calido, aut frigido, aut humido, aut sicco: sed calidum, inquit, non prohibet impressionem sensus, &c.

Ad tertium, Hippocrat. aphorismor. 5. aphorismo 16. Calidum, inquit, vbi eo sæpius vtarut, hæc mala affert, carnium effœminationem, neruorum incontinentiã, &c. vbi Galenus in comment. intelligit neruorum imbecillitatem fieri, eorum substantia à calore dissoluta, & sic calidi frequens vsus neruis nocet, substãtiam neruorum dissoluens.

Ad quartum, Communis est opinio, vt regulariter procedendo non euacuemus cum vehementi pharmaco, maximè quum paralysis de materia pituitosa non sit morbus acutus, sed vbi subitaneam mortem minetur; coactè cum vehementi pharmaco purgabimus.

Ad quintum, Gal. 3. de loc. affect. cap. 10. Quum omnes igitur nerui cùm sentiendi tum mouendi vim amiserint, apoplexia huiuscemodi affectio appellatur, igitur non paralysis, &c.

De conuulsionis descriptione.

Conuulsio est neruorum ac musculorum affe

affectus, per quem interdum totum corpus, interdum pars, citra voluntatem ad suam originem contrahuntur. Huius species sunt tres, scilicet τέτανος, id est, tentio æqualis: ἐμπροσθότονος, id est, tentio ad interiora: καὶ ὀπισθότονος, id est, tentio ad posteriora: locus verò affectus cognoscitur, quia vniuerso corpore conuulso infra faciem, tunc prima spinalis medullæ pars affecta est: vt verò cum vniuerso corpore etiam facies conuellatur, tunc cerebrum affectum esse dicimus: si autem quæpiam corporis pars conuellatur, tunc eorum neruorum originem esse affectam iudicamus, &c.

Loci consentientes circa conuulsionis descriptionem.

Gal. lib. finit. med. Conuulsio, est affectus qui neruis ac musculis accidit, quum modò corpus totum, modò pars eius citra voluntatem trahitur. Oribas. aphor. 2. comment. 30. Spasmus est, inquit, motus inuoluntarius, voluntaria obtinens loca. Auic. secunda tertij, cap. de spas. Spasmus, est ægritudo neruosa, qua mouentur lacerti ad principia sua, & inobedientes sunt in dilatatione: nam alij remanẽt secundum suam dispositionem, & non dilatantur, alij facilè redeunt ad dilatationem suam, sicut in ostitatione & singultu, &c.

Obiect

Obiectio.

Quomodo est ægritudo, si Galenus 5. de sympt. cau. referat esse accidens?

Responsio.

Tria considerantur in conuulsione, malus motus, & sic est accidens: vel mala membri figura, & sic est morbus officialis: vel causa cuius fiat hoc accidens, & sic est intēperies sicca, idcirco ægritudo dicitur, &c. Galen. aphor. 6. comment. 39 Conuulsio est passio inuoluntaria ad similem venientibus neruosis partibus dispositionem, quam etiam in motibus factis secundum appetitum assumebant. Itidem ait in lib. de trem. & palpit. in fine. Et aphoris. 4. com. 57. Tres sunt numero conuulsiones, opisthotonos, emprosthotonos, & tetanos. Itidē ait in lib. de tre. & pal. Similiter Auic. ibi, Sic mollificatio diuersificatur in mēbris. Et ibi, Quū corpus declinat ad anteriora. De loco affecto loquitur Gal. 3. de lo. af. c. 6. ibi, Conuulsio enim vniuerso corpore infra faciem, omnium infra faciem neruorum originē affectam esse putandū est, quæ sunt primę spinalis medullæ partes: si verò cum vniuerso corpore facies etiā conuulsa sit, non solùm eam partem, quæ ex spina procedit, verùm etiam ipsum cerebrum curamus, &c. Itidem 4. de sympt. cau. cap. vlt. adserit.

De

De cauſis conuulſionum.

Quum duplex ſit ſpaſmus, alter ad materiam proportionatus, alter non proportionatus, cauſa non proportionati duplex, intrinſeca & extrinſeca. Intrinſeca ſunt accidentia animi, ſicut timor, mœſtitia, dolor, vel mala qualitas à materia vermium, vel mala qualitas per conſenſum aliorum membrorum ad neruos, vt ventriculi, vteri, &c. Extrinſeca eſt mala qualitas frigida, ſtyptica, membrum comprimens, vt frigiditas aëris, vel frigus nerui vulnerati: ſimiliter punctura cæca, caſus. percuſſio, inciſio, vel mala qualitas venenoſa, qualis eſt morſus venenoſorum animalium, vel præcipitatio, & quicquid cerebrum imbecille reddit, mordicat, ac dolorem infert. ex quo nerui fugiant ac contrahantur, &c. Proportionatus verò ad materiam duplex, alter de repletione, alter de inanitione. Cauſæ primitiuæ de repletione ſunt, crapula, ebrietas, conſuetæ euacuationes retentæ, balneũ & exercitium in corpore plethorico, &c. Cauſæ antecedentes ſunt vt plurimũ pituita & ſanguis, rarò melancholia, rariſſimè omnium bilis. Cauſæ cõiunctæ ſunt ipſi humores in neruis exiſtẽtes, neruos iuxta longitudinem dilatantes, interdum abſceſſus, vel flatuoſus ſpiritus, craſſus, qui vbi fuerit

parti

particularis, vulgò dicitur granfo.. Causæ conuulsionis de inanitione sunt quæcunq; strenuè exiccant, quales sunt febres ardentissimæ, ieiunia, vigiliæ, alui profluuium, nimius cõcubitus, euacuationes per soluentia pharmaca, nimius labor, & quæcunque possunt humiditates in neruis naturaliter existentes dissipare ac extenuare, & omnino exiccare, &c.

Loci consentientes de causis conuulsionum.

Auic. secunda tertij cap. de spas. Et quandoque fit spasmus qui ad materiã non proportionatur eueniẽs causa rei impedientis, à qua nerui fugiunt & congregãtur ad expellẽdum ipsum: & causa illa aut est dolor, & multoties ex vapore calido mordicatiuo, aut à qualitate venenosa perueniẽte ad cerebrum, aut propter qualitatem nõ venenosam, sicut quum spasmus accidit ab infrigidatione vehementi, cõgregante neruum & lacertũ, & cõtrahitur ad caput suum, &c. Paulus lib. 3. cap. 20. Porrò facit affectum, quanuis rarò lassitudo, humi dormitio, ponderis eleuatio, casus, vulnus, ardor, ictus, & alia quæ eandem neruis offensam inferre possunt, &c. Vide de his latiùs Auicennam loco cita. Quòd verò spasmus proportionatus sit duplex, lege Gale. aphor. 4. commen 57. Omnes conuulsiones fiunt aut

à re

à repletione, aut ab euacuatione partium, videlicet neruosarũ. Itidem adserit aphor. 6.com.39 & 5 de symptcau.ca.2.ibi, Atq; omnes, Hippo.authore, in duo capita reducuntur, plenitudinem & inanitionem. Et Hipp.aphor.6.aphor.36.Conuulsio, inquit, fit vel ex repletione & inanitione, &c. De causis huius cõuulsionis proportionatæ primitiuis loquitur 3.de lo.af.cap.6. Si temulento cuipiã ac omnino pleno homini, qui in otio degit, id euenire conspexeris, ex repletione iudicabis. Et apho.5.com.5. Solet etiam vinum neruos replere, quibus repletis fit conuulsio, &c. lege fusius de hac re Arcul.c.de spas.Gord.Ant.Guainc. De causis antecedentibus & coniunctis loquitur Auic. secunda tertij, cap.de spas.ibi, Causa spasmi aut est cum materia, aut sine materia, sicut caliditas & siccitas : & materia spasmi secundum plurimum est phlegmatica, aut melancholica, aut sanguinea, &c. Et paulò post, Causa essentialis spasmi ex repletione est, aut humiditas & frigiditas adiuuans secundum congelationẽ & grossitiem, aut caliditas & siccitas, &c. Hippo. aphor.5.aphor.17. Frigidum conuulsiones, distensiones, liuores, rigores febriles facit, &c B. Quia omne nimium siue calidum siue frigidum neruis nocere solet: nam

nam ex immodico calore eorum ſubſtãtia diſſoluitur, & ex immodico frigore cogitur ac cohibetur. Galenus 2.de ſympt.cau. cap. 2. Cauſam huius rei quippe demonſtrauimus, dum neruum aut ſtupore aut reſolutione infeſtari dicebamus, ſi frigus illum conſtringat, aut craſſi lentíque humores obſtruant, aut aliqua cauſa externa ipſum ſuo pondere comprimat,&c. Itidem ait in lib.de trem. & palpitatione, cap.vlti. ibi, Itaque neruos tendinéſque in animalium corporibus ex humore ſuperfluo tenſos,&c. Quòd fiat etiam a flatuoſo ſpiritu, habes ex Auicen.loco citato ibi,Et non eſt longum, quin ſit ſpaſmus eueniens à ventoſitate inflatiua,ſpiſſa.Ipſe enim eſt ex eis quæ plurimum accidunt, & remouetur in hora, intelligens de eo, quod dicitur granſo.Itidem ait Pau.lib.3. cap.20.vbi tribuit originem muſculis repletis ſpiritu & aére craſſo nebuloſóque,&c. De cauſis conuulſionum ex inanitione plurima refert Auicennas ſecunda tertij,cap.cita.ibi,Spaſmus autem ſiccus, alius quidem qui fit ſucceſſione febrium adurentium,& propriè in febribus ſirſen,& ſucceſſione motuum laborioſorum corporalium, & animalium ſicut anguſtiæ,vigiliæ, timor,& ille eſt ex eis, à quibus fit euaſio.

Ob-

Obiectio.

Quomodo sit euasio, si ab Hippocrate & Galeno lib. de tre. & palp. in fine existimatur incurabilis?

Responsio.

Duplex est spasmus, alter quidem cõfirmatus, in quo omnes substantiales mẽbrorum humiditates cõsumptæ sunt, & hic dicitur incurabilis, quia humiditates illæ deperditæ haudquaquam restaurari possunt. Alter nõ cõfirmatus, in quo primę tantùm humiditates consumptæ sunt, sed spei aliquid supereſt vt restaurentur, & sic interdũ ab his fit euasio. Galen. 3. de loc. aff. cap. 6. Quippe cũ cõuulsio fit vel à labore, vel vigiliis, vel fame, vel solicitudine, vel arida æstuãtéq; febre, qualẽ in phreneticis videre est, causam eius esse ariditatem vacuationémq; rectè putaueris. Et 5. de sympt. causis, Phlegmone plenitudinem parit, ardentissimæ ac aridissimæ febres inanitionem, &c. lege etiã aphorismũ, Ex superflua purgatione conuulsio, &c. lege etiam Gal. 5. de sympt. cau. cap. 2. & in lib. de tre. & palp. & aphoris 6. cõment. 39. vbi affert exemplum modò de chordis, quæ ob nimiã humiditatem rumpuntur: aut de loris, quę ad ignem longius calefacta cõtrahuntur. Itidẽ Auic. Sic dispositiones chordarũ, quę elongãtur

in hyeme propter humiditatem, & abbreuiantur in æstate propter exiccationem.

De signis conuulsionum.

Signa præcedẽtia sunt angusta ac luctuosa respiratio, pulsus rarus, durus, exiguus, risus sardonicus, tremor manus ægri occultus: aluus siccescit, vrina aquæ similis vel cruenta esse videtur: tument oculi, & facies rubescit, præcedunt tremores & singultus, dolor capitis, lumborum, ac clauiculorum accidit, dentes strident, oculi peruertũtur. Signa præsentia sunt membrorum cõtractio ad suam originẽ, diuersitas in pulsu, ita vt in principio sui motus sit humilis, in medio sui motus ascendat, & in fine cadit, arteria aliis mẽbris est calidior, &c. Signa conuulsionis erũt, si in sanis repentina conuulsio adueniat ac permaneat. Signa conuulsionis de inanitione sunt conuulsiones post multos sudores, vomitus, alui profluuia, sanguinis fluxũ, vigilias, fames, aut febres ardentissimas accidẽtes, &c. Signa cõuulsionis nõ proportionatę ad materiã sunt causæ eius antedictæ. Signa humorum cognoscũtur ex coloribus & reliquis sæpius antedictis. Signa apostematum sunt dolor, febris, pulsatio, &c. Signa conuulsionis per cõsensum alicuius membri sunt, quia præcedit læsio illius membri, &c.

Loci

Loci consentientes de signis conuulsionum.

Paul.lib.3.cap. 20.de signis præcedentibus verba facit,ibi, Notæ horũ sunt angusta respiratio,pulsus rarus & exiguus,nonnunquam & risus sardonicus oboritur,rubet facies,oculi intumescunt, & id reliquũ quod à me nuper relatum est. Auic.qua.i de verbo ad verbum eadem recitat iGalen. prognost.3.cõment.34, Potissimùm cõuulsiones futuræ cognoscuntur , si partes in vultu peruertãtur,aut dẽtes stridẽt, aut oculi crebrò mouentur ac peruertuntur:sed in pueris sufficit,si tantũmodo vigilent, si admodum metuant, si mente lugeãt,ac aluus nõ deiiciat,&c.Memento etiam aphor.54. lib.6.videlicet, In acutis passionibus, quæ cum febre sunt, luctuosa suspiria malum, vide de pulsu duro & de aliis huc spectãtibus,Gal.in cõment. De signis præsentibus lege Razen.9 alman. cap.de spas.ibi, Quũ aliquod membrum alicuius contrahitur,& ad suum redit originem , aut plura mẽbra sic disponuntur, spasmata esse pronunciamus.Auic. secunda tertij , cap. de sig. spas. Pulsus spasmatorum est extensus & diuersus in situ, ascendens & dimittens , sicut sagittæ euadentes de arcu sagittarij, &c. De signis spasmi, de inanitione & reple-

tione Gale. ; rorrhet.3.coment.69. inquit, Conuulsiones ex euacuatione post sudores multos, vel vomitus, vel deiectiones, vel sanguinis eruptiones, vel inediam, vel vigilias, vel motiones tum mul as, tum vehementes fiunt,&c. Itidem Paul.lib 3. cap.19. Aët.ser.6.cap 38. Si statim ab initio morbi conuulsiones fiunt & permanserint, tunc à plenitudine ortum habent: si verò à multis sudoribus , vomitibus, &c. tunc ex inanitione oriuntur. Itidem Auic.loc.cit.ibi, Si spasmus à repletione fiat, signa sunt, quòd subitò prouenit, & non discedit velociter: si à siccitate fit paulatim & successione ægritudinum euacuantium, &c. Idem sentit Gal.aphor.2.commen.26. Signa humorum tangit Gale.prognost.3. comment. 34. ibi, Colores præter naturã habentur indicantes humorum prauitatem, ex quibus conuelli assolẽt. Pallidus enim aut liuidus pra uum qualitate significat humorẽ, rudibus verò sanguinis copiã,&c. De signis spasmi ex apostemate loquitur Auic. secunda tertii,cap. de sig.spas.ibi, Et quandoque cum spasmo sunt pulsatio & saltus, & est signũ malum. Pulsatio vnam duarum rerum significat, aut apostema in visceribus, &c. Similiter loquens de signis per consensum alicuius partis inquit, Cùm nocumentum

est

est ex stoma ho, cõmunicat ei cerebrum, deinde nerui,& fit spasmus successione vomitus, qui est sicut succus porri, aut æruginis.&c.

De cura conuulsionum.

Ad curã spectãt quatuor intentiones:prima,est victus ratio:secunda,euacuatio, sub qua reuulsio cõprehẽditur:tertia,resolutio ac mẽbrorũ roboratio:quarta, est symptomatũ remotio. Victus in cõuulsione de repletione existẽte materia pituitosa sit calidus,tenuis & siccus in principio & in viriũ robore:si verò imbecillitas viriũ adsit,etiã in statu cogimur ei succurrere,cũ carnibus qualitate siccis,vinum non bibatur vsq; ad morbi remissionẽ, nam tũc ad resolutionẽ antiquũ facit. In cõuulsione de inanitione victus sit frigidus, humectans, pinguis, tenuis,quũ malè transglutiant,& viæ sint strictæ:magis tamen humectet, quàm infrigidet,qualis est aqua carnis cũ quatuor seminibus frigidis alterata, lac recẽter mulctũ, sorbitiones ex chõdro & alica,cremor ptisanæ.Potus sit aqua hordei,aqua cucurbitæ & mellonis indi cũ Iuleb,si adfuerit febris: si minus , his addatur parũ vini tenuis & aquosi,facit enim ad penetrationẽ &c.Euacuatio fiet primùm per venæ sectionem, si sanguis vel humorũ copia in causa fuerit

si minus iuxta humorũ exigentiã euacuato, de quibus in capite de paralysi satis dictum est. Sed vbi morbus inducias dederit, tunc primũ materia erit præparãda cũ rhodomelle, syrupo de stechade, cum aquis ac decoctis capiti spectãtibus. Cõueniũt insuper clysteria cũ rebus capiti dicatis, frictiones ad partes subiectas, item masticatoria, sternutatoria, cucurbitulæ affectis partibus cũ scarificatione, multa existente materia, vel sine scarificatiõe, pauca existẽte. Resolutio ac membrotum roboratio perficitur cũ emolliẽtibus ac resoluentibus, cùm materia sit crassior quàm in paralytide, & hæc per exteriora & interiora. Exteriora sunt linimenta ex oleo liliorum alborum, lumbricorũ, oleo vulpino, costino, &c. vnguenta ex bdellio, balnea tam naturalia quàm artificialia. Naturalia, sulphurea, salsa, aluminosa. Artificialia sicut in oleo cõmuni, vel in balneo, in quo decoctę sint vulpes catuli cũ herbis capitalibus, scilicet camomilla, anetho, maiorana, saluia, rosmarino, stechade, & similibus. Interiora sunt electuaria resoluentia, vt diamuscus, diacorus, mitridatum, cõfectio anacardina, & quæcunque febrem prouocare possunt. Remotio symptomarum fiet, si dolor qui interdum vehementissimè molestare so-

let,

let,auferatur: & hoc perficitur cum anodinis,cum balneo 53.ex oleo cõmuni,in quo decocta sit lumbricorum quædam quantitas, vel cum oleo camomillino,de semine lini,vel balneo arte parato,& membra cõtracta ad suum locum reducantur,& inordinato motui resistatur. Cura conuulsionis de inanitione tantummodò cõsistit in humectando & restaurando,modò cũ balneis ex lacte, modò artificialibus, cum foliis salicis,hordeo, violis & seminibus frigidis,&c. Post balneum statim membra ex oleo rosaceo liniantur, ne humiditas impressa exalet, sed sua stypticitate cohibeatur. Clysteria fiant ex rebus similibus, additis quibusdam impinguãtibus. Somnus insuper accersendus est. Euacuatio nulla fiat nisi naturalis, & nutriatur vt dictũ est. Cura conuulsionis non proportionatæ ad materiã sic fiet, Primùm si fuerit à percussione, cum laxantibus balneis, ex hordeo, camomilla & malua,fœnugręco,&c.Si fuerit ex vulnere,in primis dolorem remoue, & sanies inducatur cum emplastro altheę, vel cum vitello oui,& terebinthina, & tota spina liniatur cùm humectantibus temperatis, sicut oleo amygdalino dulci, &c. Si fuerit à ventositate, resoluatur cum frictione & oleis calidis. Si fuerit à pun-

ctura venenosa, extrahatur illa humiditas venenosa, vel cum cucurbitula apposita, vel cum emplastro ex scabiosa & vitello oui. Si fuerit punctura ex ferro, tunc aperiatur locus, ita vt virus quoquo modo transpiret, cum vnguento exiccante & corrodente, quale est vnguētum apostolorum ægyptiacum, sed prius sedetur dolor cum terebinthina & oleo rosaceo, aut cum balneo ex oleo lumbricorum, aut cum pane in lacte infuso, aut cum aliquo quod locum stupidum reddat, qualia sunt opiata, &c. Si fuerit ab apostemate, curetur eodem tramite, quo solēt tales abscessus curari. Si fuerit per consensum ventriculi, curetur vomitu vel euacuatione per secessum, roborando cerebrum & spinam, ne amplius quidpiam suscipiant, & sic intelligito de aliis particulis, &c.

Loci consentientes de cura conuulsionum.

Habes de victu primùm Auic. secūda tertii, ibi, Et si habens spasmū humidū debilis fit virtutis, non abscindantur ab eo carnes siccę, sicuti carnes minutarum auium, & cubegi, & cheruberi, id est, perdicis & alaudę: & si virtus non fuerit debilis, sint cibi eius panis cum melle, & aqua ciceris cū anetho & sinapi, &c. & sic ealidum ac tenuem victum

ctum imperat Paul.lib.3.cap.20. Porrò victus erit tenuis, qui expeditè distribuatur, & recremẽtis omnino vacet,&c. Et loquẽs de victu conuulsionis,de inanitione,dixit, Qui ex inanitione conuelluntur,nutriendi sunt ex chondro & alica, vinóque tenui & aquoso,quod facilè per omnia corporis membra distribuitur, nisi febris adfuerit, tunc ptisanę cremor vtilis est.Et Auic.loc. cit. Et infirmo detur in potu lac recenter mulctum,secundum mensuram cõuenientem,si non fuerit febris,et aqua hordei, et aqua cu curbitæ et aqua melonis indi cum Iuleb, & si commisceatur cum aliquo horum parum vini albi, vt penetrare faciat, erit conueniens.Et paulò pòst, Cibus habentium spasmum siccum, sit totum quod humectat & lenit, & omnes sorbitiones pingues,lenes,factæ ex aqua hordei,assumpta ex carnibus agnorum & hœdorum, & quandoq; ponitur ex oleribus humectatiuis, frangẽtibus nocumentũ carnis,si illic fuerit caliditas, &c. De euacuatione lege Paul.loc.cit.ibi,Quibus ceruix recta intẽditur,ab initio sanguis detrahendus est, & partes lanis oleo sicyonio imbutis & casto reo contegantur, & cucurbitulæ sic a Imouendæ, vt cutis exasperetur: lenes enim noxam inferunt,&c. Auicen secunda ter-

tij,cap.de cur.ſpaſmi, Si ſpaſmus eſt humidus , oportet vt curetur cum euacuantibus & purgantibus, &c.& quũ videris ſanguinis ſigna dominantia , tum phlebotoma,&c.Aet.ſer.6.cap.39. Poſt venæ ſectionem vtendum vnguentis lancinantibus, & cucurbitulæ cum ſcarificatione locis omnibus effectis affigantur: in potu conueniũt apomelli & radicis ſilphii decoctum, & ipſa trita , & hyſſopi decoctum, &c. B. Intellige non tantùm ratione potus, quantum præparationis materiæ. Itidem Paul. & Auicen.loc.cit.aſſerunt. De reſolutione poſteà loquens Aet.loc.cit.inquit, Deinde cataplaſmata locis affectis adhibeantur, quæ laxare ac diſcutere poſſunt , ſimúlque lenire. horum autem materia ſit fœnugręcum, ſemẽ lini, farina hordeacea ac loliacea,&c. Paul. lib. 3 cap.20. Quòd ſi tetanus ad veruſtatem inciderit , in oleum bis quotidie deſeendere oportet, nec diutius immorari , quum maximè vires conuellat. B. Nota quòd tetanus non differt à conuulſione, niſi vt genus & ſpecies,vel ſicut compoſitum à ſimplici. Sunt enim in tetano binæ conuulſiones diuerſorum muſculorum & neruorũ , ad oppoſitas partes ſeſe trahentium. Auicenna ſecunda tertij, cap.de cur. ſpaſma. Et ſeſſio in pelli vu-

pium

pium & luporum iuuat, & inunctio cum adipibus luporum,& oleo de lilio,si nõ fuerit febris: & decoctum catulorum, aut sessio in aquis, in quibus decoctæ sint medicinæ subtiles, sicut abrotanum,aut folia radicis iunci, & calamus aromaticus, & folia lauri, &c. lege eum fusius, & plura ad balnea & inunctiones spectantia ab ipso intelliges, &c. De remotione accidentium habes ferè omnes practicantes, sed præcipuè Paulum lib.3.cap.19.ibi, Primùm partes quæ contrahuntur, valenter continendæ sunt, & inordinatis resistendum motibus:oleo perfricare oportet rutaceo aut sycionio,&c.Itidem Auic.ibi, Et applanetur quod spasmatum est leniter, &c. Et anteà dixerat. Et si fuerit dolor, seda dolorem, postquàm consideraueris quid sit,& abscin de causam eius. Lege de his Arculanũ. De cura spasmi ex inanitiõe loquutus est etiã Auic.ibi,dicens,Conuenientior cura est tina,& inunctio in oleo humido post ipsam, & eius iteratio multotiens. Si autem possibile est,tina fiat ex lacte:si non, ex aquis, in quibus cocta sint folia salicis,hordeum, viola nymphęa,cucurbita,& citruli: aut sit totũ illud ex aqua rosacea, in qua decocta sint aliqua horum: & si feceris, clysteria fiant ex istis expressionibus & oleis aliquib

quibus dissolutis, humectãtibus & impinguantibus,&c. Itidem Paul. loc. cit. adserit, ibi, Eos qui ex inanitione conuelluntur, oleo vel hydreleo calido fouere competit, &c. De cura per consensum habes plura apud neoteri: os omnes, quos recensere esset præter longitudinem satis graue. Vide tu Arcul. Marc. Catin. Gord. &c. Lege insuper Auic. ibi, In eo qui factus est à percussione, oportet vt administrẽtur embroex quæ laxant, factæ ex hordeo, camomilla, &c. Si fuerit à dolore, seda doloré, &c. Et si est propter punctura, curetur, &c. Et si fuerit à nocumento, propter alicuius rei venenosę potum, curetur cum eo quod cognoscitur in cap. de venenis, &c.

Obseruationes de sectione venæ.

Aet. ser. 6. cap. 39. Primùm si à repletione fiat, secanda est vena. Auice. de cur. spas. loquens, de sectione venæ inquit, Non extrahas totum, quod necessarium est ex sanguine: imò retine ex eo aliquid, vt resistat spasmo, & resoluatur resolutione motuum spasmi: & hæc obseruatio etiam habetur à Raze 1. contin. cap. de spas. &c.

Obseruationes de balneis.

Auic. loc. cit. Et scias quòd longitudo spatii moræ in tina est ex eis quæ nocent propter

pter mollificationem virtutis, tu autem pone multitudinem numeri in loco longitudinis spatii, & fac sedere ipsum bis in die, &c. hoc idem annotauit etiam Paul. lib. 3. cap. 20.

Obseruationes in ponendis cucurbitulis.

Auicen. Et ille qui vtitur ventosis, oportet vt vtatur sine scarificatione, si res est leuis: & si non ita est, scarificatio fiat, & loca ventosarum custodiantur & conseruentur, ne corpus infrigidetur, &c. Vide de hoc latius Paul. Aeginet.

Obseruationes de aqua frigida.

Paul. libr. 3. cap. 20. Frigidæ superfusionem, quum sit (quemadmodum ait Hippo) periculosissima, eóque posteris credo vitu perata, & nos damnamus deuitamúsq;. B. Hæc dicta sint in Marcum Catinariam, qui per immersionem aquæ frigidæ curam fieri iubet. Similiter de febre prouocanda: nam non solùm Auice. vt suprà, sed etiam Paul. in hoc loco optimum esse inquit præsidium febrem, quæ per initia non fuerit, peruenientem: & hoc contra Michaëlem Sauonarolã qui nullo modo prouocãdam ait esse, quum posteà nostri non sit arbitrii eam expellere.

Con

Conuulsionem excitantia.

Excitant, eíque nocent coturnix, helleborus albus, tribulus marinus. Prohibent à proprietate ſpaſmum iuxta Auicen. & Plinium, Fel adipis, cinis muſtelæ, ſpolium ſerpentis, ſtorax bibita, &c.

Conuulsionem curantia.

Curant ſpaſmum ex repletione, acorus, aſſa, ariſtologia, bdellium, calamẽtum, chamedrys, caſtoreum, centum capita, colocynthis, epitimum, euphorbium, galbanũ, peucedanum, pyrethrũ, ſatirion, ſcenoanthos, abſinthium, oleum amygdalarũ dul. de been, de piperibus, de coſto, de croco de alchechenſigi, de ſemine lini, ſyrupus de ſtechade, de betonica, rhodomel, pilulæ fœtidæ, de ſerapino, de ſex rebus Alex. chochiæ, vnguentum aragon, balſamum, confectio anacardina, diamuſcus, diambra. lege etiam remedia, inunctiones, &c. iuxta Varig capit. 10. de diſpoſ. capitis. Item Bartho. Montagnanam conſ. 244. in fine: vide etiam Aggregatorem, Arcu. Sauona. Gord. Aẽt. &c.

De prognoſticis conuulſionum.

Hippoc. aphor. 2. aphoriſ. 26. Febrem cõuulſioni ſuperuenire, melius eſt quàm febri conuulſionem. B. Nam ſi febris ſuperueniat humorem calefaciens, extenuat &

diſſol

dissoluit: si verò post febrem conuulsio acci dat, statim ob sui acutiem vires dissoluens, exitium affert, nisi ab initio quis huic opportunis remediis resistat. Et aphoris. 4. aphoris. 5. Ex purgatione superflua conuulsio aut singultus superueniens, malum. Et aphoris. 4. aphor. 49. In febre nõ intermittente si labrum, vel oculus, vel nasus, vel supercilium peruertatur, vel non videat, aut iam debili existente corpore, quodcunque horũ fiat, iam propè est mors. Et aphor. 4. aphor. 57. Qui à conuulsione vel distensione neruorum tenetur, febre superueniente liberatur. Et aphoris. 4 aphor. 66. In acutis febribus conuulsiones & circa viscera dolores fortes, malum. Et aphor. 4. aphor. 67. In febribus ex somnis timores vel conuulsiones, malum. Et aphor. 4. aphor. 68. In febribus spiritus offendens, malum: conuulsionem enim significat. Et aphor 5. aphoris. 1. Conuulsio ex helleboro lethalis. B. Non eam intelligit Hippoc. quæ per consensum oris, stomachi, neque eam quæ per nimiam euacuationem accidit, sed fortè eam, quæ ab impulsa hellebori virtute, violentius neruorum substantiam exiccat, alioqui frustrà legeretur alter aphorism. Ex superflua purgatione, &c. aphor. 5. aphori. 2. Conuulsio ex vulnere lethalis. B. Quia ad vulnera

sequi

sequi solet inflammatio, quæ vbi neruos attigerit, conuulsiones accidunt quandoque vniuersales, ex quibus mors. Etiam apho.5.aphor.3. Vbi sanguis plurimus fluxerit, singultus aut conuulsio superueniẽs, malum. Et aphor.5.aphor.5. Si ebrius quispiam repentè obmutuerit conuulsus moritur, nisi febre corripiatur, aut ad horã peruenerit, qua soluantur crapulæ, vocem recuperet. Et aphor.5. aphor.6. Quicunque à distensione corripiuntur, in quatuor diebus pereunt: si verò hos effugerint, sani fiunt. B. Morbus hic in primo dierum iudicatoriorum circuitu finitur, non tolerante diu natura laborem. Et aphor. 5. aphor. 18. Frigidum inimicum ossibus, dentibus, neruis, cerebro, spinali medullæ, calidum verò vtile. Et aphor.5.aphor. 57. In fluxu muliebri, si conuulsio & animi defectus aduenerit, malum. Et aphor 5.aphor. 70. A quartanis capti, non admodum à conuulsione capiuntur: si verò prius capiantur, & quartana superuenerit, liberantur. Et aph. 7.aphor.9. A profluuio sanguinis desipientia & couuulsio malũ. B. Dictum est cõuulsionem ex euacuatione esse malũ, sed quanto magis, si ambarum fuerit conuentus? Et aphoris 7. aphoris.10. Ab illo vomitus, singultus, desipientia vel conuulsio, malum

lum. Et aphor. 7. aphor. 13. Ab æstibus fortibus conuulsio aut distensio, malum. B. Intellige pro æstibus siue febrem, siue aërem ambientem, vel feruorem, vel cauteria, vel escaram: nam ob neruorũ siccitatem hæ proueniunt conuulsiones, quę difficillimè curantur. Et aphor. 7. aphor. 18. In vigilia conuulsio vel desipientia, malũ, &c. Et aphor. 7. aphor. 25. Ex medicamenti potione conuulsio. Et aphor. 7. aphor. 27. Mulieri vterum gerenti si tertiò superenerit, facit abortum. Razes. 9. almã. Spasmus qui non repentè, sed suauiter accidit post febrem, aut post multam ventris solutionem, aut multum vomitum, aut sanguinis fluxum, malus est, & vix curabilis. Itidem habet Paul. loc. cit. Et Aet. & Auic. Mes. Cur sit hîc deterior, quàm distensio est, quia iuxta omnes dimensiones contrahit. Galen. lib. de tre. & palp. in fine, Conuulsiones, quarum siccitas causa est, minimè medicaberis: nam sic affecti citissimè interemunt, nec medicamenta sibiipsis vtilia excogitare permittunt: at quæ ex humorum copia, aut ab inflammatione eueniunt, humorum euacuando repletionem & inflammationem propriis remediis mediendo ipsas curare poteris, &c. Similiter aphor. 5. comment. 7. Conuulsio, quæ fit ab euacua-

tione, acutiſſima eſt & perniciofiſſima, quæ verò à replerione neruoſarum partium, neque acutiſſima, neque ſimiliter periculoſa.

Authores diſſentientes circa conuulſionem.

1 Adſerere cum Ariſtotele, neruos oriri à corde.

2 Adſerere, conuulſionum ſpecies eſſe plures quàm tres, quum corpus etiam ad dextram & ſiniſtram curuari poſſit.

3 Adſerere conuulſiones de inanitione nõ eſſe ſemper mortales. Nam pueri, inquit Auic. liberantur à ſpaſmo ſicco velociter.

4 Adſerere, omnem conuulſionem de repletione poſſe ſemper à febre curari.

5 Adſerere, conuulſionis motum à naturali motu non differre.

Confutatio diſſentientium circa conuulſionem.

Confutat primum Gal. 3. de loc. aff. capi. 6. probans duobus mediis non oriri à corde. Primum per exercitatiſſimos medicos, qui non cordi in hoc morbo, ſed cerebro, vel circa ſpinam, remedia adaptant. Alterũ ex arte anatomica, in qua euidẽtiſſimè cernitur, neruos oriri à cerebro & nõ à corde.

Ad ſecundum reſpondet Gale. lib. de tre. & palp. capit. vlti. enumerans tantùm tres

ſpec

ſpecies, inquit, Huiuſce paſſionis modos hunc quidem emproſthotonum, illum verò opiſthotonum, tertium autem tetanum (vt omnes fatentur) appellari cognoſces, reliquos modos laterales tanquam impoſſibiles propter ſitum neruorum & corporis imbecillitatem tacēs, quos ſi cognouiſſet vtiles, non vtique ſicco pede pertranſiuiſſet.

Ad tertium inquit Gal. aphor. 2. cōmenr. 26. Si verò ex ardentibus febribus totum corp⁹ exiccetur & neruis: deinde ex ſiccitate conuulſio accidat, hoc maximum eſt malum, & penè inſanabile, cuius ratio ab ipſo redditur, &c. Quod verò dicit Auic. ita intelligendum eſt, quòd pueri liberantur à ſpaſmo ſicco velociter: id eſt, pueri immunes ſunt, ne de facili in conuulſionē de inanitione incidant ob eorum edacitatē, & c⁹

Obiectio.

Gal. 3. prognoſt. inquit. Quòd conuulſio accidens pueris cum acuta febre, facilè curatur, & tamen ſequitur febris: igitur non omnes moriuntur.

Reſponſio.

Duplex eſt febris. Altera totū corpus & neruoſam cōpaginem deſiccans, & hæc eſt incurabilis & lethalis. Altera eſt diſſoluens humores pituitoſos, frigidos, qua facilè cu-

rantur pueri,& sic intelligit Gal.ibi.

Ad quartum respondet Gal.in lib. de tre. & pap non curari conuulsiones ex repletione tantùm ex febre,sed quæcunque tantummodò ex frigidorum humorum copia proueniunt,repletionem tamen euacuando:sed quæ ab inflãmatione eueniunt, minimè per febres curantur,sed inflammationem propriis auxiliis:igitur conuulsio de repletione nõ semper à febre curabitur.

Ad quintum inquit Gale 3.de loc.aff. ca. 6.Conuulsionem in conuulsis partibus factam hac sola ratione à motu naturali differre,quod præter voluntatem fit. Naturalis verò motus voluntarius est. Et sic differt à motu materiali qui inuoluntariè semper fit.

De Melancholiæ descriptione.

Melancholia est quædam sine febre mentis alienatio ex humore melancholico dependens.Hæc duplici specie insigni cõstat: altera quã Græci μελαγχολίαν,id est, atram bilem : altera μανίαν,id est,insaniam vocãt. Melancholia ratione locorum affectorum duplex est:prima , quum cerebrum primario affectu afficitur: altera, quum per consensum vel totius, vel partium præcordiis scilicet affectis molestatur, vnde præcordialis siue hypochondriaca melancholia

voca

vocatur. Complures verò & harum existũt differentiæ quas enarrare longum foret. Nam quidam semper rident, nonnulli plorant, alii mortem expetunt, alii mori timẽt, alii futura vaticinãtur, quos ἐνθουσιαστικοὺς Græci vocant, &c.

Loci consentientes de Melancholiæ descriptione.

Gal. lib. finit. med. Melancholia, est quidam sine febre affectus mentem lædens, nõ sine graui molestia animi, atque auersione à rebus charissimis. Ibi etiam describitur Insania, dum inquit, est alienatio mẽtis, mutatióque à communi hominum ritu ac sanorum moribus, sine febre.

Auic. Melancholia, est mutatio existimationum & cogitationum à cursu naturali ad corruptionem, & ad timorem, & ad malitiam, propter complexionem melancholicam, facientem spititum cerebri syluestrem interius, & facientem ipsum timidum propter tenebras, &c. Oribasius apho. 7 comment. 10. Atra bilis est affectio cerebri, & ex melancholica fit materia, &c. Galen. 3. de loc. aff. cap. 7. Vbi atra bilis in corpore abundat, eam insaniæ speciem, quam Græci μελαγχολίαν vocant, efficit. Quemadmodum alter atræ bilis succus, qui præassata flaua bile nascitur, ferina delira-

menta inducit, modò cũ febre, modò sine febre. Alexan. Tra. cap. 23. Sed ex loco etiã affecto aliã atque aliã sortitur speciei nomenclatutã: afficitur enim interdum cerebrum primario affectu, nonnunquã per cõsensum singularum corporis partium, interdum ventre & præcordiis afflictis, quã speciem hypochondriacam nominant. Gale. 5. de sympt. cau. in fine, Melãcholicæ dementiæ varię sunt species, prout in ipsis particulatim dolosæ suspectæque apparẽt. In omnibus commune vnum habetur, quòd omnes præter rationem mœsti sunt, nec quam ob rẽ tristentur, rationem possunt reddere, ac non pauci eorum mortẽ, & alia non timenda timere videntur, &c. Vide fusius infrà, de signis melancholiæ, &c.

De causis melancholiæ.

Causæ vel sunt in cerebro, vel extra cerebrũ. Si per se in cerebro sunt, & non ab aliis dependeant partibus corporis, tunc vel sunt initiatrices siue primitiuæ, vel antecedentes, vel coniunctæ. Causæ primitiuæ sunt aer frigidus & siccus, turbulentus, aut calidus siccus adurens, sicut aer æstatis & autumni, cibi potúsq; atrabilarii, qualis est caro bubula, caprina, lẽtes, vinũ crassũ, exercitium exiccans ac balneum, immodica vigilia, timores tristitiáque, vehemens

mens ſtudium, longi carceres, menſtrua ac hæmerrhoides oppreſſæ, &c. Cauſæ antecedentes ſunt mala intemperies, frigida & ſicca ſine materia, quæ tum cerebri, tum ſpiritus animalis complexionẽ ac ſubſtantiam tenebroſam efficit. Itidem facit mala intemperies calida & ſicca, nam adurendo eorũ ſubſtantiã obtenebrat. Itẽ mala temperatura frigida & ſicca cum materia melancholica naturali vel non naturali, vt ex aduſtione ſanguinis. Mania ſimiliter ex bile præaſſata generatur. Cauſæ coniunctæ ſunt, vel ipſa intemperies cerebri frigida & ſicca, naturalis & non naturalis, melancholiam ad actum producens, vel ipſa melancholia in cerebro contenta. Cauſæ verò per conſenſum à toto corpore ſunt, vel febres quartanæ præcedẽtes, vel aliæ ægritudines in melancholiam deſinentes. Cauſæ per conſenſum à partibus erunt plures: nam ſi proueniat malum à ſplene, tunc cauſa erit vel eius imbecillitas, ſegregare ac expurgare atram bilem non valẽs, aut obſtructio, aut apoſtema aut mala intemperies. Et ſimiliter intelligito de hepate, ſtomacho, præcordiis, ex quibus humor aut vapor tenebroſus tandem ad cerebrum eleuatur.

Loci consentientes de causis Melancholiæ.

Auic.loc.cit. Et melancholiæ causa aut est in ipso cerebro,aut extra cerebrũ. Aet. ser.6.& Paul.lib.3.cap 14 & Gale.3. de loc. aff.capit.5. Interdum sine febre vitium est, vt in mania & melancholia,id quod modò per consensum, modò primaria affectione, cerebro laborante accidit.Itidem ait capit. 7.B.Ex hoc Galeni loco cognoscitur, quotienscunque aliquid per se & per consensum afficiatur, & hoc exactè discernitur per propria accidentia perpe. De causis primitiuis melancholiç loquitur Gale.aphor. 3 comment.20. ibi, Furores enim & atra bilis,& morbi comitiales, & anginæ sunt morbi autumnales.Similiter & comment. 22.eiusdem est sententiç, &c. Auic. prima tertii,tra.5.Et quandoque causa generationis eius est aër exterior, & quandoque fiũt in generatione eius cibi generati choleræ nigræ,& ex causis fortibus in generatione melancholiæ est superfluitas tristitiæ & timoris.Gal 3.de loc.aff,cap.7.Facilè in temperiẽ melancholicam incidunt, qui & vigiliis & multis laboribus, & solicitudine, & tenui victu fuerint educati. Ad hæc accedũt,si hæmorrhois aliqua restricta sit,aut alia quçdã cõsueta sanguinis euacuatio, aut

mulie

mulierum menstrua: insuper si quis vsus sit cibis qui suapte natura sanguinem melancholicũ efficiunt, vt caprina bubuláque caro, magísque hircinæ & taurinæ, asinorum ac camelorum carnes. Item vulpinę, caninæ, atque magnam vim in huiuscemodi generatione ex lepore cibus est, sed multò magis, ac frequenter limaces comestæ, omnésque terrenorum animaliũ carnes sale conditæ Ex aquatilibus thunni, balenæ, vituli marini, delphini, canis atq; cetaceorum omniũ. Ex oleribus brassica sola ferè: inter legumina lentes, mox panis furfuraceus, & qui ex vitiatis seminibus conficitur. Præterea vina crassa nigráque aptissima sunt, vt ex ipsis melancholicus humor efficiatur: vetus denique caseus, &c. Vide de his etiam Gal. de atra bile. ca. 4. & 6. &c. De causis antecedentibus loquitur Gale. 1. quòd fiat sine materia, aphor 6. cõment. 53. Et Auic. prima tertii. tra. 5. Causa est malitia complexionis frigidæ & siccæ, sine materia permutãte substantiã cerebri, & complexionem spiritus luminosi ad tenebras: aut est cum materia, & illa aut est in venis, veniens ad eas ex loco alio, & conuertitur ad choleram nigram per adustionem, aut est materia imbibita in corpore cerebri, &c. Et paulò infrà inquit, Et oportet

vt scias, quòd cholera nigra faciens melancholiam, quandoque est cholera nigra naturalis, aut phlegma, quando conuertitur in choleram nigram ob spissitudinem, aut ob aliquã aduſtionem, quãuis hoc sit rarũ & parum. &c. B. Nota ex Manardo in secunda epistola noni libri, pituitam adeò assari non posse incorpore humano, vt nigra in totum euadat. Et Galen 3 de loc. aff. cap. 7 Igitur ea quam atra bilis constituit, in melancholiam transit: quę verò à pituita parta est, in aliam affectionem permutatur, melancholiam haudquaquam efficiens, &c. Gal. 5. de symptc. aus. in fine, Sola autem melancholica dementia à frigidiori succo, vt causa, euenire solet, &c. Et 3. de lo. aff. cap. 7. Prouenit huiuscemodi humor in quibusdam plurimus, vel à temperie ab initio comparata, vel à cibis in hũc humorem conuersis. Et paulò antè, Melancholici sunt, in quibus siccitas & frigiditas dominatur, &c. Vide etiam caput sextum de atra bile. Aet. ser. 6. cap. 9. Generatur autem caliditate multa indigena, aut flauam bilem, aut crassiorem sanguinem adassante, &c. Vide etiam Galenum 3. de locis affect. & 2. artis curatiuæ, &c. Causę coniunctæ recitantur ab Auicn. loc. cit. ibi, Et vnaquęque specierum cholerę nigrę, quum in cereb

cerebro est, modo prædicto facit melancholiam. Gal.5. de sympt.cau.in fine libri, Porrò omne delirium est deprauatus principis facultatis motus, à prauis succis, aut cerebri intemperie ortum habens. Et in fine cap. Quod nobis extrinsecus accidit, quum ambiens nos aër vastissimis tenebris fuerit obscuratus, id melancholicis ab intimo corpore erumpere videtur occupante cerebrum, vel ipsamet atra bile, vel vapore quopiam melancholico, &c. De causis etiam per consensum loquitur Galen. 3. de loc.affect.capit.7 ibi, Interdum cerebro accidit, nonnunquam vniuerso in venis sanguine melancholico effecto, ob commune vitium ipsum quoque lædatur: nonnunquam verò reliqui corporis sanguine prorsus innocuo, solus qui in cerebro continetur, vel aliunde in ipsum deriuans, aut in ipsomet humor melancholicus genitus est, &c. Et paulò pòst, Sunt etiam nonnulli, qui per febriles morbos melancholicũ humorẽ contraxerunt, &c. Auicen.prima tertii, tract.5. cap de melancholi. Cui causa est extra cerebrum, communicat res aliqua ex qua humor aut vapor tenebrosus eleuatur ad cerebrum, & res illa aut est in toto corpore, quum ei dominatur complexio melancholica: aut præ

cesse

ceſſerunt ægritudines, quibus ſuccedit melancholia, vt febres tẽporales & permixtæ: aut quũ fit permutatio ex epilepſia: aut eſt in ſplene, quum in ipſo retinetur melãcholia, & non poteſt ipſam purgare, vel trahere nigram ex ſanguine: aut quia in ipſo peruenit apoſtema vel oppilatio, &c. Lege fuſius eum, & inuenies etiam caliditatem hepatis eſſe cauſam, &c. Aet. ſer. 6. cap. 9. Perducit etiam ad conſenſum cor ipſum ob vicinitatem. Et ibi, Plerunque partes circa præcordia primariò affectæ caput ad conſenſum perducunt, & delirium efficiunt, &c. Galen 3. de loc. affect. cap. 7. Videtur quidẽ in ipſo vẽtriculo inflammatio eſſe. ſanguis enim in parte inflammata contentus craſſior & atræ bili magis conformis: & ſicut halytus ex ventriculo habitus fumoſus ad oculos eleuatus ſuffuſorum accidentia efficit, pari ratione ſublata ad cerebrum ab atra bile euaporatio, melancholica accidentia excitat, &c.

De ſignis Melancholiæ.

Signa principii melancholiæ, ſunt timor & mœſtitia ſine cauſa, ſolitudinis dilectio, iudicium corruptum, iræ velocitas. Signa cõfirmatæ melancholiæ ſunt, ſi quæ cogitare cœpit, ore promat, & permiſceat actus & verba, vt ſi dicat timere caſum: œ-

li, vel

li, vel putet se esse regem, & hic adest timor & existimatio mala, & sermonis alienatio, solicitudo & angustia, & non timenda timet, &c. Signa melancholiæ in cerebro sunt superflua cogitatio, & assidua solicitudo melancholica, firmúsque aspectus ad terram, vel ad aliam rem. Item capitis, faciei, & oculorum color niger, capilli crassi & nigri, præcedúntque malę cogitationes ac insomnia, vel aliquæ cerebri ægritudines, vt epilepsia: nec adsunt indicia per consensum afficientia. Signa, quum à toto per consensum fiat, sunt gracilis corporis habitus, qualis est niger, hirsutus, & ex toto melancholicus per naturam vel per acquisitionem, sicuti per solicitudines, vigilias, malorum ciborum esus, vel per menstruorum vel hæmorrhoidarum oppressionem: adest insuper multitudo pilorum vehementer nigrorum atque crassorũ, &c. Signa hypochondriacæ melancholiæ, quã Auicennas Miracham vocat, sunt inflationes, rugitus, ructus acidi, ardor, & hypochondriorum grauitas, aluus restringitur, vomitus, dolor ventriculi, & propriè à cibo, quousque digestum sit. Accidunt etiam ex acceptione cibi multi accidentia, quæ facta digestione minuuntur, iuuantúrque à vomitu, ructu, flatibus, & excretione alui,

Hypochon. melanc. signa.

alui,ac à concoctione. Signa humorum si fuerit atra bilis sanguinea, primùm insaniunt cum risu vero vel ficto, nec vlla adest mœstitia: si melancholia fuerit pura, tunc mœrent,plorant,mortem expetunt: si bilis peraſſata,tunc vehementer insaniunt,effrenes ad modum ferarum euadunt,& violenter homines verberant,&c.

Loci consentientes de signis Melancholiæ.

Hippoc.aphoris.6.aphorism.23.Si timor atque mœstitia longo tempore perseuerẽt, ex eo atra bilis significatur.Auicen. prima tertii,tra.5.cap.de sig.melench.Signa principii melancholiæ sunt, existimatio mala, & timor sine causa,& velocitas iræ, & dilectio solitudinis,& tremor,& vertigo, & sonitus,& tinnitus,& propriè in myrach,&c.Razes 9.alman. Quum alicui malæ cogitationes sine causa acciderint,& timor,& mœstitia in eo prævalerint, est principium melancholiæ. Galen 3.de loc. affect.cap.7. Differunt inter se melancholici: nam omnes timent, mœrent, vitam damnant, odio habent homines, sed non omnes mori cupiunt.De signis confirmatę melancholiæ loquitur Auicen. loc.cit. ibi, Quum autem confirmata est,tunc adest timor & malitia existimationis & angustia,

& so

& ſolicitudo,& alienatio ſermonis,& faſtidium propter multitudinem ventoſitatis, & ſpecies timoris ex eis quæ non ſunt aut ſunt penè infinitæ. Nam quidam timent caſum cœli ſupra ſe, alii quòd terra eos abſorbeat,alii timent latrones,& quandoque imaginantur ſe factos reges, &c. Razes loc. cit.At ſi quæ cogitare cœperit,ore promat, verba ſua actúſque permiſceat, iam perfecta eſt melancholia. Faciunt quoque ad hunc locum quæcunque ex Gal. in 5. de ſympt.cau.&.de loc.affe. ca.7. ſuprà recitata ſunt.Itidem habet Paul.lib.3.ca.14 & Aet. ſer6.ca.9.ibi,In ſumma melancholia multiformia deliria ſunt ob particulares corruptas imaginationes,nõ pauci mortem timent, &c.De ſignis melancholiæ in cerebro legeGal.3.de loc.aff.ca.7.ibi,Quũ autem, propria melancholię accidentia actiora videntur, circa ventriculũ verò nulla, aut pauca admodum ſunt, haud ab re exiſtimaueris primitiuam in cerebro affectionem conſiſtere,ob atram bilem in ipſo congeſtam, &c.Aet.ſer.6.cap.9. Cognitio an totum corpus melancholicum ſanguinem habeat, an iuxta ſolum cerebrum talis ſit, nigriores & hirſuti, & qui venas amplas habent, aptiſſimi ſunt ad atræ bilis generationem: interdum homines rubi

cundi

cundi in melancholicam temperiem transeunt, similiter & flaui, præsertim vbi vigiliis, laboribus pluribus & curis, & tenui victu, aut melancholicis eduliis vsi fuerint. &c. Vide etiam quæcunque suprà ex Galeno de causis primitiuis verba fecimus. Iridē adserit Auic loc. cit ibi, Signa eius quæ in cerebro est, sunt propriè superfluitates cogitationis, & assiduatio solicitudinis melancholicæ, &c. De signis per cōsensum totius corporis loquitur Paul. lib. 3. capi. 14. ibi, Peculiares melancholiæ notæ sunt gracilis corporis habitus, niger, hirsutus, & ex toto melancholicus vel natura, vel acquisitione per solicitudines, vigilias, &c Auic. loc. cit. Eius quæ facta est cōmunitate totius corporis est nigredo corporis, & arefactio, & retentio eius quod euacuatur. ex splene & stomacho, & quod euacuatur eū periodis, ex ano, & menstruis, &c. lege Gale 3. de loc. aff. cap. 7. Facit etiam mentionē de signis melācholiæ hypochōdriacæ 3. de loc. affect. cap. 7. ibi, Quúmque circa vētriculum prima inceperint accidentia, ipsisque auctis melancholica sequatur affectio, deinde alui deiectione & vomitu, & proba concoctione, ructibúsque leuetur is qui laborat. hypochondriacum flatuosúmque morbū ipsum nominabimus, &c.

Auicen.

Auic.loc.cit. Signa myrachiæ sunt, grauitas in mirach, & attractio ad superiora, & nausea inseparabilis, & malitia animæ, & corruptio digestionis, & eructuatio acetosa, & sputum humidum, & rugitus, & exitus ventositatis, &c. Lege eum fusius, lege etiam Paulum lib. 3. cap. 14. ibi, Qui hypochondriaca laborant, habent cruditates, acidos ructus, ardorem, & ipsorum grauitatem, præcordia sursum conuelluntur, &c. Razes 9. alman. Quòd si cum melancholia fuerit dolor ventris, & inflatio, & malus color, & digestionis corruptio, & vomitus acetosus, &c. De signis humorum loquitur fusius Auicen. loc. cit. ibi, Et cholera nigra faciens melancholiam, quando est cum sanguine, est cum gaudio & risu, & non comitatur ipsam tristitiam vehemens, & si est cum cholera, tunc est cum agitatione & læsione & dæmonio, & est similis maniæ: & si fuerit cholera nigra, pura, tunc aderit cogitatio plurima, & audaciæ minus, nisi moueatur & rixetur. & habeat odiũ cuius nõ obliuiscitur, &c. Lege etiam Paul. lib. 3. cap. 14. ibi, Si quando flauæ bilis supra modum exustæ in nigram fiat mutatio, &c.

De cura Melancholiæ sine materia.

Quum dictũ sit supià, cerebrum vel pri-

mario affectu vel per consensum laborare, & quòd primarius affectus vel ab intemperie nuda, sine humorum complexu, vel cum humoribus complexa perficiatur, idcirco primùm de cura eius qui sine materia sit, agamus. Hæc igitur mala temperies triplici scopo remouenda erit, primùm alteratione, cum iis præsertim, quæ cerebrum corroborant: secundò, cum euacuatione & diuersione: nam si quispiam humor fuerit in fluxu, euacuari debet ac diuerti: tertiò cum sympt. remotione. Alteratio fiet cum humectantibus calidis vel frigidis, prout in discrasia expediet, roborantibus tamen spiritus, cor & cerebrum. Spiritus simpliciter roborant oua, vinũ, aqua carnis: spiritus & sanguinem purificant margaritæ, capillus veneris, fumus terræ, &c. lapsum temperamenti cordis emendãt, si sit frigidus muschus, ambra, melhissophyllon, borago: si calidus, camphora, rosæ, sandali, acetosa, viola nimphæa, corriandrũ, coralli. Euacuatio fiet per simplicia vel per cõposita: simplicia sunt helleborus niger, aloes, agaricus, colocynthis, epithymum, sena, myrobalani, chebuli, lapis lazuli, lapis armenius, serum lactis, &c. Composita sunt, diasenæ, cõfectio hamech, hiera Hermetis, hiera Iusti, pilulæ de lapide lazuli, pilulæ inde, decoctum

coctũ senæ epithymi, &c. Remotio sympt. versatur circa vigiliarũ remotionem, cum somniferis tam intrinsecus quàm extrinsecus adhibitis. Caueant sibi ab imminẽtibus periculis, ne alta petentes interdũ se præcipitent, vel ne arrepto ferro, alios percutiant, vel semetipsos interimant, &c.

De cura Melancholiæ cum materia.

Cura malæ complexionis cum materia in cerebro per scopos quinque absoluitur: primò, per sex rerum non naturalium institutionem: secundò, per materiæ præparationem: tertiò, per euacuationem: quartò per reuulsionem ac deriuationem, tum à cerebro, tum à corde, ad alia membra minus principalia: quintò, per resolutionem residui cerebri, ac cordis roborationem. Victus ratio in melancholia sit calida & humida, magis tamen humectans quàm calefaciens, sítque probi succi, concoctu facilis: vitentur quæcunque atram bilem generant, de quibus suprà in causis primitiuis satis copiosè à Galeno dictum est. Commendantur volucres montanæ non pingues, oua gallinarum mollia, pisces petrosi, carnes hœdinæ, & lactentium animalium: vitentur animalia in stagnis degentia. Potus sit vinum tenue, album, non vetus: abstineant à copia potus, ne cibi

ex ventre fluitent, acetum à cibo commendatur: somnus non prohibeatur, imò cum remediis sæpe arcessendus est, vicem motus leues frictiones suppleant, coitus vitetur, & sudor copiosus: in accidentibus animo caueant mœrorem & tristitiam, sed sonoribus cantilenis ac modulationibus lætificentur, viténtque cogitationes, &c. Præparatio materiæ fiet per syrupos & per decocta. Syrupi sint de pomis, de epithimo, de fumo terræ, de lupulis, de violis, de succo boraginis, de cortice citri, &c. Decocta sunt ex epithimo, sena, polypodio lupulorũ, thymo, fumo terræ, boraginis, menthæ, calamo aromatico, melliſſophyllo, macis, rosmarino, xyloaloe, &c. Euacuatio, si materia in capite contineatur, non fiat per venæ sectionẽ, nisi vel copia sanguinis adsit, vel præseruationis gratia id fiat, sed potius per atram bilem subducentia eam moliemur, prout suprà dictũ est. Reuulsio & deriuatio fient per enæmata, frictiones, cucurbitulas, de quibus aliâs satis copiosè verba fecimus. Resolutio residui per intrinseca & extrinseca perficietur. Extrinseca erunt balnea, sacculi & epithemata, balnea vel naturalia, sponte scaturientia, vel artificialia, cũ herbis prædictis parata. Sacculi quoq; parantur ex floribus buglos-

sæ,

ſæ,boraginis,melliſophylli, roſarũ, & cum been albo & rubro,ſandalis, garyophyllis, &c.Similiter epithemata cum debitis aquis & pulueribus cordi dicatis componantur. Intrinſeca ſunt ſaccharũ bugloſſatum, boraginaceum,roſaceum, violaceum, addendo iis aliquid diamuſci dulcis & electuarij de gemmis,&c.

De cura Melancholiæ per conſenſum.

Cura melancholiæ per conſenſum binis intenſionibus præſeruatiuis potius,quã curatiuis perficitur, quarum altera cauet, ne hic humor abundet: altera cerebrum roborando,efficit ne quid in ſe recipiat: & ſi quid receperit, id expurgando à ſe expellat.Humor non abundabit,ſi per ſectionem venæ, (præſertim atra bile vniuerſum corpus,occupante) vel per purgantia pharmaca ſuperius habita patiens euacuetur, præparando tamen interim ac alterando,prout in diſcraſia expedit: ruriſúſque repurgando, deinde reuellendo ac diuertendo cum cucurbitulis,lotionibus, aut menſtruorum vel hæmorrhoidarum euocatione, & in fine reſoluendo ſiquid ſuperſit, &c. Roboratur cerebrum cum humectantibus calidis vel frigidis, prout morbus requiret, tam intrinſecus, quàm extrinſecus applicitis,

ſicuti fierit epithema cum roſis, nenuphare, foliis ſalicis, violarum, boraginis, melliſſ. phylli, ſtechadis, & hœdino capite, &c.

Loci conſentientes de cura Melancholiæ ſine materia.

Auic. prima tertij, tra. 4. cap. de. cur. mel. Si melancholia fuerit ex malitia complexionis ſingularis, frigidæ aut ſiccæ, ſufficiet vt adminiſtres calefactionem cordis cum lætificantibus, è medicinis de muſco & theriaca, & mitridato, & ſimilibus, & cura caput cum eis quæ dicta ſunt in cap. de ſtoliditate, &c. Gal. etiam 3. de loc. aff. cap. 7. de cura melancholiæ ſine materia loquitur, ibi, Interim monendi ſunt amici, qui me curantem viderunt, frequentibus balneis, victú que humido, boníque ſucci, nullóque adhibito præſidio huiuſcemodi morbum me curaſſe, vbi nondum ob longum temporis tractum nocuus humor euacuationi reſiſterer, &c. Arcul. in 9. alman. nouē modos roborandi ac alterandi ſpiritus & cor docet, quem tu fuſius videre poteris. De cura in cerebro cum materia loquitur ibi Auicen. prima tertij, tra 4. Si eſt ex materia melancholica in cerebro confirmata, tunc theſaurus curæ eſt tres res: prima euacuatio materiei: ſecunda, vt adminiſtres cum euacua

euacuatione humectationem assiduam cum embrocis & oleis calidis: tertia, vt administres confortationem cordis in complexione frigida cũ calidis lætificantibus, &c. De victus ratione lege Aet. ser. 6. ca. 10. ibi, Post balnea cibos damus concoctu faciles, flatus exortes: plerunque conueniunt panes in clibano cocti probè parati, volucres non pingues, non virosæ, montanæ, oua gallinarum mollia, pisces petrosi, & molles carne, vitentur in stagnis degentia & in paludibus. Ex carnibus conueniunt hœdinæ & lactentium animalium, & magis extremæ partes probè concoctæ. Vinum sit tenue & album, & non valde vetus. Nec aceruatim detur inter cibum, nec magna copia exhibeatur, ne cibi in ventre fluitent, &c. Paul. lib. 3. ca. 14. etiã de victu facit mentionem, ibi, Victus omnibus melancholicis confert probi succi & mediocriter humidus: vitanda sunt, caro bubula, & quæcunque atram bilem generãt, &c. Itidem Auic. ibi, Sumat cibos laudabilis chymi humectatiuos valde, & fiat augmentum in hoc, vt corpus eius teneresçat cum cibis conuenientibus, &c. Lege eum fusius. Razes in Diuis. Potet vinum album, subtile, clarum cum aqua plurima, Aqua sit boraginea, inquit, Guai. De præparatione materiæ habes Aet. serm. 6

cap.10.ibi, Optimum est pulegij decoctum sæpe bibere,& ante purgatoria,& post.Mesu.cap. de Melanch. Fac vt cadat digestio æqualiter, in materiam, quoniam est cura vera,&c.Hippoc.in lib.de atra bile,Primùm quidem bona digestio curæ sit,deinde purgatio.Et Auicen.loc.cit. Incipe à digestione. Et paulò infrà laudat syrupum, in quo semina flatus discurientia decoquãtur. De euacuatione melancholiæ loquitur Gal. 3.de loc.aff. cap.7.ibi, Nam vbi vniuersum corpus sanguinem melancholicum continet, curationem à sectione venæ incipere oportet:vbi verò solum cerebrum sanguinis detractione æger non indiget, quanuis ob aliam fortè causam mitti possit, &c. Itidem adserit Aet. adiungens. Ni præseruationis gratia detractionem faciamus. Auic.prima tertij,capi.de cur. mel. Amplius euacua in principio rei, cum medicinis lenibus, in quibus recipiuntur epithimum, pulpa colocynthidos, & scamonæ parum.deinde cum decoctione, in qua sit epithimum & agaricum:& posteà si non confert,administra hieras magnas,deinde helleborum,sed cum timore & cautela:quæ si non conferunt, rursus reitera, & in omni hebdomada euacua vice vna,&c.B.Nota melancholicos ob grauitatem humoris per inferiora purgari debere,

bere, vnde Hipp. Aph. 1. Aph. 9. Melancholicos plenius inferiores eadē ratione contraria apponentes, vnde dixit ἀφθονώτερον pro σφοδρότερον, id est, plenius, pro fortius, quū humor de sui natura ad exitiū sit ineptus. Paul. lib. 3. ca. 14. Purgentur per initia epithimo vel aloë. Aët. ser. 6. cap. 10. In quibus vitiati humores magis redūdant, ægrū purgabis per hierā Ruffi aut Archigenis aut Iusti. Conducit etiam sero lactis aluum subducere, quod à lacte per coctūrā seperatur. B. Modus segregandi lac à sero habetur non solùm hîc ab Aet. sed etiam à Dioscorides. ca. de lacte, vbi etiam modum bibendi demōstrat. De reuulsione & resolutione loquitur Aui. ibi, Quūque purgaueris, attende ad cor, cum his quæ multotiens diximus, & administra masticationes, gargarismata, & odoramenta bona, muscum, & ambram, & alfeniati, & xyloaloën, &c. B. Alfeniati sunt species, aromaticæ, vt gariophyllum, & similia. Mesu Secūdum regimen est faciēs resolutionem cum mediocritate. vide Arcul. & cæteros practicantes de resolutione, &c. De cura per consensum lege primum illud Paul. Morbū qui ex totius corporis consortio trahit originem viribus valentibus, à sanguinis missione curare incipies, & interposito tempore viribus recollectis inferius purgare conue-

nit, & si hæmorrhoidibus aut mensibus suppressis morbus proueniat, horum purgationem moliemur. Itidem ait Aet. ser. 6. cap. 9. ibi, Quum igitur totum corpus melãcholicum sanguinẽ habuerit, &c. Itidem Auic. loc. cit. ibi, Nam si vides venas plenas, qualitercũque sit cholera, nigra est sanguinea: phlebotometur igitur ex nigra, &c. Lege etiam Gal. 3. de loc. aff. cap. 7. de aliis intentionibus habes plura iuxta modernos authores, pro resolutione vtitur tripheræ ʒ. iij. epithimi ʒ j. hieræ ʒ v. Aet. theriaca præsertim hyeme & vere. De roboratione cerebri lege Auic. ibi, Succurres illi cum eis quæ caput infrigidant, & humectant ipsum ac confortant, vt non recipiat quod peruenit ad ipsum ab aliis, &c.

Obseruationes in cura.

Auic. prima tertij, tract. citat. Oportet vt cura eius fieri incipiat, antequàm confirmetur, quoniam facilis est in principio, & praua & difficilis cùm est confirmata: sítque studium tuum in humectando, magísque in calefaciendo. Itidẽ ait Aet. ser. 6. ca. 10. ibi, Incipientem affectionem curare oportet, &c.

Obseruationes de cibo.

Auic. loc. cit. Et prohibe ne comedant post cibum illũ alium, & ab intermissione cibi

cibi ſuper cibum iam corruptum, & alienent à ſe fabas, carnes ſolitas, léntes & caules, & vinum craſſum & nouum, & omne ſal, & omne ſalſum, & acre, & acutum, & quod eſt vehementis aceroſitatis: ſed ſumat pingue, & dulce, & cibos generatiuos ſanguinis laudabilis, &c.

Obſeruationes de euacuatione.

Meſu. cap. de melancho. Tria in euacuatione annotanda proponit. Primum, vt non ſemel laborioſam & ſubitaneam euacuationem faciamus, ſed pro temporis interſtitio: nam ſubitanea ac violenta euacuatio vix à natura regulatur. Secundum, quòd ſolutiuum ſit comminenſuratum, non excedens mediocritatem. Tertium, non ſpolietur à rebus lenientibus & humectantibus. Hoc idem ſentit Auicen. ibi, Euacuato in rei principio cum medicinis lenibus, &c. B. Ad de tu quòd pharmacũ in ſe habeat aliquid ex medicinis membra principalia & ſpiritus roborantibus, &c.

Obſeruationes de ſectione venæ.

Gal. 3. de loc. aff. ca. 7. Quum ſperaueris in vniuerſi corporis venis, melancholicum ſanguinem contineri, quo certiorẽ habeas notitiam, mediam cubiti venam ſeca, quæ communis eſt: quod ſi fluens ſanguis non videatur melancholicus, ſtatim ſupprima-

tur

tur: si verò talis appareat, euacua, quantum pro laborantis corporis habitu, satis esse conieceris, &c. Itidem Aet. cap. 9. adserit. Auic. loc. cit. Amplius si phlebotomas, & inuenis sanguinem subtilem, non retineas sanguinem propter hoc, quoniam multotiens in ipsa præcedit subtilis. Et similiter oportet vt amplifices phlebotomiam, vt non effluat quod subtile est, & retineatur crassum. Mes. Si sanguis exuberat in toto, & venæ plenæ sunt, euacua ex vena nigra, & post ipsam ex basilica, & hoc in melancholia: in mania verò fac econtrà: incipe à basilica, deinde ex vena nigra, & post has phlebotoma ex saphenis, &c.

Obseruationes de alteratione.

Arcul. & Marc. Catin. Fac quòd alteratio non virtute solùm, sed etiam numero euacuationi correspondeat, ita vt non fiat statim, sed successiuè, vt dictum est.

Obseruationes de resolutione.

Auic. loc. cit. Non administrentur pura resolutiua, vt non incrassetur humor propter resolutionem puram, &c. Et paulò post, Quùmque administras embrocas, non est via ad ministrandum infrigidantia pura super caput, &c. Intellige in mania, &c. Michaël Sauo. Diuretica in hoc casu sunt suspecta, ex eo quod tenue educũt, & crassum aptum

aptum in melancholiam conuerti relinquunt,&c.

Melancholiam incitantia.

Inducunt melancholiam & maniam carnes vaccinæ, nimius anacardi vſus, allium, hyoſciamus, lentes, ſolatrum fluuiale, vitis alba,& quæcunque ſanguinem craſſum efficiunt.

Melancholiam curantia.

Curant melancholiam, abſinthium, epithimum, fumus terræ, borago, bugloſſa, lupuli, anacardi, aurum, margaritæ, calamus aromaticus, ſena, helleborus niger, eupatorium, melliſſophyllon, matricaria, ſcylla, ſtechas, thymus, myrobalani chebuli & nigri, ozimum fluuiatile, diaſenæ, confectio hamec, confectio eſdra Nic. ius galli decrepiti, ſerum lactis, pliris, arcoticon Nic. roſata magna Nic. dianacardinum, ſerapio. 8. antido. mitridatum, lapis armentius, lapis lazulus, pilulæ indæ, pilulæ de lap. lazuli, ſal indum, ſaccharum bugloſaceum, boraginaceum, roſaceum, muſcus, lætificans almans, electuarium de gemmis, & mille alia quæ arte parari poſſunt. Vide de hac re Varignanam capit. 8. tra. 2 plura compoſita afferẽtem. Vide etiam Montag. conſi 47. de ægritudinibus cap. Vide inſuper Arcul. Michaël. Sauo. & Gord.

De

hæc ſigna omnimodā à ſanguine diſcretionem oſtendunt, &c. Et Aphor. 6. Aphor. 56. In morbis melancholicis ad hæc periculoſi decubitus ſtuporem corporis vel conuulſionem vel furorem vel cæcitatem ſignificat. Et aphor. 6. apho. 2. Atra bile vexatis & renum paſſionibus hæmorrhoides ſuperuenientes bonum. Auicen. prima tertij, tra. 5. Præparati ad hoc ſunt trauli, & ſyllabam multotiens repetentes, antequam dictionem proferant, &c. & hæc ægritudo plus accidit viris, ſed in mulieribus eſt deterior, & multiplicatur in iuuenibus & ſenibus. Et plurimùm melancholiam habens eſt ſpleneticus, & ægritudines, quibus ſuccedit melancholia, ſunt ſicut febres temporales & mixtæ, & melancholia accidens ſucceſſione alterius ægritudinis calidæ, facilis eſt curæ ita vt embrocationibus remoueãtur, &c. B. Trauli dicuntur qui proferre nõ poſſunt r & s, ob humiditatem linguam mollificantem. Dixit accidere plus viris quàm mulieribus, quia calidiores ſunt viri fœminis. De ſucceſſione huius morbi per alias ægritudines lege 3. prognoſti. text. 29. in comment. Galen. &c. Hippocra. de morb. vulg. Melancholici magna ex parte morbo comitiali laborant, & econtrà. B. Quia habent communem cauſam, idcirco facilè al-

ter

ter in alterum mutatur, &c.

Authores dissentientes circa Melancholiam.

1 Adserere, in hoc morbo idem esse affectum & causam.

2 Adserere, in omni specie melancholiæ sectionem venæ congruere.

3 Adserere, pituitam adeò assari posse, vt melancholia efficiatur.

4 Adserere, melancholiam confirmatam sine controuersia posse sanari.

5 Adserere, humorem melancholicum, qui est fæx sanguinis, non differre à melancholia.

Ad primum: Gal. lib. 2 artis cur. Melancholiæ nomen à causa ipsum faciente prouenit, & humor, qui ipsius est causa, melancholia ab omnibus dicitur. Igitur sicuti differt causa ab effectu, ita hic effectus à sua causa, & sic idem non erunt.

Ad secundum: Gal. 3. de loc. affect. cap. de melan. Vbi vniuersum corpus sanguinem melancholicum continet, curationem à venæ sectione incipere oportet: vbi verò solũ cerebrum, infirmus sanguinis detractione non indiget, in omni igitur specie sectio venæ non congruit.

Ad tertium: Galen. 3. de loc. affect. capit. 7. Igitur ea quam atra bilis constituit, in melancholiam transit: quæ verò à pitui-

ta

ta parta est, in aliam affectionem permutatur, melancholiam haudquaquam efficiens.

Ad quartum: Alex. cap. de melãch. Si confirmatur hic morbus, cerebrum ad sui naturam mutat, & æger ad assumptionem medicinarum fit inobediens, &c. Hippoc. lib. de atra bile. Non curatur confirmatus, quia in insaniã sæpe conuerti solet. Iidem etiam Aet. & Auicen. adserunt.

Ad quintum: Gal. lib. de atra bile, de plenit. circa finem. Porrò dũ ea veluti fæx sanguinis permanet, neque adhuc acida facta est, satius forsan sit humorem melancholicum illam appellare, nondum melancholiã: sed melancholicum potius humorẽ solemus appellare, quando propè accessit, vt in melancholiam vertatur. Melancholia verò dicitur, quæ iam atra bilis est, & sic per hæc verba inter se differunt.

De *Ophthalmia*

Lippitudo, Græcè ὀφθαλμία dicta, est annatæ tunicæ inflammatio rubore caloréque plurimo ac punctionibus eueniens. In hoc genere continetur etiam perturbatio siue vacillatio, à Græcis τὰ ἄξια dicta, quæ nihil aliud est, quam oculi humiditas cum calore & rubore naturæ alieno, ob extrinsecam causam forinsecus adueniente. Sequitu

etiam tertia ſpecies ophthalmiæ, à Græcis dicta χήμωσις Arabicè alguardenegi, & fit quotieſcunque ab inflammatione vehemẽti vtræque palpebræ ita inuertuntur, vt vix oculi ab ipſis contegantur.

Loci conſentientes de ophthalmia.

Gale.1. de diff. mor. cap.13. Lippitudo eſt membranæ, quæ ceratoidi tunicæ adhæret, phlegmone. Itidem de part. art. medi. capi. 3. ait, & in lib. finit. medic. Eſt, inquit, phlegmone circa oculos cum rubore & plurimo calore, & motu difficili; ac punctionibus nata. Auic. tertia tertij tract. 1. Ophthalmia alia eſt vera, & alia ei ſimilis, quæ nominatur cõturbatio & vacillatio. Ophthalmia vera eſt apoſtema in coniunctiua: & alia quidem eſt, quæ eſt apoſtema ſimplex, non pertranſiens terminum: & alia eſt quæ magis eſt pertranſiens terminũ in magnitudine, in qua ſuperabundat albugo ſuper pupillam, & tegit eam, & prohibet clauſionẽ, & nominatur chimoſis, & apud nos alguar denegi, &c. B. Ex his intelligge tres eſſe ophthalmię ſpecies: prima eſt χήμωσις quæ leuis eſt: nam remota eius cauſa, remouetur: ſecunda ophthalmia, quæ eſt apoſtema ſimplex, non pertranſiens terminum, & in ea eſt venarũ extuberatio, fluxus & dolor: tertia τάραξις quæ eſt ophthalmia magna, pertranſ

taraxis

transiens terminum in magnitudine, in qua superabundat albugo super pupillam, &c. Amplius scito omnes oculorum morbos esse in triplici differentia, scilicet ex phlegmone, fluxu, & vlcerationibus.

Quid sit phlegmone iam declaratum est. Fluxus verò est tenuium delatio humorum citra voluntatem quæ cohiberi non potest. Vlceratio verò est ceratoidis ruptio ab ictu vel à valida inflammatione oriens. de his vide Galen. libr. finit. medic. Habet etiam vnaquæque oculi tunica morbos à quibus afficitur, quæ separatim à Paulo & in vno capite ab Aetio declarantur. De his vide etiam Manardum epist. 2. libr. 7. Loquitur insuper Galen. de his primo de diffe. mor. capit. 13. & 4. de symptom. caus. circa principium. Paul. libr. 3. cap. 22. πάροξις est oculi humiditas cum calore & rubore naturæ alieno, non ex corpore, sed à foris aduenientе causa. Galen. lib. fin. med. Chemosis est ambientis oculum membranæ, quod album quoque appellatur, extuberatio, albæ carnis persimilis, &c. Vide etiam Paul. loc. cit. ibi, Chemosim vocant, &c.

De causis ophthalmiæ.

Causæ initiatrices sunt puluis, fumus, sol, aer, vel quæcunq; ex sex rebus non naturæ,

libus,& ſibi annexis oriuntur. Cauſæ antecedentes ſunt ſex, ſanguis, bilis, pituita, atra bilis, materia aquoſa & flatuoſa. Cauſæ coniunctæ ſunt, hi humores ophthalmiã ad actum producentes, aut inflammatio, aut alius quiſpiam tumor. Cauſæ generationis ophthalmiæ binę ſunt:prima fit cum materia ex ſuperfluitate alimenti annatæ tunicæ paulatim congeritur, aut ipſum alimentum non probè concoctum in ea permanet, & apoſtema efficit. Secunda eſt, cùm materia per modum fluxus à capite per venas & arterias muſculos ac neruos opticos ſiue intrinſecè ſiue extrinſecè ad annatam oculi tunicam ſe confert,aut quũ ab aliis corporis partibus materia trãſmittitur ad oculum iam debilem ob eius temperaturam, vel à generatione exiſtentem. Cauſæ doloris oculorum in inflammatione fiunt aut ex acrium humorum influxu, aut à diſtentione tunicarum repletarum, aut à craſſis humoribus & à flatuoſis ſpiritibus,&c.

Loci conſentientes de cauſis Ophthalmiæ.

Gal.in lib.de ocu.ca.83. Ophthalmi aquæ viſum turbat triplex eſt, cuius cauſa vel eſt exterior, vt ſol,fumus, puluis: vel interior, ſicut humores ad coniunctiuã fluẽtes. Paul.lib 3.cap.22.Perturbatio oculi fit à foris

ris aduenientе cauſa, vt à ſole, fumo, puluere, oleo, &c. Auic. tertia tertij, tra. 1. itidem ait, ibi, Fit à cauſis extrinſecis facientibus in ipſo botor, & rubificantibus oculum, ſicut à ſoda aduſtiua, à ſole, puluere & fumo & frigore, & propter conſtrictionem ipſius, &c. De cauſis antecedentibus loquitur etiam Auic. loc. cit. ibi, Quum ophthalmia ſit apoſtema, & omne apoſtema fiat à ſanguine, vel à phlegmate, vel à melãcholia, aut à cholera, aut à ventoſitate: tunc ſimiliter ophthalmiæ cauſa non euacuatur ab vna iſtarum cauſarum, &c. Alexan. lib. 1. cap. 23. idem ait, ibi, Conſiderandum cuiuſcemodi ſit περίτλαμα, id eſt, ſuperfluum, vtrum ex humore atrabilari, ſanguineo, bilioſo, pituitoſóve ortum ſit, &c. Lege etiam omnes ferè practicantes, de hac re loquentes. Quòd autem humores ophthalmiã ad actum producentes ſint cauſa coniuncta, patet ex Auicen. dum dicat. Sed aduẽtus eius plurimùm eſt propter curſum materierum, & multitudinem vaporum, &c. De cauſis generationis ophthalmiæ lege etiam Auicen. ibi, Et quandoque humor apoſtemans generatur in ipſo, & quandoque eſt aduenies ei à cerebro, ſecundum ſemitam catarrhi, per viam velaminis intrinſeci, &c. lege hunc locum vberius, & plura ad rem

facientia inuenies. Lege etiam Alex. lib. 1. cap. 23. ibi, Diligenter prospiciendū est, vnde nam quod redundat in oculos, ex solóne capite, an ex vniuerso corpore manet: mox per arteriásne an per venas, siue per vtraſq; in eum sese locum recipiat, &c. De causis doloris ophthalmiæ loquitur Auicen. ibi, Violentia doloris ophthalmiæ aut est propter humorem mordicantem & corrodentem tunicas, aut propter humorem plurimum extensiuū, aut propter vaporem grossum, &c. Gal. 12. meth. doloris causas in genere longo sermone inuestigat, quæ breuiter ita se habent: Omnis dolor aut ob vehementē & aceruatim irruentē alterationem fit, aut ob continuitatis solutionem. Continuitas soluitur ruptione, contusione ac corrosione. Hæc verò vel ob distensionem, aut grauitatem, aut mordacē qualitatē producuntur. Si igitur nihil extrinsecus sit, quod distendat, grauet & corrodat, tunc distensio ab interno humore multo, aut à flatu concluso, aut à plurima siccitate oritur: grauitas à dura aliqua magna aut graui mole corpori extra illapsa cōtingit, aut ab interno aliquo magno ac graui tumore, mordax qualitas ex humoribus acribus ac mordacibus prouenit: alteratio autē per vehementem fit caliditatem aut frigiditatem,

siue

siue spirituum, siue humorum, siue partium solidarum: quæ omnia in omni dolore considerandæ sunt, vide illum tu vberius.

De signis ophthalmiæ.

Signa communia ophthalmiæ sunt, tumor, grauitas, dolor & rubor. Signa veræ ophthalmiæ sunt, quum album oculorũ in ruborem mutatur cũ fluxu lachrymarum, & lippitudine in angulis oculorum lachrymalibus collectá. Signa temporũ ophthalmiæ sunt, si materia ab humore oculi proueniẽs, aquea & tenuis fuerit, tunc est morbi principiũ: si verò crassescat, & ad album tendat, erit morbi incrementum: si palpebras, quas Græci βλεφαρὰς dicunt, adglutinat, erit morbi consistentia, præsertim si lachrymarum copia præcesserit: si verò hæc omnia minuantur, erit morbi finis. Signa humorum sunt, & primò sanguinis, oculi rubor & tumor, & venarum plenitudo, temporum pulsatio, dolor potius extendens quàm pungens, gramæ & glutinationes apud somnum fiunt. In biliosa adest punctura vehemens dolórque adurens & vehemẽs, rubor oculi paucus, lachrymæ tenues & acutæ, quandoque exulcerantes, & per somnũ non agglutinãtur, tumórque paruus visitur. In pituitosa adsunt tumor, paruâ caliditas, rubor ad albedinem decliuis, cum

pauco dolore & multa grauitate, glutinationes iuxta somnum fiunt, & color faciei est albus. In melancholica dolor debilis, grauitas cum offuscatione, exiccatio cum perseuerantia, paucitas glutinationis, & minutæ sunt gramæ & paucæ lachrymæ. Signa flatuosæ ophthalmiæ sunt; extensio sine grauitate, ruboris paucitas sine lachrymarum fluxu. Signa perturbationis sunt, leuitas curæ, & causæ præcedentes, & quantitas apostematis primitiui. Signa, quando fit non per consensum, sed per essentiam, in capite sunt, dolor capitis præcedens, & grauitas, &c. Si à consensu ventriculi præcessit vomitus, nausea, &c. Signa fluxus humoris per partes exteriores sunt, frons extenta, venæ exteriores plenæ, &c. Si per intrinsecas, tunc præcedit frequens sternutatio, dolóque ab intima parte oculi, antequam ophthalmia appareat, &c.

Loci consentientes de signis ophthalmiæ.

Signa communia tetigit Gale. 2. de loc. affec. cap. 7. ibi, Inflammatis partibus accidit vt rubescant, tendantur, renitantur, intumescant, & doleant. vide de his Arcul. in 9. Almans. De signis veræ ophthalmiæ meminit Razes 9. Alm. ibi, Cùm ea, quæ in oculis alba sunt, & in rubedinem mutata fuerint, fluxerintque lachrymæ, & in angulis

gulis oculorum lachrymalibus lippitudo collecta fuerit, dicimus tunc ægrum pati ophthalmiam: & quanto plus symptomatum vehementia aut ipsorum adfuerit minoratio, tanto magis erit ophthalmiæ fortitudo vel debilitas. Signa tẽporũ ophthalmiæ habentur ex Auic. tertia tertij cap. de sig. ophth. ibi, Cúmque palpebræ conglutinari incipiunt, tunc iam maturationis adest propinquitas: dum verò perseuerat fluxus aquosus, est initium adhuc, &c. Vide in hoc latius Arcul. & Sauo. De signis humorum loquitur Alex. lib. 1. cap. 23. ibi, Sanguis cognoscitur, quum sanguineo colore omnia tincta sint, vultúsq; cum rubore suffunditur, receptacula sanguinis plena visuntur, grauitas sentitur, functiones solitæ segnius perficiuntur, lachrymæ nec mordaces nec acres erunt, &c. Notæ bilis sunt bilioſa complexio, lachrymæ mordaces, non solùm hirquos, qui à Græci κριοὶ dicuntur, exurẽtes sedant genas, & quascunq; partes attingunt, &c. Auic. loco citato, Sanguineam ophthalmiam significant color oculi, exuberatio venarum, & pulsatio tẽporum, &c. Vide fusius etiam de alijs humoribus: & nota quòd Arabes per lippitudines superfluitatem quartæ concoctionis in oculo intelligunt, & quandoque accipi-

tur pro illa humoris parte, quæ oculum infestat vt Razes, & quas vocat Aëtius glutinationes & granas. Arabes dicũt lippã, &c. De signis perturbationis meminit Auicen. ibi, Post dicamus, quòd conturbatio cognoscitur leuitate sui, & causa sui, & quantitate apostematis, &c. Similiter de signis per consensum & per essentiam, ibi, Ophthalmiam in capite significat sola grauitas capitis, & si est cum communitate stomachi, associatur ei nausea & conturbatio, &c. Signa fluxionum per partes exteriores habet Pau. ibi, Fluxiones extra caluariam notant vasa in fronte & temporibus distenta, & caput veluti reuinctum, tum quòd ex agglutinamentis sicca præsidio sunt. Si hæc desint, & fluoris impetus prorogetur, & sternutamẽta nonnunquam molestè elidantur, humorem sub caluaria contineri censendum est. Idem ait Auicennas, Si via fluxus à cerebro ad oculum non est nisi per velamen extrinsecum, tunc frons est extensa, & venæ exteriores sunt plenæ, &c.

De cura perturbationis.

Perturbatio per eius causæ ablationem curatur, & si quid doloris remanet, per alterationem in contrarium reiicitur. Nam impressio calidi per frigida, frigidi per cali

calida facile remouetur,&c.

De cura veræ ophthalmiæ.

Quinque in cura occurrunt ſcopi, videlicet victus ratio,reuulſio & deriuatio, humorum præparatio, euacuatio, & ſymptomatum ablatio. Victus ſit in principio parcus, boni ſucci, facilè concoctilis, vitentur acetoſa,ſalſa,coitus,motus,potus vini,præſertim in principio : laudantur ſomnus, aër obſcurus,alui excretio aſſidua. Reuulſio & deriuatio fient per ſectionem venæ ſaphenæ cõmunis & cephalicæ ab eodem latere, præſertim ſi plethorica fuerit diſpoſitio. Fiet etiã per frictiones à ſupernis partibus ad infimas deſcẽdentes , vel per cucurbitulas,vel per clyſteria & pilulas ſoluentes , vt Razes.Præparatio humorum fiet in calido humore cum frigidis tenuem humorẽ incraſſantibus,vt cũ ſyrup. de papauere roſaceo, iuiubino, de granatis,&c. In frigido, cũ calidis vt rhodomelle , oxymellite ſimplici,&c. Euacuatio perficitur rurſus vel per ſectionem cephalicę eiuſdẽ lateris , vel per ſoluentia pharmaca: ſoluunt humorem calidum pilulæ aureæ aggregatiuæ, electuarium,de ſucco roſ. Decoctum myrobalanorum,citrinorum,caſſia,manna, rheubarba. Soluunt frigidũ pilulæ chochie , diaturbit, diaphinicon,electuarium indum,confectio

ham

hamech,&c. A latio ſymptomatũ complectur doloris cauſam auferendo, & cum anodinis mitigando, & ad leuia ſtupefacientia vſque perueniendo,&c.

De cura locali ophthalmiæ.

Cura localis triplex eſt: prima repellit materias ad oculum fluentes cum frigidis ſtypticis, vt oculus nõ recipiat in principio morbi. Secunda eſt repulſio admixta reſolutioni conueniens augmẽto & ſtatui. Tertia eſt pura reſolutio conueniens poſtremæ ſtatus parti & declinationi. Exempli gratia, primò ophthalmiæ calidæ apponatur albumen oui cum aqua roſacea: in ſecũda parte principij fief, album ſine ſarcacolla: in augmento fief, album cum ſarcacolla, & tandem addatur aliquid aquæ fœniculi vel decoctionis fœnugræci, melliloti ʒ. citoniorum,&c. Commendantur etiam in reſolutione balneum & merum,&c.

Loci conſentientes de perturbatione & vera ophthalmia.

Aët.ſer.7.cap.3 Perturbationes oculorũ facillimè curantur, ſi æger à cauſa lædente diſcedat, vt à ſole, fumo, & alio ſimili,&c. Auicen.in cura conturbationis & ophthalmiæ leuis, quæ curſu eius procedit. Sufficit quandoque cauſæ abſciſſio, vt ſi fuerit à repletione ſanguinis, aut alterius humoris

cum

eum euacuatione, &c. Lege hunc locum fusius. Pau. loc. cit. Facillimè discutitur, si obseruentur omnia, quæ foris accidentia lumen perturbare possunt, item parciore cibo & aluo de facili respondente, &c. De victus ratione in vera ophthalmia loquitur Aët. ser. 7. cap. 8. ibi, Alimenta danda sunt leuia, concoctu facilia, & ad digerendum ventri commoda, vrinam cientia, nihil acre & salsum habentia, aut crassi humoris, &c. Itidem ait Auic. tertia tertij, Causa est communis in regimine ophthalmiæ, materialis est minoratio cibi, & ipsius exiccatio, & electio eius quod generat humorem laudabilem, & alienatio rei quæ est malæ digestionis, & alienatio coitus, & motus, & potus vini, & comestionis acetosi & salsi, &c. Similiter & Pau. lib. 3. cap. 22. adserit. ibi, Per initia conuenit nihil assumere, &c. De reuulsione & dèriuatione locum habes in Auicenna ibi, tertia tertij, cap. 10. Quòd si materia fuerit sanguinea, adhibebis ventosas post phlebotomiam, & assiduabis fricationem extremitatum, &c. Et cap. 9. Interdum administrentur capurpurgia, & quæ per nares materiei partem extrahunt, &c. Paulus lib. 3. vbi πρὸς ὄπφοραν ῥύμματα agit, Post generales, inquit, corporis euacuationes, medicamentorum vsus est, quæ per na-

res atque os pituitam eliciunt: caput etiam attõdetur,& inciſa cute exaſperabitur.huc etiam ſpectant quas in capite χειρουργίας adminiſtramus ἀγγειοτομίαν φημὶ καὶ ἀστηριοτομίαν ὑποπαλασμόν τε καὶ περισχυρισμον, καὶ καῦσιν καὶ τὰ τῆς κορυφῆς ὀστέων, καὶ σικύαι κατὰ τὰ τε ἰνία μετὰ ἐγχαράξεως. reuellere ſcilicet poſſunt impetum fluoris, &c. De humorum præparatione loquitur Meſ. capite de ophthal.ibi, Quinta res eſt alteratio & digeſtio eius quod eſt tranſmiſſum, & intelligitur tam de extrinſeca, quàm de intrinſeca alteratione. vide in hoc caſu Arcul. Cati.Gord.&c.De euacuatione,quam eradicatiuam vocant,meminit Aët.ſer.7. cap. 8.ibi, Vbi oculorum diſtẽſio fuerit, & multus rubor, & ad contactum reſultus, & ardor,& lachryma multa & calida,tũc ſectio venæ adhibenda erit, humeralis appellata, ita vt animi deliquium ſuccedat, quo dolor eximatur, & feruor inflammationis extinguatur,&c. Aët.cap.9.Si verò vniuerſum corpus humoribus vitiatis fuerit refertum, tunc iuxta redundantem & affligentem humorem euacuandum.Nam ſi pituita magis aquoſa redundauerit, exhibe pharmachũ ex euphorbio,& ſic de reliquis. Auic. tertia t. rtij,ca.9. Et oportet,ſi fuerit ophthalmia vehemẽs, vt fiat phlebotomia,

vſq

vsquequo timeatur lipothymia. Et paulò pòst, Si ægritudo sit chronica, tunc faciẽda est phlebotomia ex lachrymalibus, & phlebotomandæ sunt ambæ arteriæ, quæ sunt post aures, &c. Et si materia fuerit colerica, euacuabis post phlebotomiã cũ eo quod deducit choleram, &c. Et cap. 2. In ophthalmia frigida oportet vt euacuetur humor frigidus, & quandoque necessarium est reiterare, &c. De ablatione symptomatum habes Paul. cap. 22. Interdum semen papaueris ad leniendum dolorem miscetur, si magna necessitas doloris est, etiam pauxillum adhibetur. Auic. loco citato, Et quandoque doloris vehementia facit necessariam stupefacientium adhibitionem, sicuti succi pomorum, mandragoræ, lactucæ, papaueris, & aquæ sumach, &c. Similiter & Mes. c. de ophthalmia inquit, ibi, Sextam rem complent administrationes medicinarum dolores sedatiuarum, &c. Hippocr. aphor. 6. aphor. 31. Dolores oculorum meri potio aut balneum, aut venæ sectio, aut medicamentum epotum soluit. B. Intellige quòd ad remouendum dolorem oculorum alij pharmaco soluente indigẽt, alij sectione venæ, alij fomento, alij potu vini, prout eorum exigit dispositio: non enim omnia hæc auxilia eidem homini adhiberi iubet.

bet. Competit vini potus, cùm vt crassos humores attenuet, & interdum transmutet & euacuet, tum quia facit vt somnus concilietur, & sic per accidens dolores sedat. Balneum competit, etiam si dolor tumore molli & laxo, vel à fluxu calido minus fieret: balneum enim partim dolorem remouet, partim signũ est rei demonstratiuum. Quòd verò sectio venæ dolorem sedet & purgatorium pharmacum, iam manifestum: nam remouendo causam, dolor ipse etiam remouetur: idcirco in ophthalmia vnicus tantùm erit medendi scopus, vt scilicet inflãmatio remoueatur, quæ nec amoueri poterit, nisi causa, à qua dependet, & ipsa auferatur: hoc autem fiet per ventris solutionem ac venæ sectionem, &c. De cura locali loquitur non solùm Mes. sed & Gal. & Paul. Mes. cap. de ophthal. In principio morbi repercussiuis vtendum, in quibus sit facilitas: deinde resolutiuis, ita vt perueniatur gradatim, & cum successione paulatim ab eo quod est repercussiuum vsque ad resolutiuum. Gale. 4. de compos. med. per loc. cap. 2. Adhibenda sunt pharmaca repulsoria non exasperantia, id est, non vehementem sortita adstrictionem, sed quę tum propria sua substantia sunt moderatiora, tum lenitiui liquoris, & ç. Auicennas tertia ter-

tij

tij, cap. 10. Quùmq; repuleris materiam per euacuationem & attractionem & apocrusticа, tũc gradatim tendas ad maturatiua, & sint in primis mixta apocrusticis. Est ergo cõueniens in primis eorum commistio cum aqua rosacea, & aqua fœnigræci est bona maturationi, sedatiua doloris, & est maturatiuo dignior, & non est in ipsa attractio. Posteà trãsi ab his ad decoctionem melliloti, in qua sit dissoluta sarcacolla alba, nutrita in lacte mulieris & asinæ: quùmque descẽdere inceperis, adde in administratione resoluentiũ, quod sit fortius, sicuti sarcacola in aqua fœniculi vel fœnigræci, & administra balneum si sciueris cerebrum esse mundum, & da in potu post cibum per aliquas horas aliquid vini antiqui puri in parua quantitate, &c.

Obseruationes in ophthalmia.

Gal 4. de compos. medic. per loc. cap 2. Manifestum est omnia pharmaca huiusce modi affectionẽ curantia sub communem omnium inflãmatorum curationem cadere, assumeréque necessariò quidpiam pro partis ipsius natura, quæ excellentem mollitiẽ, & ad hoc vt lædatur aptitudinem, super omnem totius corporis cutem nacta est, propter sensus subtilitatem & substantiæ raritatem, &c. Auic. loc. cit. cap. 9. Et peni-

tus oportet, vt non sit in medicina administrata in oculo & propriè in ophthalmia asperitas, nec qualitas saporis acetosi aut alterati. Et paulò infrà, Et oportet vt patiens ophthalmiam vel rheumatismos ad oculos deuiter, inunctionem capitis & destillationem alicuius olei in aurem, &c.

Obseruationes de repercussione in ophthalmia.

Aet. ser. 7. cap. 4. Quicunque oculi secundum naturam venas amplas habent & sanguine plenas, item qui glauci sunt, omnino non ferunt collyriorum adstrictionem, quoniã repellentia oportet vt sint frigida & stiptica. Vnde fac repercussiua, ne nimia infrigidatione infrigidẽt, quia oculum congelascunt, & visum auferunt. Secundò fac vt oculum roborent. Auic. loc. cit. Et oportet in quantum possibile est, vt retardetur collyriorum administratio vsque ad tres dies, & sufficiat regimen prædictum ex euacuationibus & attractionibus materierum ad extrema, &c. Et paulò infrà. Oportet vt in principio non administrentur in spissatiua fortia, & quę sunt vehementer stiptica, quoniam inspissant tunicas, & prohibent resolutionem, & magnificant dolorem, & propriè cùm dolor fuerit fortis, &c. Hoc idem confirmat Aet. ser. 7. cap. 9. ibi

ibi, Repulsoria collyria quum sint ferè viribus frigidiora, obstructionem & corporum cõdensationem faciunt, & dum humorum materias concludunt, maximas inflammationes & graues dolores inducunt, &c. B. Intellige obstructionem fieri, si materia in oculo contenta fuerit frigida: nam in calida & tenui corrodente maior audacia erit in administratione stypticorum, inquit, Auic. Imò non est malum apud me, inquit, vti opio: ipsum enim sanat celeriter. Vel intellige repulsoria esse mala, quotienscunque materia ex velaminibus intrinsecis ad oculum fluxerit, vnde Auic. Quum initium est ex velaminibus intrinsecis cura est difficilis. lege Paul. & Mes. de hac re plura loquentes, &c.

Obseruationes de lacte adhibendo in dolore opithalmico.

Aet. ser. 7. cap. 10. Qui lac pro ouo infundunt volentes dolores obtundere, decipiuntur. Nam lac à caliditate in dolore præter naturam facilè alteratur, & acrius euadit, vnde perparuo solatio diuturnam affectionem propinant, &c. Auicenna loc. cit. Non est conueniens, vt dimittatur destillatio lactis in oculo tempore longo, imò oportet vt remoueatur & renouetur omni hora. &c.

Obseruatio de resolutiuis.

Auice. Resolutiua in principio ophthalmiæ vehementer deuita, & oportet vt intendas ante omnia ad mundificationem lippitudinis cum facilitate, & nō noceas oculo, &c.

Ophthalmiæ nocentia & visum debilitantia.

Nocent oculis acetum, amylum, fumus argenti viui, semen canabis, folia castaneārum, caules, coriandrū, crocus, lac, lactuca oliuæ, opium, orimum, pisces, portulaca, & quæcunque his versibus ioci gratia annotauimus.

Hæc oculis multum, sol, puluis, fumus & æstus,
Ventus cum fletu, vina, venúsque nocent.
Acria ne mandes, nec quæ sint plena vaporum,
Nec cepas, lentes, ailia, porra fabas.

Zoar. primo, Theisir. tract. 8. cap, 21. inquit, capita gallinarum à proprietate causare cæcitatem. Item damnat carnes siccas, salsas, pinguedinem crassam & viscosam, & propriè porcinam, superfluúmque animi & corporis laborem, &c.

Ophthalmiam curantia & visum roborantia.

Valent ad ophthalmiam, absinthium, aloes,

aloës, flomos, verbena, camphora, album oui, pſyllium, opium, roſa, ſarcocolla, mellilotum, fœnugræcum, ſemperuia ſumach, portulaca, Sief album Meſ. puluis albus Haly. 21. anti. emplaſtrum ex pomis coctis, zucharo, & aqua roſacea, addendo aliquid camphoræ. vide Monragn. conſi. lxiij. Vide etiam Varig tract. 3. cap. 8. Item Gord. Sauon. & Arcul &c.

De prognoſticis ophthalmiæ.

Hip. aphor. 6. aphor. 17. Lippientem alui profluuio corripi bonum. B. Quia humorum abundantia euacuatur ſimul, & ad inferiora retrahitur, dans nobis exemplum, vt in lippitudinibus aluum nos quoque ſubducamus. Auic. Et ophthalmia eſt velocioris ſtatus, in qua lachrymæ magis currunt, & quæ acutiorem habet mordicationem, & tardioris, quæ eſt magis ſicca. B. Cognoſcitur an longo vel breui tempore ſit lippitudo duratura, aut à multitudine materiæ ad oculum fluente, aut ab oculi imbecillitate, aut à viarum latitudine, quaſi longo durauerit tempore, vlcerationem vel oculi interitum pronunciat. Hippoc. aphoriſ. 3 aphor. 12. Si hyems auſtralis & pluuioſa fuerit, &c. Et in fine, Lippitudines ficcæ fiunt, &c. Lege inſuper aphoriſ. 13. & 16. & 21. eiuſdem libr. 3. Auic. loc. cit. Si initium

ophthalmiæ etit ex velaminibus intrinsecis, cura est difficilis, & omnis ægritudo quæ fit per communitatem velaminum exteriorum est magis salua, &c.

Authores dissentientes circa morbos oculorum.

1 Adserere, visionem fieri extrà mittendo, & non intus suspiciendo cum Platone.

2 Adserere, sectionem venæ non conuenire in omnibus ophthalmiæ speciebus.

3 Adserere, in doloribus oculorum stupefacientia esse valde vtilia.

4 Adserere, balneum in ophthalmia minimè prodesse.

5 Adserere, oculos esse cõplexionis igneę, quum maximè luceant.

Confutatio dissentientium circa morbos oculorum.

Ad primum respondet Aristot. in lib. de sens. & sensa. quòd impossibile sit fieri extrà mittendo probat. Præterea Auer. 3. collig. Si visio, inquit, fieret extrà mittendo, sequeretur quòd in obscuro videretur, sicut in luce, neque lux vt medium, neque rethe, nec tunicæ opus essent in vidẽdo, neque destructo aliquo istorũ visus destrueretur. De his vide Arist. loc. cit. interrogantem Empedoclem, quomodo visus extenderetur vsque ad astra, si quid corporeum foret, quod

quod ab oculis emittitur. lege de his fusius Conciliatorem differen. 64. &c.

Ad secundum: Auic. en. tertia tertij, cap. 9. Et phlebotomia ex cephalica est conueniens omnibus speciebus eius. Item Razes 9. alman. capit. de oph. In principio curationis minuenda est semper cephalica: & quanto fortior fuerit ophthalmia, tanto plus est minuendum de sanguine. Itidem ait Mes. Et sic in omni specie conueniet, si non ratione euacuationis, saltem ratione diuersionis, &c.

Ad tertium: Gale. aphor. 6. comment. 31. Si talia sint debilia, tunc fluxiones non reprimunt vehementes: si verò sint valde stupefacientia, vt ex eis maximam oculi inflammationem non sentiant, tunc necessarium est, simul vim visoriam offendi, adeò quòd cessante inflammatione vel debiliter vel nihil omnino videant: simul autem & quandam præduram dispositionem, quæ difficulter sanari possit, in oculorū tunicis derelinqui, & sic per Galenum nullo modo sunt vtilia.

Ad quartum: Gale. eodem comment. Securissimum est fomentum, & omnino aliquam afferens vtilitatem, vel tanquam signum ad cognitionem, vel tanquam causa sanitatis. Nam si nihil influit omnino in

oculos fomentum, contentam in ipsis superfluitatem dissoluens, sanitatem restituit: si verò adhuc influit, suo calore affert aliquod leuamen, & paulò pòst dolorem auget, & tunc fit signum dignoscitiuum, & sic vtroque modo summopere confert, vt Gal.

Ad quintum respõdet Arist. de sen. & sensa. & quinto de generatione animalium, dicens, Quòd oculus est complexionis aqueę, quia aquæ est impressionum susceptibilis, nec potest esse ignea, quum ignis nimiũ agitetur, & de facili resoluatur, nihil penè retinens. Igitur nõ complexionis igneæ: verùm oculus, quoad eius spiritus naturam ignis obtinet, sed in ipso simpliciter dominatur aqua. Non constat, quòd tactus & gustus terræ attribuuntur, oculus aquæ, auditus aëri, olfactus igni: ex fumali enim vaporatione perficitur, quæ ignea esse perhibetur, &c. Lege tamen de hac re Concil.

De oculorum suffusione.

Affectus, qui à Latinis Suffusio, à Græcis ὑπόχυμα, ab Auicen aqua, à vulgo cataracta dicitur, est inter crystalloidem & corneam circa pupillam humoris aquei cõcretio, quæ vbi perfecta fuerit, visum impedit. Hanc aliqui cum glaucomate idem putarunt sese decipientes: nam hypochryma sicuti est aliquoũ humoris concretio, ita

glauc

glaucoma est naturalium humorum in cæsium colorem mutatio. Præterea in glaucomate nil prorsus, in suffusione aliquantulum cernitur.

Loci de suffusionis descriptione.

Gal. lib. finit. medi. Suffusio est humoris aquosi inter crystalloiden & corneam concretio. Aet. ser. 7. cap. 51. Suffusio est præterfusio humorum circa pupillam congelatorum, vt vbi perfecta fuerit, visum impediat, &c. Paul. lib. 3. Hypochymata humorum dicimus effusionem, qui inter tunicam ceratoidem & crystalloidem concrescentes impediunt. Auic. tertia tertij, ca. 18. Descensus aquæ est ægritudo oppilatiua, & est humiditas extranea, stans in foramine vuæ inter humorem albugineum, & syphac, & corneam. Quare prohibet penetrare formas ad visum. B. Aduerte quòd vna & eadem infirmitas est cataracta, suffusio, aqua, gutta, & imaginatio apud Arabes. In hoc tamen differunt, quia imaginatio est tanquam suffusionis principium, in quo id videri imaginamur, quod verè non est: Aqua verò & gutta est, quum in modum aquæ vel guttæ suffusio videatur. Nam dum currit, & in compressione digiti dispergitur, aqua dicitur: dum verò firmari incipit, gutta: at quum iam dudum firmata est, vocatur ca-

tarácta. Aet. loc. cit. Glaucedo est crystallini humoris in cæsium colorem mutatio. Itidem ait Paul. loco nuper cit.

De causis suffusionis & eius speciebus.

Causæ vel fiũt primario affectu in oculo, ex nutrimẽto huius partis non bene cõuerso, aut superfluitate nutrimenti non resolutæ: vel fiunt per consensum capitis humiditatem hanc ad oculũ transmittentis, vel ex vaporibus oris vẽtriculi ad oculos eleuatis, deinde à frigiditate oculorum in humiditatem conuersis. Species suffusionum variãtur in quantitate & qualitate & loco. In quantitate, quia interdum tantæ molis est, vt integram in oculo obstructionem pariat: interdum tam parua, vt non totum lumen occupet, sed per partem res videãtur: interdum etiam ita crassa est, vt nihil in lumine comprehendatur, interdum adeò subtilis ac tenuis, vt res quidem, sed veluti sub nube cernantur. Ambæ hæ curam non admittunt cum acu, sed tantùm quæ inter has species media quodammodo fuerit. Species in qualitate sunt multiformes ratione coloris. Nam quædã aëri, quædã vitro sunt similes, aliæ sunt albæ, aliæ virides, aliæ flauæ siue citrinæ, &c. Differunt loco, quia aliæ fiunt in tunicis, aliæ in humoribus. In tunicis,

quum

quum aliquod vestigiũ siue occultum siue manifestum ab ophthalmia vel ab alio morbo relinquitur, vel quũ adeò crassescunt, vt visio impediatur. In humoribus, quum vel eorũ substantia fiat humiditas aquosa, vel eorum complexio colorem inalteret, & nutrimentum transmutet, &c.

Loci consentientes de causis & speciebus suffusionis.

Gal. 4. de loc. aff. cap. 2. Sunt & alij oculorum affectus, quibus ei per consensum adueniunt, vnde subdit: Igitur accidẽtia suffusorum visis similia videntur, oculis nulla propria affectione molestatis, sed aut oris ventriculi, aut cerebri cognatione id accidere solet, &c. Et 1. de loc. affe. cap. 2. Accidit nonnunquã, vt efficiẽs causa per transiẽs non firmum in particulam faciat effectum, veluti quum suffusioni similia quædã oculi imaginantur, collecto in ore ventriculi tenui excremento, vnde vapores quidã subleuati, deinde circũuenti à visifica facultate similes imagines mouent, quales per suffusiones apparere consueuerunt: ídque maximè solet euenire iis, quibus oculorum humor exquisitè purus est, aut visifica facultas quàm facillimè sentit. Et 3. de loc. aff. cap 1. Itaque affecto stomacho oculi similibus infestantur calibus, quales in suffusion

fusionibus apparere solent: dicendum est, illos pati, elato ad cerebrum ab humoribus in ventriculo contentis, fumoso quopiam vapore, &c. De his lege etiam in fine cap. 7. eiusdem lib. & quomodo consensus fiat, intelliges. Gal. 4. de sympt. cau. ca. 2. Facultas vitifica offenditur, vel neruo ad oculum descendente affecto vel cerebro, &c. lege fusius totum hoc caput. De speciebus suffusionum loquitur Gal. 4. de sympt. cau. cap. 2. ibi, Haud aliter accipienda sunt ea, quæ de aquosi humoris quantitate, substantia & colore diximus, &c. Auicen. tertia tertij, capit. 18. Et ipsa quidem diuersificatur in quãtitate & in qualitate. In quantitate quandoque est plurima, & oppilat totum foramen, & non videt oculus aliquid: & quandoque est pauca, quia oppilat partem eius, & dimittit partem detectam, &c. Gale. in lib. de ocul. cap. 12. Huius color aquæ est diuersus: quædam enim acri aëri, quæ vitro assimilatur, alia est quasi alba, &c. Itidem ait Aet. ser. 7. cap. 51. Auicen. loc. cit. Diuersitas in qualitate quandoque est in essentia, quoniam alia est subtilis & clara, & alia est crassa valde: & quandoque est in colore, quoniã alia est aërei coloris, alia alba, & est margaritalis, &c. Galen. 4. de sympt. cau. cap. 2. quòd alia per locum affectũ, fiat diuisio, demonst

monſtrat, dicens. Vnus affectus ad tunicam ipſam rhagoiden ſpectat, alter ad humorem tenuem effuſum, qui inter chryſtalloiden & rhagoidem medius exiſtit. Quod etiã intelligendum eſt de ceratoide: vnde paulò infrà adſerit, quòd ſi ceratoidis tunica craſſior denſiórque fuerit, hebetem efficit aciem, ſi verò humidior ac denſior, non hebetem ſolùm obtuſúmque reddit viſum, verùm etiã efficit, vt qui ſic affectus eſt: putet ſe per tenebras, aut nebulã, aut per fumum res ipſas intueri, &c. Itidem ait Auic. ibi, cap. 9. Nam aut exiſtit in tunicis, aut in humoribus. Quæ exiſtit in tunicis, eſt, vt ſit ſuper tunicam corneã veſtigiũ occultum valde, quod remanſit à variolis aut ophthalmia, &c.

De ſignis ſuffuſionis.

Signa præcedentia ſunt, vt qui ſic affectus eſt, veluti quædam caliginoſa, vel paruos culices, vel fumoſa, & nebuloſa videre videatur, aut circa lucernas circulos vel duplex lumen ſe intueri, arbitretur: quæ imaginationes variantur in quantitate, quia paruæ vel magnæ: in eſſentia, vt craſſæ, tenues, occultæ: in ſitu, vt raræ, denſæ, nebuloſæ: in figuris, vt ſunt granoſæ, muſcoſæ, & capillares, &c. Signa abſolutæ ſuffuſionis cognoſcuntur ab artis perito, & per longitudinem temporis: rarò enim pertranſit ſex menſ.

menſes, ſimiliter ſigna colorum per ſe manifeſta inſpicienti apparent. Signa ipſius obſtructionis cognoſcuntur in compreſſione oculi: nam ſi ſtatim aperto oculo videatur diuidi, ac in partes ſeparari, tunc eſt ſuffuſio ſubtilis valde: ſi verò nullo modo moueatur, ſed in ſe remaneat, erit craſſa ac denſa, nec per acum ambæ admitti poterunt: ſi verò dilatari, ſed non in partes diuidi videatur, ea eſt quæ per acum curam recipit. Signa loci obſtructionis cognoſcuntur, ſi clauſo altero oculo pupilla alterius aperti dilaterur vel conſtringatur, indicat non eſſe obſtructionem in viis ſpiritualibus, per quas ab vno in alterum ſit tranſitus, & hoc præſertim, quum maxima ac craſſiſſima non fuerit ſuffuſio. Cognoſcitur etiam eſſe inter pupillam & ceratoiden, ſi pupillæ viſio impediatur. Signa quando fit per conſenſum ſunt, quia ſi à toto, adſunt febres, ad quarum augmentum ſuffuſiones augentur, & ad earum receſſum declinant: ſi à ſtomacho, aucta ſtomachi mala diſpoſitione creſcunt, & remota remouentur: vel ſi in vtroque æqualiter oculo apparitio fuerit, tunc cataracta erit ex conſenſu ſtomachi: ſi verò fuerit in vno tantùm oculo, vel in vtroque, ſed diuerſimodè, erit ex cerebro, &c.

Loci consentientes de signis
suffusionis.

Aet. ser. 7. cap. 51. Præcedentia signa sunt veluti culices parui, caliginosa quædā oculis sæpe obuersari videntur, quidam piliformia vident, alij vt lanarum lamenta, aut aranearum texturas, aut circa lucernas circulos: dum verò augetur affectio, augentur & ipsa accidentia, &c. Auic. tertia tertij, ca. 19. Signa portendentia aquā sunt imaginationes prædictæ, & quod accidit cum eis conturbatio sensibilis, & quod imaginantur res luminosæ, sicut candelæ duplices. Et capite 9. Imaginationes diuersificātur in quātitate, & sunt paruæ vel magnæ: vel in sua essentia, & sunt grossæ vel subtiles, &c. De signis obstructionis an sit curabilis, loquitur Alexan. cap. de aqua. ibi, Quando passio fuerit confirmata, & fuerit curabilis, signum erit, quòd dum aspicitur oculus, vel pupilla videtur clara, & cedit dilatationi, cū premitur digito aut instrumento, deinde redit ad ipsum & non frangitur, &c. Auicen. tertia terrij, cap. 18. Et illa quæ magis susceptibilis curæ ex parte essentiæ est, subtilis: quæ cùm eam conspexeris, & super ipsam digitis tuis compressionem feceris, separabitur velociter, deinde redibit & aggregabitur. Pau. lib. de ocu. ca. 12. Quando cataracta

taracta sit curabilis, sic dignoscitur: Si vno oculo clauso pupilla alterius dilatetur, possibile est sanari: sin autem, minimè. Causa, quia neruus concauus, quo visibilis spiritus ad pupillam ducitur, oppilatus est: & sic signa habes loci obstructionis. Hoc idem habes ex Auic. loc. cit. ibi, Inter aquam & oppilationem intrinsecam distat, &c. De signis per consensum loquitur Galen. 4. de loc. aff. cap. 2. ibi, Distinguendum vtrum à cerebro, an à ventriculo hæc affectio proueniat primùm ex eo, quòd alter oculus, vel vterque similiter visus occupetur: nam si vtrique oculo hoc accidat, affectus erit ex ventriculo. Distinguendum etiam est ex tempore: nam si per plures dies vel menses suffusionis accidentia apparuerint, & nihil tenebrosum in pupilla videatur, tunc ab ore venticuli affectus procedit: sed si perpetuò hæc apparitio perseuerauerit, nec aliqua suspicio sit ex ventriculo, tunc per essentiam morbum intelliges, maximè si vna pupilla altera sit turbidior, ídque magis, vbi sumpto ex aloé medicamento nihil variauerint, &c.

De cura suffusionum.

In cura suffusionis diuersæ sunt intentiones, quarum prima est, quòd si à ventriculi imbecillitate proueniat, roboratione

indig

indigemus, si multitudine pituitæ in eo cõtenta præparatione & euacuatione, deinde oculi roboratione, vt ne quid suscipiat, & susceptũ resoluatur ac exiccetur. At si suffusio à cerebro vel vitio oculi prouenerit, confirmata non nisi per manualem operationem curam admittit, non confirmata adhuc pullulans quinque mediis auferetur, scilicet regimine sex rerum non naturalium, humoris præparatione, euacuatione, reuulsione ac deriuatione, exiccatione & resolutione. Victus ratio erit, donec morbus transierit, attenuatoria: nam pisces & cibi crassi nutrimenti, & quæcunque flatuosos vapores pariunt, & humectant ac replent, fugienda sunt, vinum pariter, & coitus. & balneũ, & aer humidus vitentur. Propotu hydromel conuenit. Humoris præparatio quoniam plerunque ortum habet à pituita, idcirco cũ oxymellite simplici & cõposito, cum syrupo de stechade, rhodomelle, & cum decoctis fœniculi, rutæ, euphragiæ, betonicæ, stechados, rosmarini, & similium perficietur. Euacuatio primum per sectionem venæ, si corpus fuerit plethoricum, si minus, cum phlegmagogis, vt pilulis chochiis, sine quibus lucis Asatareth. 7. de agarico, cum electuariis & simplicibus, vt pluries repetitũ est. Reuulsio & deriuatio fient

cum clysteribus nascalibus, masticatoriis, narisusoriis, cū cauteriis, cucurbitulis, extremarū partium frictionibus, aut balneis extremis partibus adhibitis, &c. Resolutio suffusionis & vaporum tam per intrinseca, quàm per extrinseca paratur. Intrinseca erunt, electuaria, inter quæ laudatur confectio humani à Mes. Item triphera, myrobalani conditi, & alia multa, quæ à cœna comeduntur. Extrinseca multa sunt adterssoria, quæ suffusioni quadrant, qualis est aqua mellis stillata more chymico, aqua fœniculi, rutæ, euphragiæ, serapinum in vino granatorum dissolutum, puluis hirundinum, vrina infantis, & collyrium de fellibus Rasis, & alia multa quæ infrà annotabuntur.

Loci consentientes de cura suffusionum

De cura per consensum ventriculi lege Arcul. Marc. Catin. Gord. & cæteros practicantes. Habes insuper Galeni authoritatem de dolore capitis per consensum, quæ ad hunc locum reduci potest. De operatione manuali, quoniam quid agendum foret non expressimus, nunc authoritas Auicen. tertia tertij, ca. 20. satisfaciet, quæ talis est. Quū voluntas adest vt fiat cura cum instrumento, permittitur habēti aquam, vt nutriatur

pisc

piſcibus recẽtibus & cibis humectatiuis, & adminiſtretur ex eis aliquid, quod reſiſtat nocumẽto aquæ,& prçcipiatur infirmo aſpicere ad lachrymale domeſticum, & ad naſum,& conſeruetur iuxta illam figurã: nec ſit iuxta feneſtram vel in loco vehementis luminis,& perforet artifex cum acu, & vadat inter duas tunicas, vſquequo ſit coram foramine,& deponat cataractam,nec deponere ceſſet, vſquequo oculus clarificetur. Cúmque curam cum inſtrumento operatus fuerit,ponet ſuper oculum vitellum oui con quaſſatum cum oleo violaceo, & dormiat ſuper collũ tribus diebus in tenebris, &c. Vide eum tu fuſius. Et nota quòd triplex eſt cura iuxta chirurgos: prima fit cũ acuta ferrea vel plumbea incuruata:ſecunda cum acu acuminata incuruata, quæ dum ſuffuſioni ſupponitur, eam in vacuum extrahit:tertia cũ cauteriis circa frontem ſuper oculum læſum,ita quòd abſcindatur fluxus & exiccetur ſuffuſio.De his vberius legere poteris Placentinum Arnaldum & Guidonem. lege etiam Paul lib.6. cap. 21. vbi de hac manuali operatione pertractat vberrimè. vide etiam alios practicantes, &c. De victus ratione loquitur Auicen. tertia tertij,cap.11. Et oportet vt vitet piſces & cibos ingroſſantes & vaporatiuos, & potum

plurimũ aquæ & vini,& frequentiam phlebotomiæ & ventoſarum, &c.Et cap.19. Et caueat habens eam repletionem vinum & coitum, & ſit cõtentus comedere ſemel in meridie,& fugiat piſces,& fructus, & carnes groſſas,&c. Aet.ſer.7. capit.51. Diæta omnis ſit attenuatoria, à vino abſtinẽdum eſt per totam curationem, & ab omnibus replentibus caput, &c. Razes.9.alman. itidẽ habet,ibi.Non comedat piſces,nec omnia quæ humectare poſſunt,ſed æger ex calefactiuis & exiccatiuis nutriendus eſt, hydromel propterea in potu exhibendum eſt,&c.De humorũ præparatione loca non adducam, quum iuxta Arcul. Gord. Sauona.& Marcũ Catin.valde pateant. De euacuatione,Aet.ſer.7.cap.51.inquit. Curandi ſunt qui ſuffuſione tentantur in principio ſanguinis detractione ex cubito, &c. Paul. lib.3.cap.de glan. Suffuſione tentatis ſuccurremus ſanguinis ex cubito detractione & purgatione, euacuationibus acrioribus. Auicen.loc.cit.Oportet vt incipias & mundifices corpus, & propriè ſtomachum: deinde deuenias ad mundificandum caput, & ſcias quod hiera picra eſt mirabilis iuuamenti in eis, & ſimiliter pilulæ aureæ, & medicamenta, in quibus ponuntur centaurea,& cucumer amarus, &c. Razes ſimiliter

ter ait 9. alman. tribuem pilulas chochias, &c. Mesu. cap. de aqua. Quando est in principio, & non est confirmata, succurritur ei cum medicinis, & cum mundificatione sæpius reiterata, & propriè cum chochiis, hiera picra, & hiera colocynthidos, &c. De reuulsione & deriuatione plura habes ex Aët. ser. 7. cap. 51. ibi, Et si nihil impedit, etiam clysteribus acrioribus & purgatione vtemur: deinde cucurbitula occipitio affigenda est cum scarificatione, & pituitam per os trahentibus narifusoriis, &c. Auicen. tertia tertij, cap. 2. Deinde mundificandum est caput cum gargarismis, & capurpurgiis, & mastificationibus, & dicitur quòd appositio sanguisugarum super tempora confert in initio sui, & phlebotomia arteriarum post aurem, &c. De resolutione loquitur Mesu. cap. cit. ibi, Et succurritur cum administratione medicinarum resoluentium, sicuti est aqua rutæ cum serapino, aut aliquo ex fellibus animalium, cum melle & succo fœniculi, &c. Auicen itidem adserit, ibi, Quæ sunt ex siccitate, conferunt quandoque humectatiua nota, sed si sunt ab humiditate, conferunt eis omnia aleophol, id est, collyria quæ abstergunt. Vide Arcul. Gordo. & Marcum Catinarium & cæteros

practicantes &c.

Obseruationes in manuali cura.

Auic. tertia tertij, cap. 20. In regimine curæ, quæ fit cum instrumento, oportet vt ante ipsam præcedat mundificatio corporis & capitis propriè, & fiat phlebotomia, si necessaria fuerit, & obseruetur, ne ille qui cum instrumento curandus est, habeat in oculo rupturam, & timeatur vt accidat in tunicis apostema, aut sit assuetus pati tussim, aut sit vehementis rixæ, velocis iræ: nam hæc mouent ad profundum vel reditum. Arcul. Ne primum te ad curãdum intromittas, ni prius magistrum pluries operari videris.

Obseruationes de euacuatione.

Paul. lib. 3. cap. de glau. Si veluti culices oculis obseruari videantur ex quadam humorum prauitate, vel biliosioribus vaporibus sursum distributis, medicamentum dialoës amarũ, exhibeatur. B. id est, quum sciuerit esse morbum ex bile, vtere picra: si minus, aliis compositis: nam picra stomachum & caput vnà simul vice expurgat ac euacuat, &c. Auicen. loc. cit. Vomitus quantumuis conferat ex parte mundificationis. tamen est nocitiuus in proprietate aquæ.

Obser

Obseruationes de resolutione.

Aët. ser. 7. cap. 51. Medicamentis vtendum est primùm simplicibus, velut melle, succo fœniculi, deinde compositis, liquidis, siccis collyriis; quæ paulò pòst describentur. Auicen. tertia tertij, cap. 2. Et oportet vt incipias primò à medicinis lenitiuis, sicut fœniculum cũ melle: deinde gradatim perueniatur ad medicinas compositas ex serapino, &c. Et hæc non nisi post mundificationem corporis, &c.

Suffusiones curantia ac perseuerantia.

Curant suffusiones adeps piscis & viperæ recens, oleum antiquum cum melle, fel aquilæ cum melle, asa, aspaltum, verbena, ciclaminis succus cum melle, euphorbium, sarcacolla, segapinũ, myrrha, lac ficus, gũmi oliuæ, oleum benedictum Nic. mirabile, fief de fellibus Haly, fief rubeum Serapionis, fel canis, capræ, auium rapacium, scorpionis marini, gallinæ, tauri, testudinis, hyenæ, vulturis, aquilæ, succus fœniculi, semen raphani, ozymum, rosmarinus, & sal. Prohibent suffusiones fieri pilulæ sine quibus, pilulæ optomeræ Auicen. hiera Archigenis, hiera magna, hiera andromachi Mes. in cur. sod. frig. caput purgiũ Alex. eodem in loco. lege insuper Varignanã, ca. 12.

tra 3. vbi tractat de descensu aquæ ad oculum. Vide etiam Razem cap. de cataracta. Item Placentinum, qui puluerem describit, multùm ab ipso commendatum, &c. Vide fusius Montagnanam cons. 66. cap. 4. de remediis conuenientibus diminutioni & corruptioni visus, &c.

De prognosticis suffusionum.

Paul. loc. cit. verùm omnia glaucomata curationem non recipiunt, hypochymata verò curantur, sed non omnia. B. Intellige glaucomata non curari, quæ ex prægressa suffusione fiunt, humore iuxta pupillam, vehementissimè congelato ac resiccato. Vnde Auic. de obstructione visus, inquit, Ex siccitate fit, vt oculus in seipsum colligatur & corrugetur, & nominatur hæc ægritudo glaucoma: fit enim oculus propter eam varius multorum generum, & non non est ei medicamen. & Aët. Quæ glaucescunt, incurabiles sunt, &c. Auic. tertia tertij. cap. 18. Et illa quæ est magis susceptibilis curæ, ex parte coloris est aërea & alba margaritalis, & quæ ad viriditatẽ parumper declinat. Genus autem gypseum, & viride, & nigrum, & plumbeum vehementis nigredinis, & citrinum non recipiunt curam, quæ fit cum acu, &c. Galen. 14. meth. cap. vlt. Hypochyma iam incipiens digeri-

tur,

tur, vbi diu constitit, non potest.

Arcul. 9 almans. Cataractæ quæ totum oculum occupant, sunt incurabiles. Item nimium crassæ, quæ non per compressionem mouentur, neque acu, neque medicamentis curantur. Item cataractæ ex integra obstructione nerui optici factæ curationem non admittunt, & quæcunquæ siue à percussione, aut post ægritudinem cerebri fiant, difficulter sanantur

Authores dissentientes circa suffusiones.

1 Adserere, locum affectum in suffusione esse ambiguum.
2 Adserere, suffusiones ferè omnes per chirurgiam posse curari.
3 Adserere, paroraſim, id est, hallucinationem esse suffusionis speciem.

Confutatio dissentientium circa suffusiones.

Ad primum: Haly Abb. 9. theoricæ cap. 13. tenet, quòd locus suffusionis sit inter crystalloidem & corneam: pro quo habes etiam rationes in descriptione superius ex diuersis authoribus recitatas.

Ad secundum: Paul. lib. 3. cap. de glau. & Auic. vt suprà dictum est in prognosticis, multa suffusionum genera, quibus non est dare remedium, proculdubio recitauerunt.

Ex quibus concludi potest, non omnia ferè, sed valde pauca posse curari, sicuti etiam nobis experientia demonstrat, &c.

Ad tertium respondetur, quòd si paroras sis esset species suffusionis, sequeretur quòd hyposphagmatici & icterici suffusiones pati dicerentur, quod à ratione alienum est: nam isti paroraſi laborant, vt testatur Gale. 4. de sympt. cau. ibi, Si verò humores non multitudine, sed colore peccauerint secundum eiusdem coloris naturam paroraſis, id est, hallucinatio suborietur: nam qui ictero laborant, omnia quæ vident, pallere arbitrantur. Qui verò hyposphagmate, omnia quæ aspiciunt, rubra putant, &c. sed hoc falsum, igitur, &c.

De aurium doloris descriptione.

Dolor aurium, Græcè ὠτάλγία dictus, est tristis ac molesta auris sensatio à contraria re derepentè ac violenter simul & vehementer imprimente facta. Cuius species enumerãtur quinque, vt dolor punctorius, stimulans, tensiuus, grauis, & pulsatilis, &c.

Loci consentientes de doloris aurium descriptione.

Plato in Timæo, Pathos præter naturam violenter ac affatim incidens dolorem excitat. Gal. 4. de sympt. cau. cap. 6. Hoc Plato vo

to volebat, quum diceret moleſtam ſenſionem in corporibus ſenſu prædictis fieri, ſi compoſitum ipſi pathema ex violéto ſimul & cõferto acciderit, &c. De ſpeciebus dolorum lege Galen. 2. de loc. aff & 3. cap. 7. vbi mentionẽ facit de torpido, vlceroſo, ſtringente, lacerante, & c. de quibus, cùm de doloribus agemus, in genere loquemur: lege etiam Auic. & Arcul 9. almanſ.

De cauſis doloris aurium.

Omnis dolor aut per conſenſum, aut primario affectu fieri ſolet, cuius cauſa eſt, aut mala intemperies, aut ſoluta continuitas. Mala intemperies aut fit à frigiditate, aut à caliditate, aut ab vtraque, & hæc cum materia vel ſine materia eſſe poteſt. Soluta verò continuitas fit aut à flatu extendente, aut ab humore corrodente, ſiue putrefaciente, aut ab aliquo tumore, abſceſſu vel inflammatione. Quæ verò per conſenſum fiunt, aut à toto, aut à parte oriuntur. A toto, ſicuti per criſim, per febres. A parte, vt à ſtomacho, à matrice. Qui verò per ſe veniunt, id eſt, à parte læſa, vel erunt in auris cartilagine, aut in meatu, aut in auditorio neruo, & c.

Loci conſentientes de cauſis dolorum auris.

Gal. 12. meth. cap. 7. Doloris cauſa aut eſt diui

diuiſio vel alteratio,&c. De omnium dolorum cauſa in genere loquens,&c. vt ſuprà dictum eſt. Galen lib.3.de compo.med.per loc.cap,1. Dolores aurium aliqui ex frigiditate à ventis inducta fiunt, aliqui ex balneis frigidis medicatíſve, aliqui ex inflammatione: interdùm circa meatum cutis:interdum in profundũ progreſſa, vbi auditorius neruus ad inflammatam affectionem peruenit: aliqui ex flatu ventoſo tranſitum nõ habẽte,aliqui ex humoribus ſanioſis & mordacibus doloreẽ excitantibus oriuntur. Auic. quarta tertij, cap.6. Dolor auris aut fit à malitia complexionis,aut fit cauſa apoſtematis aut bothor, aut cauſa ſolutionis continuitatis,&c. vberius hũc locũ legito, & plura ad rem facientia inuenies.lege inſuper Alexan.lib.1.ca.24. vbi diffuſius rem pertractat:vide & Arcul.Sauo.& Gord.

De ſignis dolorum auris.

Indicia omnino communia ab ætate, temperie,anni tempore, arte & victu præcedente ſumuntur,item ex laborantis relatione. Signa ſi fiant à mala intemperie,ſiue calida,ſiue frigida cognoſcũtur per ea,quæ in contrarium adhibentur. Signa particularia ſunt: nam ſi à flatu fiant, tunc dolor erit tenſiuus, non grauans, & ſonus clarus auditur, non confuſus: ſi à caliditate,

præ

præcesserunt calefacientia, & à frigidis iuuantur: si à frigiditate, grauitas & tumor vnà sentientur, & auditus impedietur, si à soluta continuitate, ex eo cognoscitur, quòd aliquid sanguinis vel puris effluit: si ab inflammatione, tunc dolor erit continuus, grauitas cum tumore & febre continua aderit: quòd si intẽsiora hæc symptomata fuerint, quàm quòd liceat, cum alienatione & frigiditate extremorum, tunc erit inflammatio in intrinseca auris parte. Cognoscitur apostema esse sanguineũ vel bilioſum, quum intensius se habeat dolor in bile & sanguine, mitius in pituita & melancholia, &c.

Loci consentientes de signis dolorum auris.

Paulus lib. 3. cap. 23. Aurium dolor qui à frigiditate fit, ex anni tempore, ex victu præcedente, & ex laborantis temperie cognoscitur: at qui ex calida intemperie prouenit, ob id cognoscitur, quòd feruoris cuiusdam sine grauitate seu tensione sensus aderit: qui verò ex glutinosis crassísque succis fit, ex capitis auditúsque grauitate & victus præcedentis ratione deprehenditur, &c. Auicen. quarta tertij, cap. de taraxen. Si fuerit apostema calidum in ipso neruo, significat febres cum quibus est horripila

ripilatio, & tremor, & concomitatur ipsum permixtio, intellectus alienatio, &c. Si verò non sit in neruo, tunc aderunt extensio, dolor, grauitas, & pulsus: si causa erit ventositas, significant ipsam sonitus & tinnitus, nec aderit grauitas: si vlcus & bothor, significat pruritus cum dolore & sanie: si ab humore frigido lædituir, à frigidis, & fit fortior in frigidioribus partibus diei: si est à calido, est à contrario, &c. Vide de his Arcul. longè aliis melius rem pertractantem: vide etiam Auicen. quarta tertij, tract. 1. cap. 25. de signis apostematum in radice auris.

De cura doloris aurium.

Omnis curatio per eius causæ ablationem perficitur, & si quid malæ complexionis impressum fuerit ac derelictum, cum suis contrariis tam intrinsecis quàm extrinsecis remouebitur: verùm si humorum fluxus ad aurem timeatur, cum reuellentibus & euacuantibus auferendus erit, accidentia remouenda, & victus ratio instituenda erit, &c.

Dolor verò ex inflammatione vel erit creticus, vel non creticus. Creticus duabus intentionibus curabitur: prima, critim adiuuando, secunda, symptomata remouendo, & victum ordinando. Crisis quadrifa-

riam

riam adiuuatur: Primò, multitudinem humorum euacuando, vt virtus in reliquum potentius exonerata agere conetur. Secundò, virtutem roborando cum his quæ sanguinem & spiritum cumulant, & hoc fiat ante crisim, ne in crisi natura impediatur. Tertiò, meatus præparando, & superfluitates auris abstergendo ante crisim. Quartò, virtutem stimulando, si natura ad crisim tardauerit, vel si moram natura in crisi cõtraxerit in expellendo. Remotio symptomatum fit, quotiens dolor modum excedens non frigidis & repellentibus, sed rebus mollientibus & anodinis demulceatur: nam frigidis & repellẽtibus interdũ crisis impeditur. Dolor ex inflãmatione nõ creticus septem exigit intentiones quæ sunt euacuatio, reuulsio, repercussio per se, & resolutioni mixta, resolutio pura, ablatio symptomatum, & sex rerum non naturalium institutio. Euacuatio fiet per sectionẽ venæ, si sanguis peccauerit, vel per cholagoga, si bilis, vt cum rheubarbaro cassia, manna, electuario de succo rosarum, diapruni solu. cum pilulis aureis, &c. Vel per phlegmagoga, si pituita, vel cũ pilulis chochiis, turbit, agarico, &c. vel cum pilulis indis, de lapide lazuli, confectione Hamech, si fuerit atra bilis. Reuulsio fiet cucurbitulis

bitulis, frictionibus,&c. Repercuſſio in materia calida perficitur cum oleo roſ. & quarta parte aceti per decoctionem reſoluti, vel in materia frigida cum oleo amygdalarum amararum vel camomillino,&c. Repercuſſio reſolutioni mixta fiet, ſi ſubſcriptis addatur mucilago, ſemen citoniorum, ſemen lini, fœnugræci,&c. Reſolutio fiet per reſoluentia & mollientia, quale eſt diachilon minus, vel emplaſtrum ex farina hordei cocta cum oleo camomillino. Reſoluit etiam ac maturat apoſtemata auris emplaſtrum ex farina fabarum, cum oleo liliorum alborum,& eſt expertum. Victus ratio ſit tenuis infrigidans in cauſa calida, vel econtrario in frigida. Vinum carnes & oua vitentur, quanquam vinum in cauſa frigida abſente apoſtemate conueniat. Aër ſit calidus potius quã frigidus, nam frigidum inimicũ neruoſis partibus eſt. Symptomata remouentur, ſi fuerint vigiliæ, per ea quæ ſomnum cõciliant, ſi ſyncopis vel ſurditas, per ea quæ de ſyncopi ac ſurditate dicẽtur, dolor interim cum anodinis vel narcoticis, de quibus plura ex Auicen. & Aët. & iuxta neotericos practicantes habentur.

Loci conſentientes de cura doloris aurium.

Quòd omnis cura per eius cauſę ablationem

nem fiat, habetur non solùm ex Paulo, sed ex Gal. 3. de cõp. med. per loc cap. 1. ibi, Dolores à frigiditate oborti, calefacientibus quàm celerrimè curantur, & dolor ab aqua medicata circa meatum auditorium contenta, oleo assiduè infuso curatur, &c. Paul. lib. 3. cap. 23. Dolor aurium à frigiditate calefacientibus curabitur præsidiis, vt oleo rutaceo, laurino: at ex calida conceptum in temperie, contraria discutiunt, vt oui albumen in aurem demissum, lac muliebre, oleũ rosaceum, oleum lumbricorũ & aselsorum, quos Græci ὄνους χαλαχιδίους vocant. Quòd si à crassis ac glutinosis succis fiat, vel à flatu exitum non habente, cũ medicamentis curabitur, quæ aperiunt, incidunt, vt aphronitrum cum aceto & melle, vel fel ouillum cũ oleo amygdalino, &c. Aet. ser. 6. à cap. 73. vsque ad caput 76. inclusiuè de his vberrimè pertractat, vbi habes, quòd omnia amara citra mordacitatem ac molestiam meatus auris purgant & extergant, ac crassos humores impactos secant, &c. Auic. quarta tertii, cap. 8. Si autẽ est causa, caliditas superflua, oportet vt infrigides cerebrum cũ extinguentibus cognitis, & distilles in aurem oleũ rosaceum, tepidum aut albumen oui: & si est dolor vehemens, permisce cũ eo camphoram, &c. Lege eum

fusius, lege insuper Mes. ibi, summa sexta cap de cur.aurium, Si dolor fiat à complexione siue materia, solùm alteratione indiget, vt si calida, juuatur ex infusione albuminis oui recentis, aut mucilagine psylii: si fiat à complexione frigida, conferunt infusiones calidę, &c. De dolore ex inflammatione cretico & non cretico loquitur Nicolaus, ibi, Accidunt hæc apostemata vi symptomatis stimulata natura, & quandoque accidunt vincente natura, & fit sæpe secundum semitam crisis, & maximè in febribus & apostematibus cerebri, Vide Razen 3.comment.authoritate Gal.de hac re loquentem. Vide etiam in hoc Arcul. 9.almans, qui & si quinque modos in adiuuāda crisi declaret, nihilominus ad quatuor reducuntur, vt dictum est. Lege etiam Aphor. 20.primi lib.ibi, Quæ iudicantur, & iudicata sunt integrè, neque mouere, &c. amplius Gale.in comment.dicentem, Vbi deficit natura, adiuuandum, ne recidiuas materia relicta faciat &c.

De dolore ex inflammatione nō cretico verba faciunt omnes moderni, ex quibus primū elicere poteris omnes à me dictas curandi intentiones, quas etiam breuiter habet Auicen.quarta tertii, cap 8.ibi. Et si causa fuerit apostema calidū, profundum,

quod

quod est timorosum propter propinquitatem sui ad cerebrũ, vsquequo ad collectionem perueniat & suppurationem, tunc post phlebotomiam & euacuationem oportet vt administres lenitiua in primis & infrigidantia, & propriè lac mulieris vice post vicem vsque ad diem tertium, & similiter oleum rosaceum decoctum cum aceto, deinde mucilaginem fœnugræci, semine lini in aqua lactis, &c. Paulus loco citato, Si ex inflammatione auris laborauerit, statim sanguis mittendus est, deinde fotus ex oleo dulci & calente per specillum in lana inuolutũ adhibeatur, extrinsecus etiam quæ dolorem leniunt, materiámque impactam concoquunt superaccommodare, &c. Legę Galenum 3. de compositione medicamentorum per loca, capit. 1. ibi, Dolor verò ab inflammatione oritur, &c. Pro resolutione abscessus, Galenus 12. meth. ca. 8. ad dolorem aurium ex humore frigido vel flatu, medicamento vtitur, quod ex castoreo & papaueris succo conficitur, &c. Mesu. Expertum est diachylon in oleo anethino dissolutum, & ex eis quæ sunt vltimi iuuamenti est ætypi cerotum. Docet etiam cataplasma confici ad hoc idoneum ex farina fabarum, camomilla, violis, &c. De victus ratione & de sex

rebus non naturalibus legantur Arcul. & Mattheus de Grado fusius. Auic. loc. cit. Et habens dolorem frigidũ, potet vinum purum, forte & dormiat: & cùm excitatur, nõ habet læsionem aliquam, &c. Quòd aer frigidus sit neruis inimicus, habes Aphor. 18. tertii lib. ibi, Frigidum inimicum ossibus, dentibus, neruis. De symptomatum ablatione legatur Auic. ibi, Et quandoque necessarium est in curationibus dolorum vehementium in aure administrare narcotica, sicut aliquid ex philonio cum lacte, vel opium & castoreum, & crocum cum lacte mulieris, &c. Aet. ser. 6. ca. 80. Vbi verò magnus est dolor, necesse est stupefacientibus sensum vti, ita vt ad lac muliebre & oui .ãdidum modicũ opii admisceamus. Admiscendum est & castoreum ad vehementiores dolores pari mensura, ad leuiores dupla proportione, &c.

Obseruatio de diuersione.

Hîc ad memoriam reuocandum quod in quarta primi dixerat Auic. Quòd si ad diuersum trahere volueris materiã, primùm dolorem mitigabis ac demulcebis, quo sedato, ad curam te conferas, &c.

Obseruationes de repercussione.

Arcul. 9. Alexand. Antequàm fiat repercussio, obseruentur hæc: nõ sit materia cre-

tica

ticè expulsa,non sit venenosa,non sit furio
sa,non plurima, non immediatè à cerebro
expulsa,non valde tenax & crassa,non pau-
latim congesta,non fluxam ad partem ex-
trinsecam auris.

Obseruationes de topicis.

Tusignanus septem conditiones obser-
uandas esse inquit in his quæ in aurem pro
iiciuntur:Prima,quod iniicitur, non sit ca-
lidum nec frigidũ,sed tepidum,& hoc etiã
innuit Auic.cap.8.Secũda,quòd sit in parua
quantitate , & hoc habetur ex Auenzoar
primo lib.Theisir.tra.41.ca.1. Tertiã,quòd
stet in aure pauco tempore. Quarta, quod
antequam aliud proiiciatur,primum sit ex-
pulsum. Quinta, quòd cũ aliquid iniicitur
in aurem, patiens iaceat super latere sano.
Sexta,quòd locus sit cum auriscalpio mun
dificatus propter tortuositatem auris. Se-
ptima,quòd non administrentur repercus-
siua in apostematibus auris, &c. Galen. 5.
meth. ca.10.contra Thessali sectatores di-
xit,aurem esse particulam sicciſſimam, id-
circo quę valentissimè exiccent opus esse,
vt castoreum.Verùm hîc in dolore anodi-
nis , illic in vlcere siccantibus fortius vti
persuadet:vide tu illum fusius.

Obseruationes in narcoticis.

Auic.quarta tertii,ca.8. Oportet vt post-

ponãtur narcotica, vſq; quo timeatur ſyncopis,& propriè cùm fuerint humores frigidi:nocent enim eis valde, & poſt eorum vſum adminiſtra caſtoreum.

Auditus nocentia.

Fumus argẽti viui, ſemen arũdinis,lanugo & flos Typhæ,folia caſtaneæ,puluis platani,& puluis inuentus ſuper eius foliis.

Dolorem ac pulſationem aurium curantia.

Dolorem ac pulſationem aurium iuuat vapor decoctionis abſinthii,aqua decoctionis acetoſæ, ſuccus acori cum roſa,oleum in radice aphodilli coctum, allium cum adipe anſeris,ſuccus cucumeris aſinini,ſuccus cucurbitę cum oleo roſaceo, in calido dolore,crocus cũ oleo roſaceo,ſuccus dracunculi,hederæ cãnabis, gallia cũ oleo de been vel de cheiri, galbanum cũ oleo liliorum,grana granatorum cum melle, ſuccus hyoſciami,lactucæ aſĩni,laudanum cũ oleo roſ.ſuccus maioranæ,melliloti,mentæ,paritoriæ,peucedani,polygoni, foliorum populi,porri,plantaginis, praſii, roſarum, rubi,rutæ,ſalicis, ſerpentariæ, ſolatri, adeps anſeris,leonis,vulpis,fel arietis,apri, bubali,tauri,ſuis,oleum liliorum,amygdalarum amararum, ſcorpionũ, de vitęllis ouorum,

de

de semine cānabis, oleum benedictū Nic. de cherua, sisaminum, de nulceis persicorum, laurinum, de semine raphani, de anetho, de chrysomylis, de been, yrinum, nardinum, vrina apri, bubali, tauri, capræ, oleū de cinnamomo, petroleum in frigido & antiquo, pilulæ sine quibus, hiçralogodion, esdra, confectio Nicol. opium cum myrrha, croco & oleo ros.

De prognosticis dolorum aurium.

Hippoc. prognost. 3 text. 15. Aurium dolor acutus cū febre continua ac vehementi difficilis est, periculum enim delirii abolitionisque imminet. Quia igitur fallax hic locus, citò etiam auertere omnia alia indicia à primo die necesse est, &c. Auic quarta tertii, cap. 6. Et peruersior dolor auris est ille, qui est ex apostemate calido, profundo, & propriè cùm perducit ad commixtionem intellectus: vbi verò dolor est in cartilaginibus extrinsecis, non est illic vehemens dolor, nec vehemēs timor, sed primus interdum subitò interficit, veluti apoplexia: interficit tamen magis adolescentes quàm senes, sed ratio est, quia in senibus ignauior sensus, nec humores sunt ad alienationem prompti, sicuti in iuuenibus.

fiuam imperant neoterici.

Descriptio vlceris aurium.

Vlcus, Græci ἕλκος dictum, nihil aliud est quàm continuitatis solutio cum sanie, quod interdū extrinsecè, interdum intrinsece accidit. Si intrinsece, vel erit in meatu, vel in neruo auditorio, aut circa os, petrosum vocatum. Præterea vel erit vlcus inmundū, sordidum, virulentum vel corrodens cum dolore, cum mala intemperie & cum inflammatione vel alio tumore, &c.

Loci consentientes de descriptione vlceris aurium.

Gal. 2. meth. cap. 1. Vnitatis nanque solutio in osse fractura dicitur, in carnosa parte vleus. Aui. quarta tertii, cap. 12. Amplius non possunt esse vlcera, quin sint apparentia sensui, aut sint profunda, & non profunpa propinqui temporis vel chronica, &c. Lege Arcul. & plures vlcerum differentias intelliges. Gal. 3. meth. cap. 4. memorat vlcus cauum & æquabile, recens & inueteratum, sordidum, purum, liberum phlegmone, & phlegmome impeditum. Similiter de intemperie intelligendum. Lege de hac re Placentinum. De veris vlcerum differentiis lege Gal. 2. meth cap. 1.

De cauſis vlcerum auris.

Cauſæ vlcerum ſunt vel humores corrodentes, vel aliquis abſceſſus, vel caſus percuſſio, & res quæ putrefacere vel corrodere poſſunt.

Loci conſentientes de cauſis vlcerum auris.

Arcul. 9. almanſ. Cauſæ vlcerũ ſunt apoſtemata vel bothor cũ rumpuntur, necnon humores acuti, item cerumen auriũ & vermes, aut res ibidẽ natæ corrodentes ac putrefacientes, ſimiliter caſus & percuſſio. Gal. 4. met. cap. 1. Eſt enim horum duplex ortus aliàs ab excitione, ſæpe ab eroſione. Quo pacto fiat excitio, patet: eroſio verò ſi intrinſecus ab ipſo animali prouenit, vitioſi ſucci ſoboles eſt: ſin extrinſecus, aut à valentibus medicamentis, aut ab igne.

De ſignis vlcerum auris.

Signa vlcerum auris manifeſta ſunt, ſi pus ex aure defluat, nulla in cerebro præterita læſione. Si fiat ab apoſtemate, ſtatim ex vomica multa puris copia exiet, deinde paulatim & in pauca quantitate. Econtrà verò, ſi ab humoribus corrodentibus paulatim in primis egredietur, deinde magis abundabit. Signa vlcerum mundorum ab optima & concocta ſanie cognoſcuntur. Sordidorum ex craſſitie ac multitudine

exeun

exeuntis ſaniei. Virulenta vlcera ex fœtore & putrida ſanie ſubtili exeunte nobis innoteſcunt. Corrodentia ſi poſt ſaniem ſanguis effluxerit. Fiſtuloſa, ſi longo tempore contracta, ſi virulenta ſanie, ſi ex calloſa ac indurata carne conſiſtant, &c.

Loci conſentientes de ſignis vlcerum auris.

Razes 9. almanſ. hoc tantùm ſignum poſuit, ſcilicet quum pus ab aure egreditur. De his ſignis fuſius pertractat Arcul. & Auicen Similiter cæteri practicantes.

De cura vlcerum aurium.

In omni vlcerum cura quinque opus ſunt medicamina, abſtergentia ſcilicet, corrodentia, carnem generantia, conſolidantia, ac ad cicatricem inducentia. Abſtergentia idcirco opus, ſunt vt ſanies craſſa glutinoſáque membro adhærens amoueatur, qualia ſunt tenuia ac calida circa ſecundum gradum, ſicut mel, &c. Corrodentia, vt ſupercreſcentia carnis minuantur, & ſunt calida & ſicca in quarto, vt flos æris, alumen, &c. Carnem generantia, vt ſanguis vlceri ſuperueniens in carnẽ trãſmutetur: quod fieri nequit, niſi complexio temperetur, & ſanguis coaguletur, & ſunt ſicca in primo, & temperata in actiuis, ſtypticitatis & abſterſionis paucæ, vt

thus

thus. Nec opus esset medicamentis in gignenda carne, quum ad naturam tantùm pertineat, ni in generatione carnis excremẽtum tenuius ac crassius interdum efficeretur, ad quod id tandem opus est, quod redundantiam absumat, & sanguinem coagulet, qual e est medicamen siccans & abstergens. Consolidantia, vt humiditas inter vtrasque vlceris superficies propinquas cõtenta ita conglutinetur, vt altera superficierum vlceris alteri adhęreat, & sunt sicca in secundo, cum proportione actiuorũ ad membrum vt aloes, sanguis draconis, &c. Cicatricem inducentia sunt, quæ absque mordacitate tantum superficiem exiccant, vt cortex pini, &c. Sed de his vberius dicemus in libro de chirurgia. Cura simplicis vlceris in corpore purgato indiget tantùm absterſione & cõsolidatione. Si verò vlcus fuerit com; ositum, puta cum inflammatione, vel mala tempe ie, aut dolore vehementi, tunc primùm erit inflammationi ac reliquis vacandũ, non neglecto interim ipso vlcere, &c. Cura vlcerum auris malignorum præsertim corrodentium quinque mediis perficitur, ; ræcedat tamen euacuatio ac reuulsio ad hæc quæ dicenda sunt. Primò, si quid est putridum, vel corrosum, vel induratum, auferatur. Secundò, quod

dò, quod remanet, optimè mundificetur. Tertiò, ſubſtantia iam deperdita regeneretur. Quartò, regenerata ſubſtantia ad cicatricem inducatur. Quintò, accidentia corrigantnr, & ratio victus inſtituatur, &c. Primò, putridum auferemus cum vnguento Aegyptiaco, cum modico aceti vel vini diſſoluto, vel ſi pars veluti ſenſus expers ſit, accipiantur viridis æris, ſaluminis, & mellis partes æquales, & cum modico aceti fiat collyrium. Secundò, mundificatio fiet cum hydromelle vel rhodomelle, aut ænomelle, aut oxymelle ſimplici vel ſcillitico, ſi materia egrediēs fuerit valde tenax. Tertiò, ſubſtantia regeneratur cum his quæ mediocrem cum pauca mordacitate exiccationē, qualis eſt aloës, myrrha, ſarcocolla, ſandaraca cum melle & vino diſſoluta. Quartò, ad cicatricem perducunt, olibanum, ſiefmemite, ſarcocolla, &c. Quintò, accidentia corriguntur, vt vt ſi ſit dolor, cum prædictis in capite præcedenti, ſi ſurditas, cum his quæ de ſurditate dicentur. Ciborum quantitas ſit modica in principio, donec ad ſubſtantiam regenerādam deuenerimus, tunc ſit locupletior, ſed boni ſucci & facilis concoctionis, &c.

Loci

Loci consentientes de cura vlcerum aurium.

Galen.3. meth.cap.8.Fieri non potest,vt in vlcere,vel carnis productio,vel sinus impletio, vel agglutinatio,vel cicatricis inductio rectè vnquam cedat,nisi subiecta caro pro naturali modo se habeat:verùm purgari sordida,minuíque supercrescentia etiam carne statum non seruante possunt , &c. Ex quibus verbis quinque dicta à me medicamenta ad vlcus sanandum opus esse cognosces.abstergentibus quæ Græcis ῥυπτικὰ appellontur , loquitur Gale.5.de fac.simpl. ca.2.vbi inquit omnia nitrosa & amara ad expurgandos meatus intrò valere, at cutis & vlcerum sordes non hęc tantùm,sed & vi ribus minora auferre possunt , qualia sunt dulcia , quæ tenuium sunt partium , vt mel, & ex cerealibus eruum, faba, lupini , hordeum,&c.Et capi.14.de causticis seu vrentibus loquens , vehementer esse calida & carnis colliquantia, vt arsenicum, auri pigmentum , sandaraca , & crysocolla , &c. Et capit.15.eiusdem lib.loquens de his quæ vim σαρκοποιὸν habent, id est, cicatricem inducendi, esse desiccantia absque mordacitate dixit , &c. De generantibus carnem lege Galen.3.meth.capi.3. vbi ad vnguem, quæ à me dicta sunt recitantur , & plura ad hoc minus idonea etiam enumerantur.

De

De glutinatoriis etiam verba facit capit. 5. eiusdem, & quo pacto ab iis, quæ cicatricem inducunt, differunt, apertè declarat: vide illum futius. De cura simplicis vlceris lege Galen. 3. meth. capit. 4. De vlcere composito lege etiam similiter Galen. 4. meth. capit. 5 ibi, Verum vlceris quod cum alio affectu coniunctum est, &c. lege tu hunc locum vberius, & inuenies quòd sanari non possit vlcus, nisi locus in quo consistit prius sit sanatus, &c.

Breuis Galeni vlcerum curatio quæ 5. meth. cap. 1. continetur.

Omne vlcus siccantia medicamina requirit, vlcus sinum habens, non solùm modicè siccantia, sed absterſoria expostulat: quod verò cõiungi labra petit, veluti eruentum magis siccantia, tum quæ sine absterſione leuiter adstringunt, desiderat: quod verò ad cicatricem perduci debet, non solùm magis adhuc siccantibus, sed strenuè adstringentibus remediis indiget. At si caro præter naturæ modum intumuerit, acria & demollictia quæ calida & sicca sunt, adhibeantur: si verò vlceri aliquod symptoma adiunctum sit, primò id remoueatur, deinde vlcus sanetur: si sordes innascantur tollendæ sunt iis, quæ maiorem adstringendi vim habeant, quàm quæ carne implent:

plent: si copiosa humiditas adsit, siccantibus medicamentis, quæ propriam speciem non egrediantur, curandum. Agglutinatoria sint igitur medicamenta siccantia & adstringentia, carnem generantia, siccantia & abstergentia, & sic de reliquis. Si verò subiecta caro intemperata sit, primùm eius intemperantiæ succurrendum, vtique quæ siccior iusto est, humectantibus: quæ humidior, siccantibus: quæ calidior refrigerantibus: quæ frigidior, calefacientibus: quæ geminata qualitate intemperata per geminam qualitatem contrariam curetur. Considera insuper intemperantiæ causas, num à toto vel à parte per consensum membrum vlceratum infestent. Primùm enim causæ, quæ adhuc intemperantiam fouet medendum, post hanc ipsi quę facta est intemperantiæ. Sumitur etiam indicatio à particula læsa, quæ si siccior fuerit, ea magis siccari expostulat: quæ minus talis est, ea minus siccanda. Simile etiam erit de calefaciendo refrigerandóque præceptum. Sumitur etiam à præcellentia membri aut à contrario statu Itémque ex sensu acri hebetéve, quum hæc diuersum medendi modum petant, & reliqua.

De mundificantibus ac abstergentibus vlcera aurium.

Mundificant ac abstergunt vlcera auriũ succus absinthij cũ melle aphodilli, etiam cum melle & thure, succus omphacij cum melle, ærugo ferri cum aceto decocta, fel tauri cum lacte capræ, licium antiquis vlceribus, mel cum sale gemeo tepidum, myrthi decoctum, myrrha cũ memite, castoreo & opio, succus foliorum nucum, & succus oliuæ agrestis, virgæ pastoris, vrina pueri cum cortice granatorũ, oleũ amyddalarum amararum, rhodomel cum matrisylua & betonica, oleũ myrthinum, terebinthina, &c.

De sonitu aurium.

Sonitus aurium nil aliud est, si describatur, quam auditus corruptio, in qua videtur homini audire id quod certè nõ audit, hos Græci vocant ἤχους καὶ συριγμούς.

Loci consentientes de sonitu aurium.

Auicen. quarta tertij, tra. 1. Hæc dispositio est vox, quam homo incessanter audit exterius. Et eius comparatio ad auditum, est imaginationum & tenebrarum, qua, videt homo, comparatio, &c. B. Id est, vocem quandam homo audit, ac si exterius audiret: & talem habet comparationem sonitus ad aures, qualem imaginatio ad

oculos, &c. Vide etiam hanc eandem sententiam in Auicen. capit. de nocumentis auditus.

De causis sonitus ac tinnitus aurium.

Omnis causa sonitus & tinnitus vel est occulta vel manifesta. Occulta aut fiet à sensus audiendi imbecillitate, aut ab eius subtilitate: imbecillitas fiet à mala quapiam cõplexione. Manifesta nouem modis fiet. Primò ex aëre extrinseco intrinsecum mouente. Secundò, ex sanie sonitum in aure efficiente, Tertiò, ex motu ebullitione humorum exiccato, vt in febribus. Quartò, repletione superflua. Quintò, humorum agitatione & vapore. Sextò, casu vel percussione. Septimò, ex humorum magna inundatione. Octauò, ex fame humores commouente & aërem. Nonò, ex medicinis soluentibus quæ mouent & non educunt, &c.

Loci consentientes de causis sonitus ac tinnitus aurium.

Galen. 3. de compos. medic per loc. cap. 1. Sonitus quidam ex flatuoso spiritu generantur, quidam ob exquisitam sensus audiendi subtilitatem, quorum neutrius affectionis certa cognitio in principio haberi potest. Auicen. quarta tertij, cap. 9. Et inundatio aëris quæ est causa vocis, aut est occulta.

culta, aut est maior illa. Occulta, quum interdum sonitus auditur, interdum verò minimè, & tunc, id est, aut propter acuitatem sensus, aut propter debilitatem, &c. Lege vsque ad illum locum inclusiuè. Et quandoque accidit sonitus post medicinas, quarum proprietas est vt retineant humores & ventositates in partibus cerebri, &c.

De signis sonitus ac tinnitus aurium.

Dabis operam vt in primis cognoscas qui fiant per se & qui per consensum. Per se enim fiunt quicunque sunt continui & assidui: per consensum verò, qui sunt intermittentes, qui dispositione crescẽte augentur & desinente minuuntur. Signa ab acuitate sensus sunt, quia à mediocribus sonis læditur, nec excellentes tolerare potest, nullúsque adest flatuosus spiritus, nec vapor crassus, nec repletio. Signa ab humore cum flatu, grauitas in aure percipitur, imbecillísque adest auditus: si verò ex flatu tantùm, sonitus est clarior, nec vlla adest in aure grauitas: si ab humoribus crassis fiant, paulatim crescunt: si à siccitate, fiunt post euacuationes & febres. Signa apostematis suppurati sunt, quia dolor precessit, sonitúsque confusus & sanies apparet. Signa debilitatis sunt superfluitates,

si à complexione calida, fit statim cum inflatione: si à frigida, econuerso. Cognoscuntur etiam ex prægressa diæta, à vomitu & à progresso pharmaco. &c

Loci consentientes de signis sonitus & tinnitus aurium.

Auicen. quarta tertij, cãpi. 10. In illo qui est continuus & assiduus, causa est aliquid stans in ipso cerebro: si autem quiescit, deinde excitatur post euacuationem aut vacuitatem, aut quum calor fit vel frigus, fit fortis, tunc est per communitatem. Illum qui est per acuitatem sensus significat defectus causarum ventositatis & repletionis, & mundificationis auditus, & excitatio eius apud ieiunium & vacuitatem. Paul. lib. 3. cap. 23. Sonitus qui fiunt à crassis glutinosísque humoribus cognoscuntur, quòd non vniuersim, sed paulatim increscunt ac nascuntur, Gale 3. de composi. medi. per loc. cap. 1. In cognitionem peruenimus nõ tantùm ex procatarcticis causis, sed ex temperie, ex diæta prægressa, vt à longo vini potu, à violento & multo vomitu, aut à prægressa plaga, aut ex auricularium pharmacorum vsu, & similibus. Quineriam si sonitus aut per interualla redit, aut perpetuò permanet, aut ex eo quod paulatim, aut aceruatim fit sonitus: verùm

exacta

exacta & certa cognitio habetur, v siquis ex flatuoso spiritu exitum non habente sonitum fieri putet, & siccantia vel attenuantia adhibuerit, admotísque apophlegmatismis nihil profecerit, tunc certò cognoscens ex auditus subtilitate sonitum fieri, præsertim si acuto audiendi sensu ægrè præditus appareat. Auicen. loc. cita. Factus à sic itate est post euacuationes & febres, & factum à debilitate scies per superfluitates: & quando est à complexione calida, fit subitò & cum inflatione, & frigida est ecõtrario, &c. Vide de his latius Arcul. & reliquos practicantes, & inuenies quæcunque à me dicta sunt.

Decura sonitus & tinnitus aurium.

Quum curatio fiat per causæ efficientis morbum ablationem, tunc si à percussione, vento, ebrietate, & à ceteris procatarcticis causis fiat. Causæ primitiuæ per sua contraria remoueantur, & roboretur auris & cerebrum. Si morbus hic generetur ex quadam crisi vel febre, primùm discutienda erit febris, & crisis non prohibeatur, præsertim si ex se natura prçualeat: si minus, iuuetur: si verò ab aliquo particulari membro per cõsensum oriretur, primùm id quod transmittit membrum euacuabitur, & ad aliam regionem materia

diuertetur, & eius membri lapsa temperies per contraria permutabitur: deinde membrum recipiens roborabitur, vt puta cerebrum cum oleo myrtheo,& auris cum oleo amygdalino amaro, &c. In cura verò per se ex repletione capitis ab humoribus crassis quatuor curandi erunt intentiones, scilicet euacuatio, reuulsio ac deriuatio, humorum præparatio, ac eorum extirpatio, cerebri & auris roboratio, & regiminis institutio. Euacuatio fiet per ea quæ humorem superfluum euacuant, qualis est hiera colocinthidos, pilulæ fœtidæ chochiæ, &c. Reuulsio similiter fiet cum clysteriis,frictionibus,& hęmorrhoidarum a. menstruorum euocatione. Deriuatio post omnimodam euacuationē cum capitpurgiis, masticatoriis, gargarismatibus,&c. Præparatio humorum præsertim pituotosorum fiet cum syrupo de stechade, de calamento,oxymelle simp. & composito, & cum reliquis quæ suprà memorata sunt, & cum decoctis saluiæ rosmarini violarum,betonicæ, maioranæ, rutæ, origani, &c. Humorū extirpatio perficitur cum pharmacis in euacuatiõe nuper relatis &c.

Roboratio cerebri & auris fiet remouendo eorum diserasiam, cum sacculis ex milio, sale, & furfure, aspersio potenti vino

torre

torrefactis, aut cum fomentis ex camomilla, melliloto, calamẽto, origano, stechade, absinthio, aut cum pulueribus capiti adhibitis, vtputa cum speciebus pliris arcoticon Nic. & diamusci dul. aut cum his quæ in aurem infunduntur, quale est oleũ amygdalarum amararum, cum musco & nuce moscata, aut oleum de vitellis ouorũ, aut castoreum in oleo rosaceo dissolutum. Victus ratio sit calida & sicca, pluuiæ, venti, ebrietates & satietas nauseatiua, & vomitus vitanda sunt. Item mora sub radiis Lunæ & Solis, &c.

Loci consentientes de cura sonitus & tinnitus aurium.

Auic. quarta tertij, cap 2. Sonitus creticus non oportet vt moueatur quoniam remouetur cum remotione febris. In eo verò qui fit ob communitatem, oportet vt intentio sit membri facientis ipsum, & propriè stomachi, quare mundificetur & intendatur cerebro, & confortentur auris & cerebrum cũ oleo myrthino, auris verò cum oleo amygdalino, &c. Itidem ait Mes. cap. de sonitu. Paul. 3. cap. περὶ ἤχων, Si in febribus aut harum critibus sonitus aurium euenerint, nullum eis negotiũ facessere oportet, quippe magna ex parte statim finiuntur: sinautem post morbum perseuerauerit

rint, absinthii decocto foueri aures debẽt, & acetum rosaceum infundi, &c. De cura per se ex repletione, quòd tot sint intẽtiones, quot diximus, lege Arcul. & alios hac de re loquentes. Auicennas loco citato, Et similiter factum à repletione, oportet vt mundificetur corpus & caput cũ eo quod scis, & subtilietur regimen, &c. Mesu cap. de sonitu, Quando fit per abundantiam & repletionem in capite, cura eius est solutio & euacuatio cũ hiera diacoloquinthidos, & chochiis, & similibus, cum reiteratione & reiteratione, &c. B. Intelligitur de materię minoratione ac eradicatione per hoc verbum reiteratione duplicatum. De præparatione humorum & aliis intentionibus loquitur ibi Aetius ser 6. Si adhuc remanet ampliori tẽpore, omnibus amaris & acribus, & attẽnuatoriis ac discutoriis vtere, quæ paulò anteà descripta sunt, &c. lege eum fusius. lege insuper Arcul. Sauon. & Gordonium, & Mes. ibi, Quando fit à ventositate grossa, conferunt caputpurgia, sternutationes post mundificationem, &c. intelligens de deriuatione & de aliis, prout in ipso reperies, &c.

Obseruationes in cura.

Auicen. quarta tertii, cap. 11. Oportet vt omnes illi vitent balneum, solem & vomitum

mitum & clamorem & repletionem, & vt leniant naturas, id est, ventres.

Curantia sonitum & tinnitum aurium.

Curant sonitum & tinnitum aurium, vapor aceti, absinthium cum felle bouino, fel capræ cum succo porri tepido, colocynthidis decoctio in aceto, succus foliorum ebuli, fel tauri cum succo porri, acetum decoctionis hellebori, decoctio caricarum cum sinapi, succus rutæ in cortice granati tepefactus, vapor decoctionis hyssopi cum ficubus, oleum de been, cum adipe anatis, oleum liliorum alborum, oleū violaceum, amygdalarum amararum, decoctum lauri cum vino antiquo & oleo rosaceo, &c.

De prognosticis sonitus.

Galenus 3. de composit. medic. per loc. cap. 1. Si in febribus sonitus fiant, minimè curandi sunt, vt plurimùm enim statim sedantur. Hippocrat. aphoris. 4. aphoris. 60. Quibus in febribus aures obsurduerūt, sanguis ex naribus fluens, aut aluus turbata soluit morbum. B. Intellige de fluxu cretico, qui facilè adueniēs sonitum soluit. Hercul. Antiqui sonitus difficulter sanātur: qui verò ex natiuitate contrahuntur, nequaquam sanari possunt, &c.

De graui auditu & surditate.

Differunt inter se grauis auditus & surditas, quum hic tãtùm diminutum auditum, illa verò omnimodã auditus ablationem significet. Hunc Græci κώφωσιν, illam verò δυσηκοίαν appellant.

Loci consentientes de graui auditu & surditate.

Auicen. quarta tertii, cap. 2. Omne auditus nocumentum, vel est vt destruatur eius operatio aut auditus minuatur, ita vt quid audiat quod non audit, &c. Lege Arcul. 9. Almans.

De causis surditatis.

Omnis causa vel essentialis est, vel per compatiendi rationem. Si essentialis, aut auris pars aliqua læsa est, aut cerebrum. Si pars vel similaris est, vel instrumentalis. Si similaris, tunc vel ab intemperie, vel à solura continuitate afficietur. Si instrumentalis, tunc ab obstructione aliqua, aut à tumore aliquo præter naturam innato, aut ab aliquo aduentitio, vt puta callo, carne, tuberculo, aut à sordè in auribus genita, aut ab humoribus crassis, vel à flatuoso spiritu occupante oborietur. Si causa sit per compatiendi rationem, tunc vel à toto, sicut in febribus ex quibus vapores ad aures deferuntur: vel à crisi iam facta, vel à

memb

membro particulari propinquo & remoto, ſicut à cerebro & à ſtomacho. Item fiunt ſurditates ex paucitate & craſſitie ſpirituũ, vel à conſumptione corporis,&c.

Loci de cauſis ſurditatis & grauis auditus.

Galenus 4.de ſympt cauſ. cap. 3. Grauis auditus & ſurditas animanti euenire ſolent, aut ob auris partem aliquam, aut ob neruum à cerebro deſcendẽtem, aut ob cerebrum ipſum, ſi eadem in parte, vnde neruus oritur, læſum fuerit. Proinde harum partium morbi ab illis huc transferendi ſunt, vt ii, qui ad ſimilares pertinent ex intemperie & continui ſolutione æſtimentur: qui verò ad inſtrumenta ex obſtructionibus, ſiue ipſarum partium tumor aliquis præter naturam meatum obſtruxerit, vtputa abſceſſus, phlegmone, œdema & ſcirrhus, ſiue aduentitius, ſique omnino præter naturam tumor in meatu ipſo oriatur, vt quum calloſum vel carnoſum innáſcitur tuberculum. Atque huc pertinent ſordes, quæ creberrimè in auribus gigni conſueuerunt. Auicen. quarta tertii, cap. 2. Nocumenta auditus aut ſunt complexionalia, aut inſtrumentalia, aut reſolutiua. Singularitatis nocumẽtum in neruo auditus interdum accidit per omnes cauſas ægritudinum

dinum ſimilium partium & inſtrumentalium & ſolutionis continuitatis. Aegritudines conſimilium partium in ipſo ſunt, vnaquæque ſpecierum malæ complexionis ſingularis & compoſitæ. Et quandoque fit vnaquæque earum abſque materia, & quandoque cum materia melãcholica, cholerica, phlegmatica, ex phlegmate crudo & ventoſo. Inſtrumentales ſunt ſicut oppilatio, quam facit humor, aut ſanies aut apoſtema, &c. Lege eum fuſius. Hercul. 9. Almanſ. Defectus etiam ſpirituum ſeminis quum ſunt craſſi, eſt cauſa grauedinis auditus, & ſimiliter paucitas ſpirituum, & corporis exiccatio & conſumptio. Vide de his Meſ. cap. de ſurditate. Item Gordonium & Sauona.

De ſignis ſurditatis & grauis auditus.

Et ſi per ſe ſurditas manifeſta ſit, nec aliis indigeat indiciis, nihilominus an per eſſentiam vel per conſenſum fiat, niſi indicia cognoueris, non facilè rem percipies. Cognoſcuntur igitur quæ fiunt per eſſentiam abſente totius vel partis mala diſpoſitione: ecõtrà verò ſi per conſenſum, ex totius & partis prægreſſa ægritudine, qua aucta ſurditas augebatur, & remota remouebatur. Cognoſcitur etiam obſtructio tantùm ex intuitu ſub radiis ſolaribus. Co-

gnoſcit

gnoſcitur fieri ex materia frigida, craſſa, ex grauitate & loci frigiditate, ex commotione cum ſonitu: & quia læſio cum frigidis augetur, cognoſces cauſam eſſe in neruo auditorio ex dolore. Cognoſcitur ex criſi, fieri per præcedentem morbum ad aures terminantem, & eo quòd criſi finita remouetur auditio grauis, &c. Reliqua ſigna ex relatione infirmi manifeſta erunt. Cognoſcitur à flatu fieri ex ſonitu & tinnitu.

Loci conſentientes de ſignis ſurditatis.

Auicennas quarta tertii, cap. 4. Factum à communitate cerebri ſignificat diſpoſitio in reliquis ſenſibus, ſicut in virtute matrice: præterea præceſſerunt nocumenta cerebri, ſicut ſirſen & intellectus commixtio, & reliqua quæ dicta ſunt in cap. de ægritudinibus cerebri, ſimiliter de reliquis plura habet Auicen. quem fuſius legere poteris. Lege inſuper Arcul. nam ſi omnes ad vnguem recitare voluerimus, præterquàm deceat, in mora eſſemus.

De cura ſurditatis & grauis auditus.

Si à nuda intemperie ſurditas prouenerit, per alterationem in contrarium ſanabitur, auriſque roboratione ac regimine

con

contrario diſcraſiæ indigebit, facta tamen aliquali reuulſione, ſi humorum fluxus timeatur. At ſi fuerit frigida intemperies, calidis remediis curabitur, vtpotè cum oleo laurino, coſtino, amygdalino amaro in aurem infuſo. Roborabitur auris, ſi his aliqualiter ſtyptica adhibeantur. Similiter calida intemperies cum oleo roſaceo, cum aliquantulo aceti bullito curabitur. Si verò ab intemperie cum materia morbus fiat, cogitandum eſt in primis de qualitate humoris, deinde an principaliter in aurem cõtineatur, an aliunde tranſmittatur. Et tunc in curatione ſcopi erunt quinque, euacuare ſcilicet reuellere, membrũ mandans corrigere, deinde cauſam coniũctam educere & reſoluere deniq; deſcraſiam alterare, & regimen in contrarium inſtituere. Calida igitur intemperies cum materia euacuabitur per χολαγωγα pharmaca, ſicut cum decoctione fructuum, rheubarbaro, pilulis aureis, &c. Frigida materia per ſectionem venæ vel cum chochiis & agarico. Reuellitur etiam materia ac deriuatur per maſticatoria, per errhina, caputpurgia, & per ea quæ pluries à me dicta ſunt, imò etiam per cauteria commiſſuræ coronali applicita. Corrigitur membrum mandans euacuando, corroborando, & eius intemperiem alte-

rando

rando. Causa coniuncta resoluitur in causa frigida per exercitium, clamores, & vociferationes in aure, vel per ea quæ in aures iniiciuntur, vel extrinsecè applicantur, veluti sunt suffumigia, emplastra, &c. vel lotiones cum aqua thermarum. Regimen in contrarium ordinetur, &c.

Loci consentientes de cura surditatis.

De cura surditatis sine materia loquitur Auicennas quarta tertii. tra. 1. cap. 5. ibi, Quod si illic est caliditas tantùm, tũc cum infrigidãtibus curetur ex oleis & aliis, aut succo granati, ita vt bulliat in cortice suo cum aliquantulo aceti, thuris, & olei rosacei, & destilletur in ipsam aqua lactucæ aut solatri. Illi verò quod factum est á frigore conferunt omnia olea calida, in quibus sit dissolutum castoreum, &c. De cura intemperiei cum materia, Alexander libro primo, capite 32. inquit, Quando bilioſi humores ad caput delati surditatem inducũt, non difficulter succurritur, modò venter per χολάγωγα sedulò euacuetur. At si malum ex crassis & crudis humoribus oriatur, principio statim medicamento purgante euacuandum, vtputa cum oxymelle Iuliana, vel hiera, vel eo quod constat ex euphorbio. B. De hac compositione quæ-

para

paratur ex euphorbio meminit Mesues cap.de surditate,& modum parandi docet: sed in pondere ipse decipitur, quum loco scrupulorum quatuor vsque ad sex, ipse à vix quatuor drachmis vsque ad septem in ouo sorbili exhiberi iubet,quam quantitatem oui cortex absque vitello & albumine caperet.Auicen.loc cit.In eo quod est cholericum oportet,vt euacuetur cholera cum solutiuo ventris: nam vt plurimùm cum solutione ventris surditas remouetur, si vera materia frigida,&c.

Paulus libro 3.cap. περὶ δυσηκοίας καὶ κωφώσεως, At ex crudis crassísque humoribus prognatas surditates, vel grauem auditum venæ incisione curato,aut omnino purgatione ex hiera.

De reuulsione habes Alexand. locum in primo libro,capit.32. ibi, Purgatione verò egregriè facta, vtendum est apophlegmatismis, quibus per os capitis pituita purgatur & ἐρρίνοις καὶ φαρμακοῖς, &c. Vide de his latiùs Mesuen & Arcul.De resolutione loquitur Auicennas loco suprà citato ibi, Et exercitium est vehementis iuuaminis, & similiter vociferatio vehemens in aure, & clamores buccinarum:& quando que ponitur in aure caput ambubæ, vt ad ipsam peruenire, faciat vaporem decoctionum

resol

resoluentium, & confert succus rutæ cum melle & castoreo, &c. Obseruentur quæcunque dicta sunt in capite de dolore auris.

Conferentia & acuentia auditum.

Confert & acuit auditum vapor siue fumus aceti, succus aristologiæ cum melle, succus foliorum capparorum, vel oleum decoctionis eius radicis, castoreum, cucumeris asinini succus, acetū decoctionis hellebori nigri, flos aeris qui ex eo albus est, tritus & insufflatus, delet antiquam surditatem. Auic. oleum decoctionis seminis laurcolæ, mercurialis cum vino instillata serpentaria, suffumigium sulphuris, radix brioniæ & vitis albæ, oleum laterinum, albuchassis, oleum cucumeris syluestris, amygdalarum amararum de been, oleum laurinum, sotira Nicolai iniecta auditum reddit, theriaca magna, pilulæ aggregatiuæ, hieralogodion, & fel, & vrina capræ cum galbano.

De prognosticis surditatis.

Hippoc. aphor. 4. aphoris. 28. Quibus bilioſæ deiectiones superueniente surditate cessant & quibus surditas superueniētibus deiectionibus cessat. B. Intellige cessare surditatem ex deiectionibus, præsertim si à febribus vel bile ad cerebrum mota ipsa fieret, nam in cæteris casibus locum non haberet Aphoris.

Paul.lib.3. cap.cit. Quæ ab origine, vel à prima natali die, sed longissimæ & absolutæ surditates cõstituuntur, nullo remedio eliduntur. Quæ verò non absolutæ, sed diuturnæ sunt: ipsæ etiam nullã curã recipiunt, aut certè difficillimam, &c. id est, quæ ab origine fiunt surditates, arte curari non possunt: siquidem neruus auditorius meatũ forte non habet, vnde species soni hauriat, vel si habet, locum fortè non occupat, quem iure possidere deberet: aut vehemens adeò inest obstructio ex carne oborta, vt minimè curationem admittat. Vide de his Mesuẽ Hippoc. aphor.4.aphor.60. Quibus in febribus aures obsurduerunt, sanguis ex naribus fluens aut aluus turbata soluit.

De Parotidibus.

Parotides sunt abscessus post aures de genere inflammationum, quæ accidunt in carnibus glandulosis, sicuti in emunctoriis.

Loci consentientes de parotidibus.

Paul. lib.3. Parotis est glandularum sub ipsis auribus passio. Galenus 3. de compos. medic.per loc. cap.3. Parotides ex genere inflammationum sunt, fiúntque glandulis circa aures affectis. Iridem ait Aet.ser. 6.cap.89. Auicenna quarta tertij, cap. 24. Hæc apostemata sunt ex genere apostematum

matum accidentium in carnibus mollibus & propriè glandulosis, & nominantur nascẽtia auris, &c.

De causis parotidum.

Parotides vel à parte vel à toto fieri possunt. A parte, obstructis in capite humoribus: à toto corpore, si qua fuerit crisis in febribus. Hoc autem contingit ob eam quæ est in febribus caliditatem, relata multitudine ad caput. Fiunt interdum à materia sanguinea aut bililosa, interdum à pituitosa, aut melancholica, aut venenosa iuxta semitam epidimiæ, &c.

Loci de causis parotidum.

Paul. libr. 3. cap. 23. Parotis fit à materia morbi illic emanante, modò à capite humoribus in eo obstructis, modò à reliquo corpore in febribus crisim expertis oritur, &c. Quod in febribus ob earum caliditatem fiant abscessus, lege 4. aphor. Gal. cõment. 31. ibi, Lassitudinem habentibus in febribus, &c. Auicen loc. cit. cap. 23. Et hæc apostemata omnino fiunt à materia sanguinea aut cholerica, & quandoque melancholica aut phegmarica, & quandoque ex his mixta. Vide latius in hoc Arcul. & reliquos practicantes, &c.

Alexan. libr. 1. cap. 34. Parotidum igitur

aliæ originem ad copiosum sanguinẽ referunt, aliæ ad tenuem calidum & bilioſum humorem, aliæ ad gelidum crassúmque ſuccum, &c.

De indiciis parotidum

Si fierent à ſanguine, rubor loci, dolor, febris ſequens, caliditas, grauitas, manifestè indicant. Si à bile, erysipelas, dolor punctorius vel mordicans, febris ſuccedens, color pallidus, pauca grauitas aderit. Si à pituita in compreſſione aderit inũdatio, color albus, vel rubedo ad albedinem decliuis, dolor non intenſus, nec ſequitur febris, niſi dum pus conficitur, adeſt etiam grauitas. Si à melancholia, durities, nullus ferè dolor & color liuidus oſtendunt.

Loci de indiciis parotidum.

Auic. loc. cit. Significant quòd eſt ſanguineum rubedo & grauitas, & expulſio eius apud compreſſionem & conſtrictio in meatibus, & ſignificant cholericum ex ſanguine ſubtili, dolor mordicatiuus, fiſtuloſus, id eſt corroſiuus ſine grauitate multa, &c. Alexan. loc. cit. loquitur etiam ipſe dehis indiciis, ibi, Quæ feruentis humoris plenitati adſcribuntur, dolores intentiſſimos pariunt, quæ verò tenui ſubtilíque humori, erysipelaceas inflammationes referunt, nullâque grauitate, neque

dolor

dolore locum excruciant, &c. de aliis indiciis lege latius hunc locum.

De cura parotidum.

Cura eisdémmet præsidiis, quibus alios abscessus curare solemus, perficitur, præter quod nec styptica, neque repellẽtia in morbi principio conueniunt : verùm sanguine exuberante prius sectionem venæ moliemur, qua peracta considerandum num parotides in tumorem attollatur, an adhuc altius deliteſcant: si in tumorem erumpant, tunc lenientibus mollientibúsque, ac digerentibus medicamentis vtemur, qualia sunt quæ ex farina hordeacea, ex semine lini, fœnigræci, althea, camomilla, lapatho, & infusa axungia parantur. Si verò altius deliteſcant, tunc natura cum attractoriis præsidiis, veluti cum cucurbitula & fotuum crebro vsu, adiuuanda erit. Si verò abscessus ad suppurationem se conferat, pus mouentibus vtemur, deinde sciſſa cute pus excerni cogemus: quòd si dolores interim ægrum moleſtent, his dolores mitigabimus quæ moderatè humectant ac calefaciunt, &c.

Loci de cura parotidum.

Auic. quarta tertij, cap. 25. Oportet ergo ne intendas ad curam eius inquantum exigitur ad curam apoſtematum, adhibendo

ſtyptica & apocruſtica in principio, deinde compoſitionem regiminis, deinde reſolutionem puram. Imò oportet vt incipias, & propriè quando accidit in febribus cum dolore capitis, & adiuues ad extrahendum materiam ad apoſtema cum omni ingenio & cum ventoſis, &c. Galen. 3. de compoſ. med. per loc. cap. 2. Non vtimur in parotidibus, vt in aliis partibus inflammatis, in principio repellentibus, ſed viceverſa attractoriis, vt affluentem humorem ex profundo ad cutem attrahentes, naturæ opem feramus, &c. Vide latius Aet. ſer. 6. capit. 89. Paul. lib 3. capi. cit. Si igitur altè adhuc deliteſcens parotis in tumorem non attollitur, natura debet adiuuari præſidiis, quæ coactas ſordes extrahant, vel etiam cucurbitula adglutinata, vel crebro fotuum vſu. Sin inflammatione tentata in tumorem erumpat, iis quæ leniunt & concoquunt, vtemur cataplaſmatis: at ſi ſanguis exuperare videatur, prius ſectione venæ ipſum euacuabis: deinde medicamentis vtere, quæ puri mouendo ſunt: & vbi abſceſſus ad ſuppurationem ſpectarit, cute deſciſſa pus excernetur, vel acri medicamento erumpetur, &c. Vide Alexan. Tral. longè fuſius de ſingulis his tumoribus diſſerentem.

De

De mitigando dolore lege Auicen. ibi, Si fuerit initium eius cum dolore vehemẽti, sis contentus vaporatione, &c.

De prognosticis parotidum.

Auicen. loc. cit. Et fortasse consequitur quandoque ex vehementia doloris eius vt interficiat, & apostematum, quæ fiunt sub origine auris, illud est magis incolume, quod est secundum semiram bonæ crisis. Illud verò quod est à crisi, cum qua non est signum maturationis, aut præcedit bona crisis, est malum, &c B Ratio est, quia quæcũque ante materiæ concoctionem à natura fiunt crises, malæ sunt: quæ verò cocta materia, bonę: nam satius est naturam vincere, quàm vinci. Pau. loc. cit. Si in altum recurrat colluuies, periculum haud mediocre subsequuturum est, &c. Lege etiam de his fusius Arcul. & Sauonarolam.

De narium affectionibus, & primò de polypode & ozena.

Tres inueniuntur narium propemodum similes affectus, Sarcoma, quod in descriptione polypi ponitur, Ozena, & Polypus. Sarcoma, est præternaturale incrementũ carnis in naribus. Ozena verò, est vlceratio profunda in naribus tetri odoris atque halitum emittens. Polypus verò, est quoddam sarcoma simile polypis piscibus: nam

ſicuti illi multas habent propagines, molléſ que ſunt arque augentur, ita hic quoque affectus. Differt tamen ſarcoma à polypo magnitudine tantùm & opificio, &c.

Loci conſentientes de polypode & oZena.

Gal. 3. de compoſ. medi. per loc. cap. 3. Et Paul. lib. 3. cap. 24. Polypus tumor eſt præter naturam in naribus ortus, polypodis carni ſimilis iuxta ſubſtantiæ proprietatem. Ozena verò, vlcus eſt putridum ex humorum acrium illuuie creatum. Galen. lib. finit. med. differentiam inter polypum & ſarcoma enarrat. Auic. nullum agit de polypo caput niſi illud ſit in quo de hæmorrhoidibus & alharnabeth agit, vbi carnes eſſe in naſo additas aſſerit, nec de ozena ſermonem facit, niſi fortè in capite vlcerum naſi contineatur. Vide latiùs Gale. 3. de compoſ. med. per loc. 3. ibi, Ex genere tumorum præter naturam polypodes in naribus generantur, &c.

De cauſis polypodum & ozenæ.

Ozenæ cæterorúmque vlcerũ ac tumorũ cauſæ eſſe poſſunt multiplices, ſicuti à vulnere, ab abſceſſu, ab humorũ acrium influxu, à vaporibus acutis paulatim rodentibus, donec vlcera pullulent. Cauſæ etiam eſſe poſſunt quæcunque hæc omnia irri-

tare

tare possunt. Similiter polypodes fiunt ex humoribus crassis à cerebro ad nares influentibus, vel ex ipsarum narium nutrimento, à facultate nutritoria & auctrice, in carnem mutato. &c.

Loci de causis polypodum & ozenæ.

Gal. 3. de compo. med. per loc. ca. 3. Manifestum est affectionem hanc polypodis ex crassis & viscosis humoribus generari, & ozenæ ex humorum acrium & putrescibiliũ influxu generãtur, ita vt si acres solùm sint, ægrè curabilia vlcera producere consueuerunt, non tamen graueolentia. Auic. quarta tertij, de vlcer in naso, cap. 3. Quandoque generãtur vlcera in naso ex vapor.bus acutis aut malis, aut catarrhis acutis, &c. De his legito accuratius Alexan. lib. [illegible].cap. [illegible]. Et Paul. ibi, Ozena est vlcus ex humorum acriũ illuuie creatum, &c.

De polypodis & ozenæ cura.

His ambobus curandi scopus idem est, vt primum corpus euacuetur, materiáque per reuulsionem ac deriuationem adhuc fluens intercipiatur, capútque firmetur ac corroboretur: quo corrobarato ad narium curationem progrediendum, ita vt in ozenis affecta pars tum per repellentia, tum discutientia pharmaca reficcetur, sed in

polypo partim adstringant, partim siccent ac extenuent, partim discutiant ac condensent. Si igitur totius corporis humorum copiæ indicia adsint, euacuatio prius aut per sanguinis missionem, aut purgatione per hieram perficietur: deinde loco indantur remedia. Cura ozenæ erit prout de vlceribus aurium dictum est. Polypodis verò cura fiet, si cum filo tenui ligetur, & in radice sua incidatur: & vbi æger manualem abominatur operationem, procurandum est vt acribus medicamentis polypus extirpetur, sicut cum puluere corticum granatorum, arsenico, ære vsto, nitro, cantharidibus, &c.

Loci de cura polypodis & ozenæ.

Galen. 3. de compos. med. per loc. capit. 1. Cæterùm curatio vtrisque his communis ozena & polypodi, vt primùm caput siccetur, firmetur, & corroboretur, quum palàm sit, ob vitiatorum humorum redundantiam defluxum ex eo prouenire: quo roborato, ad naris curationem progredieris, scopo in ozenis proposito, vt affecta pars per mixtæ facultatis pharmaca, tum repellentia, tum discutientia, resiceetur. Repellunt austera & acerba, quæ adstringentia dicuntur: discutiunt verò calida

da & ſicca facultate prædita. Similiter in polypode mixta materia medicamẽraria opus eſt, vt partim aſtringat, partim ſiccet & attenuet, partim diſcutiat & condenſet, &c. Paul. lib. 3. cap. 24. itidem ait, ibi, Quum totius corporis humorũ copiæ ſuſpicio fuerit, hæc prius aut ſanguinis dimiſſione aut purgatione ex hiera euacuetur, &c. Auicen. & Meſ. curationem polypodis manualem docent, per inciſionem & cauterium cum ferro ignito, aut acri medicamine, quos, ſi lubeat, leges. Hercul. recitat vng. de quo inquit, modernos ſe profiteri omnem polypum & carcinoma curare, & eſt medicina fortis, cuius operatio durat tribus diebus, ſed circunſtantes partes cum defenſiuis & ſiccis frigidis defendantur, cuius deſcriptio hæc eſt. Recipe, cantharidarum p. j. arſenici ſublimati p. ß. vel pl⁹ & minus, prout fortius aut imbecillius operari deſideras, & cum oxymelle ſimplici aut ſapone nigro fiat vnguentum: caue tamen membra principalia: nam tota vis in arſenico reponitur, &c.

Polypum & oxenas curantia.

Faciunt ad remotionem polypi, puluis antimonii, arſenici, ariſtologiæ, calcanti, ciclaminis, dragonteæ, æris vſti, floris æris cum melle vel lucco ſerpentariæ, ſuccus mali granati, videlicet granorum eius

acet

acetosorum cum ossibus suis cum melle coctus ad spissitudinem, hermodactilus cum ære visto. Faciunt etiam ad vlcera narium, aloes, aristologia, auri pigmentum, ciperus, ciclamen, licium, plantago, sicla, sumach, bleta, &c.

De polypi & oζenæ prognosticis.

Auic. quinta tertij, cap. 2. Carnes additæ si sunt, molles, albæ, & non sit in eis dolor, sunt facilis curationis. Quæ verò sunt rubeæ aut fuscæ, vehementis doloris, cum sanie fœtida, sunt difficilis curæ. B. Molles, quia pituitosa facilè curationem admittunt, sed liuidæ difficulter, quum cancri propemodum naturam sapiant. Mesu. cap. de polyp. nar. Polypus qui fit in naribus durus, niger, & non tractabilis, & mollis & putridus & fœtidus, fortassis non sanatur, sed qui elongatur & pendet, habens radicem gracilem, non nimis profundatam, curatur per incisionem, &c.

De dolore dentium.

Manifestum est quid sit dolor dentium, sed locus doloris adeò latet, vt vix à medico diuinari possit. Qua de re triplex erit doloris locus, aut in substantia ipsius dentis, aut in neruo ad radicem dentis prostrato, aut in gingiuarum substantia inflammationem patiente, &c.

Loci

Loci consentientes de dolores dentium.

Gal.5.de compos.med.per loc.cap.8. Ex dentium affectionibus aliquæ euidenter apparent,veluti quum perforati,denigrati aut detriti sunt, aut frigida nec calida ferunt, sed ab vtrisque aut ab altero solo dolor eis contingit:aliquæ non manifestè apparent, veluti quum circa corpus dentis in profundo obortus sentitur,&c. lege de his Paul.li. 3.cap.26.& Auic.septima tertij,cap.4.

De causis doloris dentium.

Causa doloris dentium aut est mala intemperies, aut solusa continuitas. Si mala intemperies,vel nuda erit,vel cum materia: quæ si fuerit multa,partes extendens, dolorem excitabit:si verò pauca, tenuis & acris, tunc vlcus inde orietur , & per consequens dolor:at si erit intemperies nuda absque materia,tunc erit vel flatuosa,vel nimis calida & frigida,&c.

Loci consentientes de causis doloris dentium.

Auic. septima tertij, cap.4.Causæ doloris dentium sunt aut malitia complexionis pura cum frigore & calore, aut est cum materia aut ventositate: si cum materia vel hæc est multa vel pauca,crassa vel acuta:aut materia apostemans dentem , vel erodens,

vel

vel vermem nasci faciens, & tunc vel à capite, vel à stomacho, vel à toto, vt in febribus materia descendit, &c.

Galen. 5. de compos. med. per loc. capit. 8. Perforantur dentes ex acriũ ac rodentium humorum influxu, velut vlcera in cute citra externam causam: similiter dentes liuidi siue denigrati ex humorum vitiatorum influxu fiunt, &c.

De signis doloris dentium.

Dentes esse affectos cognoscimus ex sua nigredine vel corrosione: sed si in suo permanserint colore, inquirendum est, num malus color in gingiua videatur, aut si tumida, aut quid erosionis vel putrefactionis in se habeat: nam tunc ex se dens non dolet, sed ex mala affectione in gingiua: verũ si nihil horum adfuerit, coniecturandum est affectionem esse in neruo, præsertim si dolor in profundo sentiatur. Cognosces etiam hæc, si gingiuam gingiuæ, vel dentem denti comparaueris: ita etiam mala intemperies siue calida siue frigida, per colorem cognoscitur, vt si pallida, rubea, alba, item ex applicitis, iuuantibus ac nocentibus, &c.

Loci consentientes de signis doloris dentium.

Gal. 5. de comp. medi. per loc. ca. 8. Si dentes

tes liuidi per omnem ſuam ſubſtantiam facti appareant, nihil mirum eſt ipſos quid inflammationi ſimile pati, &c.

Auic. ſeptima tertij, cap. 5. omnia ferè recitat quæ à me nuper relata ſunt. Vide inſuper Arcul. 9. almans. & Meſu. ca. proprio.

De cura doloris dentium.

Cura duplex eſt, vniuerſalis & particularis. Vniuerſalis in ſe continet euacuationem, reuulſionem, & fluxus cohibitionem. Euacuatio fit vel per ſectionem venæ, aut ventris ſolutionem, præſertim vbi abſceſſus aliquis, aut ſanguinis copia in cauſa fuerit. Secetur igitur primùm vena cephalica, deinde quæ ſub lingua latet. Reuulſio fiat cum cucurbitulis & extremarum partium frictionibus, &c. Fluxus cohibetur per pilulas alchaiber nominatas. Cura particularis duplex, regularis & coacta. Regularis erit in materia calida, vt primùm deſtillationes repellantur cum frigidis, ſicut roſa, myrrho, camphora, &c. deinde repellentibus diſcutientia commiſceantur, & in fine reſoluentia & maturantia, prout ad inflammationem pluries dictum eſt, adhibeãtur. Cura coacta conſiſtit in auferendo ſenſum, quo ablato dolor ſedatur. Si verò inflammatio fuerit in neruo dentis, tunc dens eradicandus erit. Si verò præ mollitie dens,

eroſus

eroſus ſit, reddere oportet eum duriorem per auſtera & acerba medicamina, ſi liuidi & nigri, per reſiccantia pharmaca.

Loci conſentientes de cura doloris dentium.

Galen. 5. de compoſ. medi. per loc. capit. 8. Eroſiones dentium, ſiue cauernæ, per exiccationem influentis humoris vitioſi ſanantur: qui ſi paucus fuerit, ex localibus auxiliis exiccantibus medela ſufficit: ſi multus influens humor, vniuerſi capitis rationem habere conuenit: ſed ſi caput à reliquo corpore afficiatur, totius corporis cura gerenda eſt. Porrò eroſos dentes, qui præ mollitie perpeſſi ſunt reddere oportet duriores per auſtera & acerba medicamenta. Simili etiam cura indigent liuidi & denigrati cum perforatis per reſiccantia pharmaca, &c. Auicen. ſeptima tertij, cap. 6. Inquirendum an per ſe vel per conſenſum fiat dolor: ſi per conſenſum, incipe ab euacuatione membri conſentientis cum phlebotomia, & ventris ſolutione, cum hiera aut ſcamonio: ſi verò per ſe, cum ſcarificatione, & ſimilibus: deinde ſi materia calida, cum frigidis: ſi frigida, cum calidis: ſi ſicca cum humectantibus & dolorem lenientibus: ſi fuerit in cauſa ſiccitas confert vt fricetur dens cum butyro & adipe anatis, &c. Meſu. Intentio

rentio in cura duplex est, vniuersalis & particularis: vniuersalis habet tres res, prima est euacuatio, &c. Vide eum fusius: vide etiam Arcul. 9. almans. cap. proprio, & alios practicantes. &c.

Obseruatio in cura doloris dentium.

Gal. 5. de compos. med. per loc. cap 9. In dolore dentium citra gingiuarum inflammationem, siue in proprio dentium corpore, siue in neruo dolor fiat, vehementissimis opus est medicamentis, siue quis velit repellere, siue discutere doloris causam, siue humor sit, siue ventus, & propterea omnia acerrimo aceto præparentur, &c.

Nocentia dentibus.

Nocet dentibus, brassica dactyli, gumæ, granata dulcia, lac, nix, porrum, raphanus.

Curantia dolores dentium.

Ad dolorem dentium valent acetum, vinum decoctionis acetosæ, acorus, aphodillus, allij decoctum cũ pini ligno & olibano, alumen, amygdalarum folia in aceto cocta, assa been, betonica, borax. Pulsationem dentis mirabiliter tollit chameleontis nigri decoctio, cappares, lac capræ, radix chelidoniæ, cypressus, colocynthis, cornu cerui decoctum, radix cucumæ ma-

sticaca, hedera, galla, gith, gramen, lacca, malua, melliſſa, mezerū, morus, naſturcium peucedanum, pinus, pirethrū, portulaca, roſmarinus, ſandaraca roſa, ruta, ſumach, ſaxifragia, hyſſopus, ſparagus, oleū vermium tetreitrium, myrthynum de citro, de vitellis ouorum, oleum benedictum. Nic. & dentifricium Democriti. Auicen. tra. 4. ſum. 25. medicamen' Adronici. Auicen. eodem in loco. mitridatū Nic. Sotira. Auic. prima quinti, &c. Reſeruant ad dolorem dentium, ſuccus ceparum, ſanguis teſtudinis marinæ fricatus, &c.

De doloris dentium prognoſticis

Auic. tertia tertij, cap. 5. Si affectio fuerit in gingiua, nunquam remouebitur dolor cum dentis extirpatione: ſi verò in neruo fuerit, nec per remotionem dentis interdum remouetur, & interdum iuuat. B. Quod dentis eradicatio minimè vtilis ſit, omnibus notum eſt: at ſi in neruo fuerit, exempto dente facilè curatur, quum materia quæ prius cum dente erat retenta, exitum habeat: non iuuat interdum, quum materia ſit craſſa & neruo nimis adhæreat, &c. Hipp. 4. aphor. aphor. 53. Quibus circa dentes in febribus quidam lentores naſcuntur, iis fortes fiunt febres. Lege etiam prognoſt

gnoſt.1.tex.24.ibi,Si quis ſtudeat dentibus non conſuetus à pueritia ita facere malum.

Authores erronei diſſentientes circa dolores dentium.

1 Adſerere, dentes per ſe dolorẽ poſſe pati cum Zoar.primo Theiſir.

2 Adſerere,dolores dentium magis affici à calido,quàm à frigido.

3 Adſerere,dentes ab aliis oſſibus non differre.

4 Adſerere,in dentibus non poſſe apoſtema ſpurium fieri.

Confutatio diſſentientium circa dolores dentium

Ad primum,Ariſt.1.& 3.de anima, Pilis, oſſibus, vnguibus nullus eſt ſenſus, quum ſint naturæ terreæ, propter quod etiam plantæ nullum habent ſenſum : ſed dentes ſunt oſſa per Auic.prima primi, ca.de anoth. oſſium, & ſecundo de generatione animalium cap. 6. igitur dolorem non patiuntur : nec obſtat dictũ Gal.3.de ſympt.cau. nec Ariſt. problem.2.& 3. cap.6. problem.22. vbi habetur,quòd dẽtes celeriter & dolent,& ſentiunt frigus & ſic patiuntur:nam hoc nõ per ſe,ſed potius per accidens euenit.

Ad ſecundum Hipp.aph.5.aph.18. Frigidum inimicum oſſibus, dentibus, neruis, cerebro, ſpinali medullæ, calidum verò

vtile, vbi Gal. Quæcunque partes sunt natura frigidiores & penitus exangues, citius ac magis à frigido offenduntur, quàm à calido, &c.

Ad tertium, Arist. 2. de generatione animalium cap. 6. & 2. de anima, inquit, quòd ossa nõ crescunt, ibi, Omnium natura constantium impositus est finis magnitudinis & augmenti, sed dentes crescunt, vt patet experientia, igitur ab aliis ossibus differunt: alioqui in contritione & contactu, nisi crescerent, omnino contriti perderentur.

Ad quartum respondet Serapio 2. de dentibus, ibi, Si dentes in suo toto corpore viriditatem accipiunt: tunc non mirandum si consequatur eos, quod simile sit apostematis. Vel dic posse apostemari per viam congestionis, id est, ex superfluitate nutrimenti, non per viam rheumatis, sicut alia apostemata. Lege Concil. tra. 96.

De ginginarum affectionibus.

Accidunt gingiuis inflammationes, vlcera serpentia parulis & epulis. Inflammatio est calidi sanguinis influxus. Parulis, est alicuius partis inflammatio, quæ nisi discussa fuerit, in suppurationem vertitur. Epulis, est carnis excrescentia, quæ ab

inflam

inflammatione contracta ad intimos molares dentes pertinet, nonnunquam cum febre & dolore, &c.

Loci conſentientes de gingiuarum affectionibus.

Gal. 6. de comp. med. per loc. cap. 1. Inflãmatio eſt calidi ſanguinis influxus, &c. Aët. ſer. 8. cap. 24. Parulis eſt inflammatio alicuius partis gingiuarum cum tumore, quæ vbi non diſſoluitur, ſuppuratur. Epulis verò, eſt excreſcentia carnis ab inflammatione conſequuta iuxta interiorem dentem molarem, aliquando cum febre & vehementi dolore internarum mãdibularum, vt neque os ægro aperire liceat, contingens, &c. Lege de his etiam Paulum.

De cauſis gingiuarum affectuum.

Cauſa vel eſt extrinſecà vel intrinſeca: ſi extrinſeca, tunc erit vel pluuioſa conſtitutio calida & humida, vel cæteræ diſpoſitiones ad humorum putredinem paratæ. Si intrinſeca, vel à parte ortum habet, vel à toto: à parte, ſicuti à capite vel à ſtomacho: à toto, ſicuti in febribus, vaporibus ſcilicet ad gingiuas peruenientibus, ex quibus vlcera & inflammationes oriuntur, eo quòd in hac oris partes tam tenues & debiles facillimè imprimantur, &c.

Loci consentientes de causis affectuum gingiuarum.

Auic. octaua tertij, c. 1. Gingiuæ accidũt apostemata causa materiei descẽdentis ad ipsam secundũ plurimũ ex capite, & quandoque ex communitate stomachi, & quandoque accidunt in principio hydropisis ex malitia formæ, ob id quod ex vaporibus corruptis ad eam eleuatur, &c.

De signis affectionum gingiuarum.

Cognoscitur humor putridus per colorem & tactum: nam cognitio nostra quæ per visum quandoque decipitur, ex tactu interdum certior fit: ex tactu enim omnes qualitates percipimus, vt durum, molle, calidum, frigidum: interdum inflammationes & vlcera per se manifesta sunt, & plerunque cum febre fiunt.

Loci consentientes de signis affectionum gingiuarum.

Auic. loc. cit. Et significatur genus materiei per colorem & tactum, & quandoque sunt ex eis manifesta, recentia, velocia ad suscipiendam curam, &c.

De cura affectionum gingiuarum.

Vbi totum corpus apparuerit, aut multitudine humorũ refertum, aut eorũ malitia vitiatum, primùm antequàm ad topica peruenias,

uenias per sectionem venæ, per purgationem ac inediam curabis: quum verò ad topica acceſſeris, duo ſcopi erunt conſiderandi: alter ab ipſius affectionis indicatione, alter à particulæ quæ curatur natura. In ipſa affectione conuenit vt in principio id quod influit, repellatur. Repellentia ſunt quæ adſtringendi vim habent, poſt principium vſque ad morbi finẽ pharmaco opus eſt repellente & diſcutiẽte, ſed primò tempore adſtringens præcellat, in fine verò diſcutiens, intermedio tẽpore æquales vtriuſque partes ſint. Si verò quid induratum de inflammatione relinquatur, non ſunt adſtringentia cum diſcuſſoriis miſcenda, ſed ita curandum, vt concoctoria præcedant ad diſcuſſoria. In particulæ natura, conſideretur ſuperficiem oris eſſe cute totum corpus ambiente molliorem ac rariorem. qua de re non fortibus auxiliis indiget, &c. Cura parulidis fiet per diſcuſſoria, antequã ſuppuretur, ſicuti per collutiones ex decocto ſeminis lini, ſed epulidis inflammatio cum diſcuſſoriis ac ſiccis deprimẽtibus auferetur, &c.

Loci conſentientes de cura affectionum gingiuarum.

Gal. 6. de compoſ. med. per loc. cap. 1. eandẽmet methodum enarrat, quam nuper re-

tulimus, sed longè satis fusiorē. Aët. ser. 8. cap. 24. & 25. Parulis dissoluenda est antequàm suppuretur per collutiones, quales sunt, succus ptisanæ, decoctum seminis lini, deinde siccis deprimenda est carnis eminentia. Similiter epulis inflammatio cum dissoluentibus & siccis deprimentibus curanda est: quòd si suppurentur, incidantur, & vlcus per collutiones curetur. habes remedia epulidis ex Gale. 5. de compos. med. per loc. cap 9. & à Pau. lib. 3. cap 26.

Auicen. octaua tertij, cap. 2. loquens de inflammatione, inquit, Si materia est superfluitas calida, tunc administra euacuationem & phlebotomiam, & cura in principio cum collutionibus oris infrigidantibus, & sit in eis stypticitas, sicut aqua myrthi, & foliorum frigidorum stypticorum, & decoctio balaustiarum glandium, & succus portulacæ, arnogloſſæ, &c. Lege de his Galenum fusius in loco nuper citato, &c.

Obseruationes de repellentibus & discutientibus.

Gal. 5. de compos. med. per loc. cap. 9. Inflammationes repellentibus citra asperitatem & discutientibus sine asperitate indigent. Hoc idem refert etiam Aët. ser. 8. cap 20. Gale. 6. de compos. med. per loc. capit. 1. Quum gingiuarum caro sit mollis

&

& rara, idcirco fortibus auxilijs non indiget. Vitentur insuauia ob eius sensum, item venenosa, ne ob ducs meatus subiacentes aliquid in ventrem vel pulmonem influat, &c.

De linguæ batracho.

Ranunculus, Græcè βάτραχος dictus, est tumor venarum quæ potissimum sub lingua cõtinentur. Sunt inter Auicẽnianos qui hũc morbum appellent glandulam. Crescit ac si noua lingua oriretur: vnde sunt qui velint carnem additam esse linguæ batrachũ, alij apostema pituitosum.

Loci de linguæ batracho.

Paul. lib 3. cap. 26. Batrachus, tumor est ad inflammationis similitudinem, sub lingua erumpens, maximè in pueris. Idem adserit Aët. ser. 8. cap. 37.

De batrachi causa.

Si tumor fuerit pituitosus, omnino ab humiditate viscosa à capite descendente fiet: si verò caro addita, tunc fiet sicuti & alia caro, &c.

Loci consentientes de batrachi causis.

Auicen. sexta tertij, capitu. 17. Et causa eius est humiditas viscosa, &c. vide ipsum fusius.

De batrachi indiciis.

Cognoscitur, quia similis est ranæ in colore, quum superficiei & venarum linguæ tumor sit, &c.

Loci consentientes de batrachi indiciis.

Auic. loc. cit. Est similis glandulæ duræ existentis sub lingua, cuius color est similis colori composito ex colore superficiei linguæ & venarum quæ sunt in ea, & est similis ranæ, &c.

De batrachi curatione.

Considerandum in primis est, num in puerulis, an in perfectæ ætatis hominibus cura fieri debeat: nam si in puerulis, tunc collutiones tantùm conueniunt: si verò in maturis hominibus, tunc primùm sectio venæ sub lingua: & si ranunculus magnus fuerit, oportet vt scindatur & extrahatur. Verùm in primis experiendæ sunt medicinæ corrosiuæ, incisiuæ ac resolutiuæ: deinde si nihil profeceris, nil erit quod ab operatione manus te excuset. Medicinæ igitur in principio parantur ex sale ammoniaco, & gallis, & diu fricetur locus, deinde flore æris, dragacanto, & similibus vti poteris, &c.

Loci consentientes de batrachi curatione.

Aët. ser. 8. cap. 37. In cura hoc discrimi-

nis

nis est, vt aliter in pueris, ac in perfectæ ætatis hominibus medendum sit, si quidem iis sectio venæ sub lingua, illis verò colluciones tantùm conueniũt. lege de his Paul. lib. 3. cap. cit.

Auicen. sexta tertij, cap. 18. Experiantur in ipsa medicinæ corrosiuæ, incisiuæ, resolutiuæ, in quibus est superflua exiccatio, vt sal ammoniacus, & fricatio cũ flore æris, & dragacanto, & administrentur phlebotomiæ sub lingua & medicina fortis alcola: si autem non valuerint, non erit excusatio ab operatione manus, &c.

De aphthis, id est, oris vlceribus.

Quas Græci ἄφθας dicunt, Auicenniani alcola, nos pustulas in superficie oris appellamus, &c.

Loci consentientes de aphthis.

Gal. 6. de comp. med. per loc. cap. 4. Aphthæ sunt vlcerationes in superficie oris obortæ, habentes quidpiam caliditatis igneæ, &c.

Aët. ser. 8. cap. 39. idem refert. Auicen. sexta tertij, cap. 23. agit de his sub nomine alcola & vlceribus malignis, &c. Vide Hippoc. 3. aphoris. aphor. 24. ibi, In ætatibus talia contingunt paruis & nuper natis puerulis, oris vlcera quæ aphthæ vocantur, &c.

De

De cauſis aphtharum, id eſt, auris vlcerum.

Fiunt aut à lacte nutricis vitiato, aut ex humorum vitioſorum ad hos influxu, aut ab acredine eorum quæ bibuntur ac comeduntur, &c.

Loci conſentientes de cauſis aphtharum.

Galen. 6. de compoſ. med. per loc. cap. 4. Fiunt vt plurimùm pueris lactentibus, quum vitioſum fuerit nutricis lac, aut non probè ipſum concoxerit infans, &c. Auic. ſexta tertij, cap. 23. Non accidunt eis niſi propter malitiam lactis, aut malitiam digeſtionis eius in ſtomachis ipſorũ, & quandoque accidit ex humore omni. Aët. loc. cit. Fiunt etiam in his qui ad perfectã ætatem peruenerũt, tum propter vitioſorum humorum ad os defluxum, tum propter acredinem eorum quæ bibuntur ac comeduntur, &c. lege aphoriſ. 3. Gale. comment. 24. ibi, Cauſa harum nil aliud eſt quàm mollities inſtrumentorum, quæ neque tactum, neque lactis ſuſtinent qualitatem. Et com. 32. eiuſdem, vbi, inquit, à ſubſtantiam tenuem habentibus, & à mordacibus humoribus fieri, &c.

De aphtharum indiciis.

Cognoſcuntur ex tactu & viſu aphthæ:

ex

ex tactu, dum color & tumor excitantur: visu cognoscuntur ob colorem, nam albus pituitam, flauus bilem, rubeus sanguinem, & niger atram bilem significat, &c.

Loci consentientes de aphtharum indicijs.

Aët. ser. 8. cap. 39. Cognitio omnium facilis est, vt pote visui & tactui subiecta: ad tactum, quia calidiores quàm expediat loci sunt, tumoréque excitantur: visu verò cognoscuntur ob colorem, nam rubicundiores à sanguine, &c.

Auicen. sexta tertij, cap. 23. Cognoscitur ex colore suo: album enim est plegmaticum ex phlegmate salso in pluribus, & citrinum est cholericum vehementioris inflammationis quàm alia, & nigrum est melancholicum & rubeum, clarum est sanguineum, &c.

De cura aphtharum.

In primis curandum est, vt humor ex quo vlcerationes fiunt, statim euacuetur, deinde fiat venæ sectio: nam in his vlceribus maximè cõducit: quibus peractis, tũc si subrubræ fuerint vlcerationes, vti oportet refrigerantibus, & moderatè adstringentibus à principio præsertim & in puerulis, deinde his q̃ citra mordaciatẽ discutiũt. Si verò subflauæ fuerint, tunc similibus vtendũ, sed frigidioribus

ribus: si nigræ, discutiẽtibus, &c. In adultis verò efficacioribus remediis vtendum, &c.

Loci consentientes de cura aphtharum.

Auicen. loc. cit. cap. 24. Oportet vt intendatur primò humori dominanti & facienti alcola, & euacuetur ex corpore toto, si est dominus, deinde phlebotometur ex venis quæ sunt sub mento. Phlebotomia enim confert omnibus ægritudinibus oris calidis, &c. Galen. 6 de compos. med. per loc. cap. 4. Quæ in superficie tantùm sunt, facilè ex moderatè adstringentibus curantur: quæ verò diuturna & depascentia sunt, fortioribus remediis vtendum. Aët. ser. & loc. cit. Si subrubræ infantium vlcerationes fuerint à principio cum his quæ mediocriter adstringunt & refrigerant: deinde his quæ citra mordacitatem discutiunt: si subflauæ, iisdem similiter vtendum, verùm magis frigidis, &c.

Obseruatio in cura aphtharum.

Auic. sexta tertij, cap. 24. Et oportet vt alienet omnia olea, vsque ad oleum de oliuis, &c.

Aphthis nocentia.

Nocent ori & palato quædam species brassicæ & capparorum, lacticinia, melongia, nuces, raphanus.

Aph

Aphthas curantia.

Ad vlcera oris prosunt absinthium, omphacium, alumen, butyrũ, camomilla, camphora, acatia, aloës, verbena, lutum armenum, plantago, rosa, rubus, spodium, dragacantum cum amylo, & aqua rosacea dissolutum, granata mala, galla, oliua, malua, litium, lac, aphodillus, &c.

De aphtharum prognosticis.

Auic. loc. cit. Cholericum est vehementis inflammationis, sed omnibus malignius est melancholicum siue cum apostemate siue singulare sit. Et omne vlcus eueniens in superficie oris est velox ad dilatandum. B. Scitò vlcera in temporibus pluuiosis & in febribus pestiferis multiplicari. Quòd verò vlcus facilè dilatetur, vt ait Auicen. ex eo fortè contingit, quòd locus in quo vlcera fiunt, calliditate non deficit, & cutis mollis & humida facilius vlceratur. Pau. lib. 1. cap. 10. Quod modo crustæ nigrescit, omnium pernicioſiſſimum & lethale est, &c.

IO-

IOANNIS BACCHANELLI REGIENSIS,

De consensu Medicorum in curandis morbis,

Lib. III.

De tonsillarum columellaq; inflammationibus.

TOnsillæ, aliàs glandulæ, ob quandã glãdis similitudinem, à tole, qui authore Festo est faucium tumor, dictæ sunt, fiúntque circa columellam ex vtra-ij; parte infra fauces, & Græcè παρισθμοι, & Arabicè amygdalę vocãtur. κιονὶς verò siue gurgulio, vel columella (quanquã gurgulio propriè pars sit gutturis à naribus ad pulmonem, constans ex cartilagine & carne per quam spiritus meat ac remeat): accipipitur tamen pro columella caruncula, quæ dũ summa existit, gurgulio dicitur: dũ verò colũnę instar ꝑpẽdet, colũna vel columella: hæc dũ superius angusta est, & inferius rotũda, ob vuę similitudinẽ vua & vuula dicitur, dũ verò gracilescit, vel ab influxu humido laxior

laxior euadit, tanquã loro similis pendens, lorum dicitur.

Loci consentientes de tonsillis & gurgulione.

Gale. Aphor. 3. com. 26. Tonsillæ sunt locorum ad isthmum attinentium inflammationes. B. Intellige per isthmum, partem illam quæ os & gulam interiacet dictã per metaphoram. Aet. ser. 8. cap. 40. Gurgulionem quidam columellam appellant, vuæ verò nomine accipienda est quædam in eo affectio, quum vuæ acino simile summum gurgulionis apparet. Lorum verò aliam affectionem vocant, quum ex suffitis, nimiũ ignitus gracilescit, & loro similis propendet, &c.

Gal. 6. de compos. med. per loc. cap. 3. Columella carnosa quędã est particula in summo ore depẽdens, quę duobus nominibus appellatur à veteribus Græcis gargareon & cion, id est, gurgulio & columna: quanquam non cion, sed cionidem posteriores medici, id est columellam vocarint: nec dicenda vua est, tuum sit hæc gurgulionis affectio, &c. Gal. Aphor. 3. cõmen. 20 Tonsillę sunt nonnunquam solius tunicęę ventri ac gulæ & faucibus totíque ori cõmunes inflammationes, nonnunquam veaò & subiectorum ipsi musculorum, &c.

De causis tonsillarum & gargulionis.

Omnis inflammationis causa procatarctica est, vel nimia meri potio, multáque ciborum maximè acrium deuoratio. Causa verò antecedens est humorũ influxus, vel humores liquidi, quibus lingua larínxque & aspera arteria humescere solent, ad malignum redacti, vel vapores ipsi à febrili calore concitati ac elati. Causæ coniunctę sunt humores ad actum inflammationem reducentes, &c.

Loci consentientes de causis tonsillarum.

Gal. 6. de cõpos. med. per loc. cap. 3. Fiunt hæc, quemadmodum dictum est de aliis inflammationibus, ex humorum influxu, &c. Aet. ser. 8. cap. 45. Tonsillarum inflãmationes plerunque fiunt à nimia meri potione, & à multa ac auidiore ciborum deuoratione maximè acrium & asperorum, fiúntque iis maximè, qui plurimo abundant sanguine, vel pueris qui texturam habent teneram. Auic. nona tertii, cap 12. Illis quandoque accidit catharrus apostemans eas (nam de columella loquitur) ita vt prohibeat anhelitum, & quandoque mollificatui vua propter apostema, & indiget eo

quod

quod adstringit, &c. B. Scias quòd Arabes quatuor vuulæ morbos enumerant, & sunt apostema, vlcus, corrosio, & casus. Apostema fieri potest à quacunque materia, vlcus tantùm à materia vlcerante, corrosio à multa & acri materia, casus à sanguine vel à pituita gurgulionem remolliente.

De columellæ indicijs.

Cognoscitur facilè per visum, si lingua deprimatur, vel si æger in radice linguę alì quid insistere sentiat, difficultas præter hęc deglutiendi adest, item dolor, & interdum febris: cognoscuntur humores ex eorum coloribus: apostema verò, vlcera & corrosiones per se ex visu manifestantur, &c.

Loci consentientes de columellæ indicijs.

Gal. 6. de compos. med per loc. cap 3. Cognoscitur hoc si quis aperto plurimùm ore toto linguam deprimat, &c.

Aet. ser. 8. cap. 45. In tonsillarum inflammatione accidit difficultas transglutiendi, dolor, & aliquando etiam febris, &c. Vide in hoc Auicennam, qui tantam deglutiendi difficultatem interdum esse inquit, vt æger digitis suis eam comprimere cogatur, donec transglutiat, & hoc præsertim fit, quum tonsillæ & columella plus iusto humiditatis recipiunt, vel laxantur, vel

inflammationem experiuntur.

De cura tonsillarum & gurgulionis.

Si ex inflammatione periculum immineat, primò euacuãdũ per sectionem venę cubiti, deinde reuellendũ ac deriuandum cum cucurbitulis collo ac mento affixis, & cum gargarismis primò leuiter adstringẽtibus, posteà ex decocto furfure, passularũ paratis. Quòd si ad suppurationem vertantur tonsillæ, tunc fiant gargarismi ex decocto caricarum & aqua mulsa: si verò auge scat morbus, venæ sub lingna secentur, aluúsque subducatur, póstque pharmacis acribus multùm discussoriis vtendũ est. Si verò quispiam sectionẽ gurgulionis moliatur, reuera præstantius est cauterio gurgulionem resecare, quàm ferro: siquidem nullo potiore remedio tota humiditas ad illã extremitatẽ defluxa exiccabitur quàm cauterio. Vstionem siue incisionẽ fiendam denotãt vuulæ attenuatio, & si ab extremitate eius resudet veluti pus, & liuiditas eius partis appareat, &c.

Loci consentientes de cura tonsillarum & gurgulionis.

Gal. 6 de cõpos. med per loc. cap. 3. Communiter tum tonsillis, tum columella inflãmatis aut exulceratis in principio cõuenit

nit quies,inedia & cõſequens dięta, gargarisſimis ſimplices leuiter adſtringentes. In vigore morbi aluus ſubducatur, gargariſmi ex decocto ficuum aut ptiſanę ſucco,in quo paſſulæ ſint incoctæ.Si verò tonſillæ ad ſuppurationem veniunt, gargariſmi fient ex decocto ficuũ,aut aqua mulſa calida:ſi amplius augeſcat malum, & principium ſuffocationis ſuſpectũ ſit,aluus forti clyſteri vel glande ſubducatur, vena cubiti ſecetur, cucurbitulæ cũ ſcarificatione collo ac mento affigendę,fomentis ac cataplaſmatis frequentius & gargariſmis vtendum. Quòd ſi morbus ad nullum horum pręſidiorũ cedat,ſed augeatur, venæ ſub lingua ſecẽtur, aut iuxta angulos oculorum vel ea quæ in fronte eſt, &c. De ſectione gurgulionis loquitur Hippo.prognoſt.3. cap.9. tex.13.ibi, Gurgulio cum periculo ſecatur,aut vritur, & ſcarificatur, quandiu rubidus fuerit & magnus:nàm inflãmatio ad hæc conſequitur,& ſanguinis eruptio, ſed hunc oportet aliis medicamẽtis extenuare. Vbi verò ſeparatũ fuerit,quod ſane vuã vocant,extremûmque gurgulionis maius & liuidũ fuerit,ſuperior verò pars tenuior, in hoc ſanè tẽpore tutum eſt manus admoliri: præſtat autem aluo prius euacuata manũ adhibere,ſi tempus permittat,& homo non ſuffo-

cetur,&c.Auicen.nona tertii,cap.15. Consy deretur vuæ subtiliatio & detumitio, & propriè in inferiore parte eius,& si ingrossatur extremitas eius, & refundat ex ea sicut pus, tunc est melior hora incidẽdi cum ferro aut medicinis cauterizantibus, &c. B. Quoniã vocis plectrum est columella, vt Gal.de vsu partium, & in eius incisione sequatur quãdoque sanguinis profluuium, fiátque ex eius abscissione frigidior inspiratio, vnde fit vt thorace & pulmone refrigeratis quãdoque multi intereant. Idcirco cautiùs procedẽdum arbitror, ne dum partem sanare cupimus, maius nocumentum inde sequatur. Habes etiam remedia per omnia morbi tẽpora ex Aet. ser. 8. cap. 45. & à Paulo lib.3.cap.26.Vide & alios practicantes,&c.

De angina & strangulatione.

Angina quæ à Græcis κυνάγχη dicitur,est musculorum faucium interiorum inflammatio,qua fauces anguntur & strangulantur,anhelitum vel deglutionem impediẽs, sicuti παραγυνάγχη exteriorum. Hic morbus ab imperito medicorum vulgo deflexa voce à Synanchi,Squinantia dicitur.Dicitur tonsillæ etiam, quanquam Plinius tonsillas ab angina seiungat. Strangulatio

verò

verò est subitus ob inspirationis defectum interitus. Angina quatuor habet differentias, vt infra in Aet. videbitur.

Loci consentientes de angina & strangulatione.

Gal. Aphor. 4. comment. 34. Quum musculi gutturis anteriores vnà cum ambiente tunica inflammationem patientes viam spiritus valent intercludere, medici talem dispositionem vocant synanchen, &c. Paul. lib. 3 cap. 27. Angina quæ συνάγχη à Græcis dicitur, musculorum faucium interiorum est inflammatio, sicuti parasynanche exteriorum. Auic. nona tertii, cap. 8 loquens de suffocationibus describit esse apostema in gutture anhelitum vel deglutionem vel vtrunque impediens, &c. Gal. Aph. 4. comment. 34. Strangulatio nil aliud est quàm subitus interitus ob inspirationis defectū, qui fit ex angustia alicuius instrumenti ex iis qui seruiunt respirationi, &c. De anginæ differentiis loquitur Aet. ser. 8. cap. 47. Anginæ quatuor differentiæ existunt: Prima, quum fauces inflammantur. Altera, quum nec circa oris regionem, nec iuxta fauces, nec forinsecus quicquam apparet, sed iuxta asperæ arteriæ extremum suffocatio ægrum angit. Tertia, quum externa regio vnà cum interna fuerit iuxta

mentum inflammata. Quarta, quum cerui-cis vertebræ à suo loco excidunt, vnde lin gua à luxata vertebra ad suam radicem im pulsa quandoque ex suis propriis locis ex-cidit, & difficultas respirandi magis infe-stat, vnde aperto ore semper hiare, atque aërem attrahere æger cogitur, &c. B. Præ-ter has quatuor differẽtias à loco sumptas, sunt aliæ quatuor species ab humoribus sumptæ, scilicet à sanguine, bile, pituita, atra bile, quamuis rarò hæc vltima ob sui crassitiem eueniat. Speciem verò, quæ ex luxatione ceruicis verticuli contingit, ca-ninam suffocationẽ vocat Auic. ad similitu dinem canis, qui aperto ore vehemẽter ex lassitudine anhelat. Vide Gale. 2 prorrhet. cõmen. 54. & Apho 4. cõmen. 35. De aliis an ginę speciebus mentionẽ facit Hip. & Gal. 3. prognost. tex. 16. & ibi quid sint fauces euidẽter exponit. Similiter Aph. 4. cõmen. 34. Inter gulam & guttur spacium fauces nominat, &c. Lege de speciebus anginæ Gal. 4. de loc. aff. cap. 3. circa finem, &c.

De angine causis.

Causæ procatarcticæ sunt ciborum facul tas qualis est potus frigidæ, ebrietas, nimia satietas, frigiditas aëris, & quæcunque ex respiratione attrahuntur mala. Causę an-tecedentes sunt totius vel partis repletio,

aut

aut partium quæ circa fauces guttúrque exiſtunt, vel humores fluentes, vt ſanguis, bilis, pituita, &c. Cauſæ coniunctæ ſunt humores aginam actu facientes, qui partim fluxi ſunt, partim fluunt, ex quibus binæ ſpecies pullulant, altera ſcilicet à glutinoſa frigidáque fluxione, altera verò à calida & acri, &c.

Loci conſentientes de cauſis anginæ.

Aet. ſer. 8. cap. 47. Anginæ cauſæ multæ ſunt, frigiditas magis quàm ardor, & plagæ, & ex piſcibus oſſa ad tonſillas impacta, & potus frigidæ, & ebrietas, nimia ſatietas, & quæ ex reſpiratione attrahuntur mala. Auicen. nona tertii, cap. 9. Et quandoque cauſa eſt propter quoſdá cibos, &c. Et ſubdens cauſam antecedentem inquit, Quòd non eſt ſemper repletio totius corporis, nec ſuperabundat ſuperfluitas, niſi in membris vicinis gutturi, & facit euenire apoſthema, &c. Et ſubdit, Quandoque accidunt ex ſanguine, vel ex cholera rubra, aut ex phlegmate, rarò verò ex melancholia. De cauſis coniunctis loquitur Gal. 4. de vic. rat. in mor. ac. comment. 30. Et Hippo. eodem in loco, ibi, Synanche, id eſt angina, fit quũ hyeme veréque fluxio multa & viſcoſa ad venas iugulares defluxerit. &c.

Vnde Gale. Fluxionum quæ à capite deferuntur, quędam sunt substãtia tenues, aliæ ex crassis viscosíſque humoribus fiunt. Tenues penetratis latis venis in angustioribus detinentur. Crassæ verò contrariũ obtinent, vt in latis contineantur, strictas penetrare non valentes. Quum igitur in faucium venis tales impacti fuerint humores, pars in tumorem attollitur, &c. Scias quòd quum nerui, & ligamenta ad partes inflammatas extenduntur, tunc vertebræ vel intra, vel ad latus, ob eorum copulam, quæ simul coniunguntur, citò vertuntur. Et de his lege Gal. Aphor. 4. comment. 35. & Aet. in præallegato loco, &c. Vide etiam Galenum Aphor. 3 comment. 22. Vbi anginam fieri inquit ex biliosis humoribus qui ad fauces autumno decumbunt, & à pituitosioribus, qui vere cum orthopnœa accidunt, &c.

De anginæ indiciis.

Indicia anginæ sunt, difficultas spirandi, febris, genarum rubor, deglutio impedita, dolor circa guttur, tumórque non extrinsecus apparens, interrupta vox. Fluxionum humoris indicia sumuntur à colore, à dolore, & à sapore. Cognoscuntur à colore, si rubidus, flauus, albus, liuens humor fuerit: A dolore, si grauis, tensiuus, pulsatilis vt

ita

in sanguine, si punctorius ac mordicans vt in bile, si paruus & obtusus vt in pituita, &c. A sapore, vt si dulcis à sanguine, si amarus à bile, si salsus vel insipidus à pituita, si ponticus ab atra bile, &c.

Loci consentientes de anginæ indicijs.

Paul. lib. 3. cap. 27. Anginæ notæ sunt, spiritus recta ceruice vix trahitur, nonnullis febricula oboritur, faciei rubor, æger ore conniuet, cibum potúmque deglutire non potest. Gale. 3. prædict cõment. 16. Quia inflammatione vexantur musculi in gutture, meritò dolore afficiuntur, &c. Hippo. 4. de vict. in mor. ac. tex. 30. Præterita quæ intuenti apparent haudquaquam tumentia videntur, tendinésque ceruicis posteriores tenduntur, vóxque ἀπέφραγε, id est, abrupta est, &c. Auic. ipse inquit, quòd videtur loqui cum naribus, addit, ue exitus amborum oculorum & egressio linguæ. Lege fusius de signis quando extrinseci laborant musculi, quandóve intrinseci, &c. De indiciis fluxionum humoris lege Auic. nona tertii, cap. 9. ibi, Et signa eius quę est sanguinea, &c. Similiter ibi, Et signa cholericę. Et ibi, Signa phlegmaticæ sunt salsedo & sapor baurach, &c. Lege etiam Arcul.

De

De cura ipsius anginæ.

Curatio in remouenda antecedente cau sa triplicem scopum exigit. primo euacue cuetur, secundo vt fluxio prohibeatur, ter tio vt reuellatur. Euacuatio fiet per sectio nem venæ vsque ad defectum animi, exclu siuè, ni morbus inducias dederit, valida ma ximè existente virtute cum repletione co piosa. At vbi morbus morā fecerit, partien da erit sectio venæ, ita tamē vt non desinen te morbo primùm à communi, deinde à ce phalica extraxeris, post hanc ad secundas sub lingua venas te conferes: verùm si pau ca fuerit repletio, à cephalica eiusdem late ris ad venas sub lingua incipies: deincep si abundauerit bilis, aluus soluenda erit cū bilem educentibus. Fluxio prohibeatur cū his quæ materiam incrassant, quale est dia codiō & opiata, &c. Si versio fiet, per cucur bitulas, frictiones, enęmata. Confert etiam diuersio per deriuationem. Curatio in re mouenda causa coniuncta, siue phlegmone discutiatur, siue in pus conuertatur, tres etiam medendi scopos expostulat. Primus erit repercutiens, quæ repercussiua nihil facta euacutione suspecta sunt. Secūdus par tim repellens, partim discutiens esse de bet, maximè dum viget morbus. Tertius di scutiat tantùm, & hoc à medio statu vsque

ad

ad morbi inclinationem. Quòd si ad suppu rationem inflammatio vertatur, tunc aperientibus, abstergentibus ac mundificanti bus opus erit. At si sapiens à dolore prematur, tunc anodinis vt gargarismis ex lacte caprino dolore ipso vacādum erit. Interim diæta sit tenuissima: sufficit enim vt sumatur ptisana, vel panis in aqua decoctus, & bibatur aqua, &c.

Loci consentientes de cura anginæ.

Hippocra. 4. de vic. in mor. ac. tex. 30. Sanguinem igitur ex brachiis detrahens, mox venas quæ sub lingua sunt secabis, &c. Itidem adserit Paul. lib. 3 capi. 27. Auicen. nona tertii, capit. 10. Oportet vt euacuetur in principio vniuscuiusque materia faciens illud cum phlebotomia & solutione vētris, & vt retrahatur materia ad partem diuersam, saltem cum ventosis positis super loco longinqua opposita ei, & ligatione extremitatum dolorosa, &c. Lege in hoc Mesu. & Paul. fusius. De cura causæ coniunctæ loquitur Mesu. capit. de synanch. ibi, Distinguamus in administratione particularium operationum per tempora morbi: nam in augmento sit magis vincens medicamen, stypticum & prohibitiuum agitationis, & discursionis rheumatis, &c.

Lege

Lege fusius: nã præter has intentiones etiã remedia docet in omni tempore morbi opportuna Auic. similiter loc. cit. ait, ibi, Inciatur cũ medicinis stypticis mistis cũ iis, quæ parũ absterſionis habẽt, & gargarizatio cũ aceto est ex eis quæ repellũt & prohibent attractionem humiditatis plurimæ, deinde fiat gradatio ad maturatiua, &c. Et capit 2. Et quandoque dolor fit fortior in principio rei : quare oportet vt stypticis admisceatur aliquid quod sedet dolorem, sicut syrupus viol. &c.

Pauluslib. 3. capit. 27. loquitur de victu quum dicit, Cibus sit triduo aqua mulsa, inde ptisanæ cremor cum dulci quadam potione, deinde & ouorum lutea, &c.

Obseruationes de phlebotomia.

Mesu. capit. de synan. Sit principium nostrum à phlebotomia si morbus accidit ex plenitudine sanguinis: si verò cum sanguine abundet cholera, præponimus euacuationẽ choleræ ad sanguinis detractionem, deinde facimus sequi phlebotomiam. Pau. lib. 3. capit. 27. Non vniuersim, sed pluribus interpositis vicibus euacuetur, ne cumulata, vniuersimque facta euacuatione, anima ipsis deficiente suffocationis periculum superueniat, &c. Auicen. nona tertii, capit. 2. idem adserit, & Aet. ser. 8. capit. 47.

Obser

Obseruatio de gargarismatis.

Auicen. loc. cit. Gargarismata postponantur, si illic est repletio, & si fuerint gargarismata dolorosa, sed administrentur post mundificationem, &c. Mirum in modum laudantur etiam vētosa super collum ad secundam vertebram, si deglutio fiat difficilis, &c.

Obseruatio de repercussiuis.

Mesu. loc. cit. Repercussiua nisi facta euacuatione suspecta sunt, vnde Gale. 3. art. paruæ, Corpus plenum existens repercussionem non recipit, &c.

Obseruatio de victu.

Auicen. loc. cit. Et prohibeatur nutrimentum, vt sit corpus eius vtens sanguinis eius nutrimento, & conuertens ipsum à parte apostematis, quare minorent cibum necessariò aut voluntariè, &c.

Nocentia gutturi.

Nocet gutturi amylum, mustum, platanus, vrtica, nux, piretrum, andachoca, &c.

Anginæ conferentia

Anginæ conferentia sunt acetum per se gargarizatum, omphacium, oxymel, ægrimonium cum vino, vinum granatorum, diamoron, robnu cū, succus rubi, ebuli, anisum cum melle, hyssopo & aceto,

garga

gargariſma, ſtercus canis oſſa comedentis, viola purpurea, hyſſopus, Antirum confectio Haly.27.antid.diaolibanum Nico.dia rundinis.Auicen. prima quinti,philonium romanum, theodoricon magnum Haly.7. antid.hiera Archigenis,&c.

De prognoſticis anginæ.

Hippoc.Aphor.6.Aphoriſ.37.Ab angina habito ſi tumor fiat in collo bonum, foras enim morbus deducitur. Et ſimilis ſententia eſt 7.Aphor.aphor.50. Et ratio Aphoriſ. eſt quia ſatius eſt ex intimoiribus & principalioribus mẽbris morbos extrudi, quam ẽdiuerſo. Hippocrat. præd.ct.3.text. 16. Angina grauiſſima eſt, ac celerrimè interimit, quæcunque nec in ceruice, nec in faucibus conſpicuum aliquid efficit, ſed plurimum doloris infert, ac ſpirationis difficultatem, orthopnœam dictam, hæc enim eodem die, & ſecundo & tertio & quarto ſtrangulat.Quæcunque verò dolorem alteri ſubſimilem infert: attollitur verò, ac robore in faucibus efficit, admodum exitioſa,ſed paulò longior quàm ſuperior eſt.Paul.lib.3.capit.27.Puris rarò talis affectus accidit,niſi cum ceruicis vertebræ affectæ loco excidunt,verùm illis ceu curã nõ recipientibus ac deploratis manum admoliri non oportet.B.Habes Aphor 43.ſecun

cundæ sectionis, Strangulati ac dissoluti nondũ mortui nõ referuntur, quibus spuma circa os fuerit: nam in iis exitiale signum est spuma circa os. Verùm Galen. inquit. Nonnulli etiam strangulatorum, quibus circa os spuma visa est, relati sunt: vnde etiam Auicẽ. Quum tamen quandoq; accidat vt præfocatus spumet, deinde sanetur. Hippoc. aphor. 1. aphor. 34. Si a febre habito, tumore non existente in faucibus strangulatio repẽtè superuenerit, lethale. B. Habes hanc candẽ sententiam 2 prorrhet. tex. 53. vbi inquit, Fauces dolẽtes, &c. Ibi quod libri huius author à Gal. dãnatur. Et aphor. 4. aphor. 35. Si à febre habito collum peruertitur, & vix potest deuorare sine vllo tumore, lethale est. B. Vbi nõ visitur tumoris vestigium dictũ, inflammationem in gutture, vel in eius musculis esse, quare exitiale signum est maximè, quum febris adsit, tanquã vna ex causis mortẽ portẽdẽtibus: Vnde Auicẽ. Si cum præfocationibus vehemens febris fuerit, tunc mors festinat, quoniam febris facit ægrũ magno anhelitu indigere, &c. Et aphor. 5. aphor. 10. Quicunq; ab agina liberantur, iis ad pulmonem vertitur, & in septem diebus pereunt: si verò has effugerint, suppurantur. B. Dictum est ab Hipp. 2. aphor. aphor. 19. quòd acutorum

morborum non ſunt certæ prænũciationes aut ſalutis aut mortis, quia nonnunquam humor noxius ex vno loco ad alterum trãſfertur, vnde ſi angina ad pulmonem vertatur vel interficit, vel in pus conuerſa ſuppuratur: ſi ad cor, omnino ægrum perdit. Auicen. 9. tertii, cap. 9. Quum autem facies ſit viridis & denigratur ſitus oculorum, tũc ipſe moritur. Similiter quando minoratur pulſus, & infrigidantur extrema, & groſſitudo linguæ & ipſius denigratio ſunt ex ſignis malis, & c.

Hippo. prædict. 3 tex. 20. Securiſſima eſt angina ſi rubor quàm maximè foras vertatur. Et prædict. primo, Fauces dolentes tenues cum quadam difficultatè ſtrangulantes velociter exitium afferunt, &c.

Authores erronei diſſentientes circa anginam.

1 Adſerere, ab inflammatione aſperę arteriæ ſtrangulationem poſſe effici.

2 Adſerere, in gutture nullum poſſe fieri tumorem abſque dolore.

3 Adſerere in angina nõ conducere reper cuſſiua, ne materia introcludatur.

4 Adſerere, anginam pluries fieri à pituita, quàm aliis humoribus.

5 Adſerere, ſectionem venæ in omni angina non conferre.

Confu

Confutatio dissentientium circa anginam.

Ad primum, Galen. Aphor. 4. commẽt. 34. Aſperæ quidem arteriæ inflamatio difficultatem ſpirandi aliquã efficere poteſt, ſtrangulationem verò non poteſt.

Ad ſecundum, Gale. eodẽmet comment. Quum tumorum triplicem differentiam enumeraſſet, poſteà in fine commenti inquit, poſſibile eſſe multitudine humiditatis, pituitoſę prȩcipuè, madefaciente tunicam gutturis interiorem, aliquem fieri tumorem abſque dolore.

Ad tertium reſpondet Auicen. 9. tertii, capit. 10. Et gargarizatio cum aceto eſt ex eis quę repellũt & prohibẽt attractionem humiditatis plurimæ: hæc tamen non conduceret ſi materia eſſet craſſa ac tenax. vide tamen de his ſuprà in obſeruationibus, &c.

Ad quartũ Gordonius & Gilbertus Anglius & Geraldus de ſolo ſuper 9. almans, capit. de ſquinantia dicunt, quòd apoſtema hoc fit ſecundum plurimum à ſanguine, & rarò à pituita. Prætereà quum hæc inflammatio ſit morbus peracutus, à frigidis fieri nequit, igitur non pluries fit à pituita.

Ad quintum, Auicen. 9. tertii, capit 10. Oportet vt euacuetur in principio vniuſ-

cuiuſque materia faciens illum cum phlebotomia: præterea ſi non euacuatiua, ſalté reuulſiua in omni anginæ ſpecie cõueniet: habes etiam de hoc ſuprà plures authoritates, &c.

De deſtillatione, grauedine, & raucitate.

Deſtillatio à Græcis κάταρρος dicta, nil aliud eſt quàm ſuperabundantis humoris ex capite in partes ſubiectas fluxio. Differt à broncho qui raucedo, & à coryza quæ grauedo à Latinis dicitur, eo quòd catarrhus fauces & palatum obtineat, bronchus guttur ac arteriam, coryza verò nares tantùm moleſtet. Has ſpecies deſtillationum Gerardus quidam his duobus verſibus explicuit.

Dum fluit ad pectus, dicetur Rheuma catarrhus.
Ad fauces bronchos, ad nares dico corizam.

Loci conſentientes de deſtillatione grauedine & raucitate.

Paul. lib. 9. capit. 28. Communis eſt omnibus vitiis excrementitiæ humiditatis ex capite in ſubiectas partes deſcenſus, ſi in nares defluat. κόρυζα, ſi per palatum ad nares. κάταρρος, ſi in guttur & aſperam arteriam, ita vt membranam interiorem exaſperet

tet. βρόγχος & ἀρτηριακὴν à Græcis dicitur, si fluxio in pectus pulmonésque decumbat, tussis siue, vt ipse inquit, βηχὲς ἄτοσι γίνονται κακοηθέσι, &c. Gal. 6. de sympt. cau. capite 4. Destillatio est per palati foramina multorũ humorũ delatio, &c. vide etiam Aet. ser. 8. cap. 53. & Gale. 2. prognost. cõment. 49. ibi, Humorem de naribus secretum, tenuem, & incoctum omnes medici grauedinem nominare solent, &c.

De causis destillationis, grauedinis & raucedinis.

Causę procatarcticæ sunt aer frigidus, mora sub radiis lunæ, septentrionales venti, dum humiditates exprimunt, similiter aer calidus, vẽti meridionales caput replẽtes, & humiditates liquefacientes. Item somnus, coitus, & omnia ad caput euaporãtia, & ipsum replentia, sicut ebrietates & crapulæ, exercitium & ira. Causæ antecedentes sunt vel per se vel per cõsensum. Per se sunt humores superflui in capite existẽtes, intemperies calida frigida, & humida. Per consensum sunt à toto corpore, vt in febribus humorẽ eliquãtibus: aut membro particulari, vt à stomacho in digerendo debili, & à reliquis membris. Causæ coniunctæ sunt humor actu fluens, qui sæ-

pe est calidus, subtilis, interdum crassus & frigidus,&c.

Loci consentientes de causis destillationis.

De causis procatarcticis lege comment. Aphoris. 5.libr.3. ibi , Austri caput aggrauantes caliginosi,&c. Item Aphoris. 12. & 13.eiusdem libr. ibi,in commento , In quibusdam verò coacto in vnum & compresso quodammodò capite , expressa materia inutilis ad loca capite inferiora descendit &c. Aet.ser. 8. capit. 53. Destillationis & muci causa est cerebrum , quod à frigore ad frigidam intemperiem perducitur , &c. Nam in hoc loco enumerat omnes alias procatarcticas causas à me superius descriptas.Galen.6.de Sympto. cau.capit.4. Destillationis & grauedinis cerebrum statim causa est , vt pars quidem similaris, vel à frigore , vel à solis ardore ad intemperiem redactum , vt instrumentum verò , quatenus à plenitudine infestatur. Lege latius Mesu.de cura catarrhi , ibi , Austerarum facit ac replet , &c. Lege similiter Arcul. comment. almans.ca; it.de catarrho. Item Gor. Sauon. &c. De fluxionum causis lege Galen.de diffe.febr.capit. 2. Nam ibi ex parte laborante binas causas intelliges, alteram ex accensa caliditate, alteram à dolore excitato, vnde minus

pluſue

plúsue attrahitur quod influit. Nam si vehementior fuerit calor, multùm attrahit: si minus, tunc debilius. Similiter & in dolore. Ex parte verò mittente, nam si pars mittens minus superfluitatibus abundet, parum aliquid attrahenti parti immittit: si verò plus materiæ inutilis habeat, tantum ingerit amplius, quanto plus à naturæ modo recesserit.

De destillationis indiciis.

Id scias velim, quòd destillationum indicia ex capitis intemperie siue calida siue frigida sumi possunt, item à sapore, odore, calore, & ab ipsius symptomatibus, vt gratia exempli: Si caput calidæ fuerit temperaturæ, facies rubescit, vel flaua est: si verò frigidæ erit alba & pallida. A sapore, vt si quod influit acris aut salsi, aut amari vel fœtentis quidpiam habuerit, calidum censeto: si insipidi vel dulcis, frigidum. A colore, vt quod rubescit vel flauet, calidum: quod albescit vel liuet, frigidum. A symptomatibus, vt si adsit ardor, punctio siue mordacitas, calidum: si nullius sensus particeps cum grauitate & nariũ obstructione, frigidum. Relinquo ea etiã indicia quæ sumi possunt ab his quæ iuuant & nocent sed ad differentiam quę est inter tenuem & crassam destillationem nũc transeo. Tenuis

igitur cognoſcetur ex eo dum expuitur, quòd labilis ſit & fluens: at è cõuerſo craſſa in globum vertitur, & in ſe permanens nõ fluit. Si quid verò in medio craſſum, & in circumiacentibus partibus tenue fuerit, tunc iudica deſtillationem omnino eſſe tenuem, quum hæ partes ad craſſitiem nondum deuenerint. Signa quòd deſtillatio ſit à toto ſunt, quia in febrium augmento augetur, & in earum remiſſione remittitur. Similiter de particularium partium conſenſu intelligendũ eſt. Signa per eſſentiam in capite ſunt, ſi diu perſeuerauerit deſtillatio, nec adſit aliarum partium morbus, de quo ſuſpicari poſſit, &c.

Loci conſentientes de indiciis deſtillationum.

Paulus libro 3. cap. 28. Qui ex æſtu grauedinem vel deſtillationem concipiunt, iis particulæ incaleſcũt, actis tenuiſque humor tum per nares tum per os deſcendit, facies rubeſcit & naſus. Qui ex frigore, iis frons & caput vndique diſtenditur, meatúſq; athmoides dicti clauduntur, &c. Lege de his Auicen. & Arcul. Meſ. & Razem fuſius, & inuenies plura, quæ tuo arbitrio huc traduces, &c.

De cura deſtillationum.

Sex in catarrho requiruntur medendi inten

intentiones: prima regiminis regula, se- lib. 5.
cunda erit catarrhi alteratio siue digestio,
tertia euacuatio, quarta diuersio, quinta ca
tarrhi interdum fluentis retentio, sexta ac-
cidentium correctio, ac capitis roboratio.
Regimen erit in catarrho calido, si calida 1
omnia vitentur, & ea quæ etiam cerebrum
debilitare possunt. In frigido, somnus lon-
gus & meridianus, & supinè dormire in
frigido, malum est. Digestio siue humoris 2
præparatio in calido cum frigidis incras-
santibus, sicut cum syrupo viol. de iuiubis,
de papauere myrthino cum aquis farfaræ,
endiuiæ, aqua ordei & similibus: parabitur
in catarrho frigido, si crassa fuerit mate-
ria cum calidis attenuantibus, sicut cum sy
rupo de glycyrrhiza, de hyssopo, de passio,
oxymelle simplici & composito, cum aquis
cap. vener. saluiæ, decocto pectorali calido.
Vacuatio in calido fiet cum fructuum de- 3
cocto, cassia, manna, rheubarbaro, & cum
pilulis aureis aggregatiuis de hiera simpli-
ci. In frigido, cum pilulis de hiera, cum
agarico, polypodio, turbit, pilulis cho-
chiis, &c. Vitetur sectio venæ, si possibile
fuerit, si minus, fiat à vena cõmuni. Diuer- 4
sio siue reuulsio fiet per caputpurgia, ma-
sticatoria & cauterizantia, vel per frica-
tiones, lotiones, iuncturarum ligationes,

cucurbitulas & hirudinum applicationes. Caputpurgia fiunt per liquores, per nares attractos, vt puta in calido cum aqua violacea vel ordei, &c. In frigido cum aqua maioranæ, cum ſucco blitis, decocto nigellæ, ireos vel cyclaminis. Cauteria fiãt in commiſſura coronali vel in humeris. Retentio catarrhi quæ fieri non debet niſi maxima vrgente neceſſitate, pluribus mediis perficietur: Primò cum ſtypticis, vt cum bolo armenio, ſpica, olibano Secundò cum his quæ à proprietate incraſſant, vt cum iuleb violaceo, zuccharo violaceo, penidiis, diadragacanto, loch de papauere, diacodione liquido, pilulis bechichiis. Tertiò cũ gargariſmis ex aqua roſacea, aceto, ſandaraca, &c. vel cũ pilulis de cynaglo. Remotio ſymptomatũ erit, per ea quæ malam capitis intemperiem ſiue calidã ſiue frigidam remouere poſſunt. Roborabitur deinceps caput in cauſa frigida cũ confectione pliris arcoticon Nic. cum diamuſco: in cauſa calida, cum electuariis frigidis, &c.

Loci conſentientes de cura deſtillationum.

Meſ cap. de catar. Commune eſt ſex res, prima ponit ſtudium in vita patientis, ſecunda adæquat materiam, tertia abſcindit eam, quarta diuertit, quinta abſcindit fluxum

xum eius, sexta corrigit accidentia, & de his singulatim agit, vt latiùs videri potest. Hercul. & Marcus Catinarius de his etiam fusiùs pertractant. Videant in sua praxi qui optant rem medullitus introspicere.

De reuulsione, euacuatione & deriuatione loquitur Gale. 4. meth. cap. 6. ibi, Destillationem fluere incipientem ad contraria trahendam esse dicimus, fixam verò in laborante particula euacuandam. Similiter meth. 5. cap. 2. Quæ verò in oculis, aure, palato fluxiones accidunt, eorum ad vicina deriuatio est per nares, &c. Hinc etiam elice quot modis fiat reuulsio. Lege etiam Aetium ser. octauo, capite 53. ibi, Expedit fontem malorum excindere sanato videlicet capite, &c.

Obseruationes in cura.

Galenus 3. de loc. affec. cap. 5. dicit, exemplificans de grauedine & destillatione, quòd qualitas & quantitas excrementorum, atque causarum quæ præcesserunt, contemplatio, & capitis dispositio siue calida, vt in vstione, siue frigida, vt in refrigeratione, primùm à te considerentur: quæ nisi discretè cognoueris, idoneam dispositione curationem haudquaquam inuenies.

Obſeruationes in phlebotomia.

Meſu. in cur. catar. phlebotomiam non niſi in tribus caſibus fieri poſſe adſerit: primus, ſi deſtillatio calida fuerit cum multa ſanguinis copia in corpore calido: ſecundus, ſi calida deſcendens in aliqua principali parte figatur, vt in oculis pulmone, diaphragmate: tertius, ſi cum febre & maximè continua fuerit deſtillatio, ita vt in venis putreſcere humores exiſtimentur, in cæteris verò nequaquam.

Obſeruationes de gargariſmatis.

Meſu. Suſpecta ſunt gargariſmata in quatuor caſibus: primus eſt ſuſpicio catarrhi ad pectus & pulmonem fluentis, id eſt, in paratis ad phthiſim & aſthma. Secundus, ſi ſit de genere ſubtilium, acutorum & mordicantium, eo quòd facilè cum gargariſmis concitatur. Tertius, in præfocationibus quæ fiunt citò, id eſt in paratis ad ſuffocationes, Quartus, ſi ſit vehementis multitudinis.

Obſeruationes in diuerſionibus.

Marcus Catinarius in cur. catar. inquit, Nota quòd caput purgia & ſternutatoria non debent à principio fieri, ſed factis euacuationibus, quia per iſta fit motus & agitatio, &c.

Meſ.

Mesu. Securius est regimen diuersiuum quàm absciſſiuum, & licèt regimen diuersiuum dilatet materiam & multiplicet, tamen multiplicatam conuertit ad partem communem non timorosam, &c.

Obseruationes in absſtione catharri.

Mesu. Et sunt ex stolidis qui ante digestionem & mundificationem communem administrant abscindentia catharri, & sunt causa cumulationis & multiplicationis ipsius. Fiant igitur post mundificationem & sedationem agitationis vehementis: in aliquibus tamen casibus in principio fieri potest, primò si ad partes nobiles reperet, aut catharrus esset præfocatiuus, &c.

Catharro conferentia.

Conferunt catharro assatæ cum pipere sumptæ, betonica, bolus armenius, cinnamomum, gramen, lac caprinum, grana lauri, manna, myrrha, vitella ouorum sorbilia, fumus sandaracæ, laudani & asphalti vapor, suffumigium vtriusque storacis retinet catharrum, item suffumigium vernicis, sebesten & hyssopus, acharistum Nicol. confectio de iacur Mes. Phylonium Romanum Auicen. loch de papauere, pilulæ pro catharro Mes. 10. antidot. Pilulæ de papauere Mes. Rob de nucibus.

Mes.5.antid.Rob de papauere Haly.19.antid.syrup.de papauere, &c.

De prognosticis destillationum.

Hippocrates aphori.2. aphoris.40.Raucedines &grauedines in valde senibus concoctionem non admittunt.B. Quia frigiditas illa ex senili ætate acquisita, reprimi non potest, imò & in quibusdam iuuenibus difficulter concoquuntur.Hippocrates prædict.2.text.49.Grauedines & sternutamenta per omnes morbos qui in pulmone fatigent præire & subsequi malum est, &c. B. Ratio est, quia si grauedines sint signa, indicant pulmonem malis humoribus repleri:si verò sint causæ,sunt etiam malę,ex eo quòd ab aliis affectionibus prauis committantur. Lege etiam pro his aphoris.12. & 14. & 31. libri tertii aphor.& plura intelliges de prognosticis,&c.

Authores dissentientes circa destillationes.

1 Adserere, sternutamenta in destillatione esse salubria.

2 Adserere,cum Artemide medico,plumbeam laminam pro voce tremula pectori esse applicandam.

3 Adserere, destillationes tantùm vocari, quæ ex capite per asperam arteriam ad pulmonem feruntur.

Confutatio dissentientium circa destillationes.

Ad primum, Galenus prædict. 2. comment. 49. Sternutamentum sequitur grauedines magna ex parte, sed sanè concutit thoracem & vitiat pulmonem: igitur in destillatione non est salubre, quia ex suo motu efficit, vt materia à capite ad subiectum pulmonem descendat, vel signum est insalubre ostendens per consensum etiam affici cerebrum, vt ibi Gal.

Ad secundum, Hippocrat. 5. aphoris. 24. aphorismo. Frigida qualis est nix & glacies pectora inimica tusses mouent & destillationes, &c. Sed plumbeæ laminæ sunt huiusmodi, igitur pectori non applicandæ.

Ad tertium, Galenus aphor 3. comment. 12. Non quas communi vocabulo destillationes consueuimus nominare, quæ scilicet fiant ex capite ad pulmonem per asperam arteriam, sed omnes fluxiones, quæ feruntur per venas à capite ad partes inferiores, &c. scilicet vocamus destillationes, &c.

De tussis definitione.

Tussis βῆξ Græcè dicta est, quoddam aggregatum ex duobus motibus, scilicet dilatatione & constrictione impetuosa pulmonis & pectoris, ad expellendum nociua

à vir

à virtute expulsoria naturali pulmonis facta cum adiutorio diaphragmatis. Nam tussis ita pectori inest, sicuti cerebro sternutamentum, vt per eam nocumentum à pulmone expellatur & à membris, quæ ad pulmonis consensum patiuntur, &c.

Loci de tussis definitione.

Galenus 5. de symptomat. caus. capite 4. Tussis nil aliud est quàm vehementissima efflatio, qua plurimus spiritus celerrimè foras erumpens impetu suo extrahit, explodítque excrementa meatum ipsius obstruentia, &c. Auicen. fen. 10. tra. 3. capite 1. Tussis est ex motibus, quibus expellit natura nocumentum ex membro aliquo, & hoc membrum est pulmo & membra quæ ei continuãtur. Vide de his latiùs Galenum loco citato, capite 3. & 4. de symptomatum caus. Similiter de loco læsionis vide capit. 6. eiusdem quinti libri, &c. Vide etiam Arcul.

De causis tussis.

Causæ procatarcticæ sunt, sicut dictum est in destillationum causis, causæ antecedentes vel per se sunt, vel per consensum. Per se, vt mala intemperies cum materia, vel sine materia calida, frigida, sicca, humida: aut solutio continui, velut in vlcere pulmonis, in phthisi. Per consensum, vel

à toto, vt in febribus: aut à partibus, aut à cerebro destillante, vel à pectore vt pleuritide & orthopnœa, aut diaphragmate vlcerato, vel in abscessum conuerso, aut à stomacho, splene, hepate, quum abscessum patiuntur: nam facta diaphragmatis compressione, siue à tumore, siue ab alio quopiam fit tussis. Materiæ in pulmone quandoque imbibuntur, interdum inhærent, obstruũt, & resolutis partibus subtilibus in petram condensantur. Causæ tussis siccæ sunt vel mala complexio, vel materia in pulmone contenta, quia vel nimis crassa expulsioni inepta, vel apostemata pulmonis, vel materia in venis pulmonis contenta, sua acuitate vel multitudine stimulans, vel imbecillitas facultatis expulsoriæ, &c.

Loci consentientes de causis tussis.

Aet. ser. 8. cap. 54. Causæ tussis sunt variæ, nam humor à capite ad asperam arteriam destillans tussim efficit. Asperitas insuper intrinsecæ pelliculæ arterię asperę, cibi & potus præterlabentes tussim promouent. Lumbrici stomachum infestates, etiam tussiculas paruas excitant, similiter & acris humor stomachum perturbans, & intemperies frigida instrumentorum respirationis tussim irritant: Vide de his fusius Auicen. lo. 3. tract. cap. 1. ibi. Causæ

primitiuæ tussis sunt, &c. Nam fusissimè has pertractat. Vide insuper Galen. de sympt. causis, cap. 4. & ibi intelliges, quomodo intemperies tussim excitet, & à mala intemperie dolor fiat contra plures, qui de mente Galen. hoc non posse fieri certò affirmant.

De signis tussis.

Signum malæ complexionis calidæ cognoscitur ex præcedentibus causis calidis, & læditur ex similibus, & iuuatur à contrariis: caliditas etiã sentitur ab ægro, vehementia sitis, magnitudo anhelitus & pulsus, rubor faciei cum tussi sicca. Signa complexionis frigidæ sumuntur ex causis frigidis præcedentibus, iuuantur à contrariis, &c. Signa tussis ex sanguine sunt, rubedo faciei, venarũ tensio, sapor in ore dulcis, & interdum sanguis excreatur. Signa bilis sunt, flauities vultus, sapor in ore amarus, sitis, & quod expuitur, citrinum est, & vt plurimùm tussis sicca est. Signa pituitæ sunt, pallor faciei, & albedo, sapor insipidus aut salsus cum humiditate superflua, pauca sitis, circa fauces viscosa pituita, commotio vomitus, &c. Signa atræ bilis sunt, fuscus color, sapor ponticus, tardus euentus, lõga duratio. Signa subtilitatis & crassitiei ex tenuitate fluxúque materiæ, &

quia

quia subitò accidit,& è cõuerso, materia viscosa, tarda in fluxu, &c. Signa siccitatis sunt,quia sedatur ex sorbitione amyli, multiplicatúrque, quum fames & sitis adest,& apud somnum alleuiatur, similiter dum comeditur & bibitur.Signa per cõsensum, est anteceſſio lęsionis ventriculi vel hepatis, tussis adest sicca,est insuper minus cõtinua & minus laborioſa,quàm quę est per essentiam.Signa apostematis, vlceris, & similiũ cognoscuntur ex relatis in pleuritide,peripneumonia,& phtisi.

Loci consentientes de signis tussis.

Aet. serm. 8. cap. 54. Tussis quæ cum titillatione partium ab vtraque palati parte contingit, palàm ostẽdit destillationem à capite ad asperam arteriam & ad pulmonem deferri : quòd si nihil expuatur, tenuem fluxum indicat, &c. Auicen. 10. tract. 3. cap. 1. de his pertractat signis, ibi, In tussi frigida est additio ex frigore, &c. Lege hunc locum fusius & habebis omnia quæ à me nuper relata sunt. Lege etiam Arcul.

De cura tussis.

Dictum est in capite destillationis, fluxum humoris esse diuertendũ,& quod iam fluxum est,euacuandum. Nunc etiam dicimus in tussis cura duplicẽ scopum requiri,

alterum in præparanda materia, alterum in abstergendo & pręparatam educendo. Tenuis igitur & acris distillatio per infrigidantia & incrassantia, & fluxum intercipientia curatur, sicut cum syrupo de papauere violaceo, iuiubino, cum decocto hordei iuiubarum, sebesten, vel cum diacodione tẽpore somni, vel pilulis bechichiis. Si verò fuerit frigida crassa ac tenax, tunc cum calidis extenuantibus ac dissecantibus digeratur, vt cũ syrupo de glycyrrhiza, de hyssopo, oxymellite. syrup. de prassio, oxymellite scillitico cum decocto caricarum passularum. cap. ven. hordei, &c. cum loch de pino, de scilla, cum iure galli decrepiti, &c. Euacuatur deinceps subtilis materia cum cassia, electuario de sebesten, addita pectorali decoctione, vel cũ pilulis aureis aggregatiuis, &c. Frigida cum pilulis cochiis elephãginis. T. de ag. &c. Quod verò supereſt in pulmone, exiccetur tum bibendo, cùm lambendo ac euaporando, de quibus satis pertractauit Mesu.

Loci consentientes de cura tussis.

Aet. serm 8. cap. 54. Medemur tussi à tenui fluxu factę per antidotum ex papauere capi. inspissantes, aut per alterius pharmaci dolorem leuantis. Quę autem à crasso aut viscoso fit humore per extenuantia

& di

& discindētia, instrumentorum respirationis frigiditati per calefacientia medemur: Quę ab asperitate, per lenientia & mordacitatem arcentia sanantur, qualia sunt ex arteriacis compositionibus simpliciora, &c. Gal. 6. de compos. med. per loc. cap. 2. & 3. non diuerso à nobis sermone hęc dilucidius pertractat, vbi habet insuper multas ad tussim confectiones, &c. Lege etiam Auicen. lo. 3. tractat. 9. cap. de cura tussis, & Areul. & Mesu. Vide etiam quęcunque dicta sunt de destillatione, nam huc referenda sunt.

Obseruationes in cura per exiccantia.

Hercul. 9. almans. cap. de cur. tussis, multas conditiones obseruari in his iubet. Primò, quòd non nisi reiteratis euacuationibus exhibeantur. Secundò, quòd non adsit febris notatu digna. Tertiò, vt virtus constet. Quartò, vt incipiatur à minima quantitate, &c. Vide eum fusius.

Nocentia & conferentia tussi.

Nocent tussi, acetum, succus ebuli, prę-sertim tussi recenter factę, nam antiquæ prodest mel nō spumatum, nuces, &c. Conferunt tussi amylum cum zucharo & oleo amygdalino, semen bombicis, bdellium, radix chamaleontę, cinnamomū, cochleæ,

adiantum, hyſſopus, dragacantum, enula, faba, fœnugræcum cum melle, phiſtici, fur fur triticeum cum aqua hordei decoctum & colatum in frig. & ſic. tuſsi, galbanum, gentiana, granata dulcia, iuiubæ, lac aſinæ vel capræ, decoctum glycyrrhizæ in vino, malua, māna, maſtix, mulſa, oua cum melle, papauer, paſſulæ, peucedanum, grana pini, pulmo aſini, praſsiū, roſmarinus ſebeſten, ſemen lini, ſerpētaria, ſulphur, ſea, ſtorax, ptiſana, terebentina cum melle, violæ, zedoaria, vrtica, radix ireos. Compoſita ſunt, diacodion Meſu, diapapauer Meſu. in tuſſi catarrhali, diaſulphur Serap. diacodion compoſitum Serap. diaolibanum, diapenidion, diadragantum, diairis, diacalamentum, diatrion pipereon, diahyſſopum, diazingiberis, emplaſtrū adip. Auic. ſexto. tra. emplaſtrum gabadi Haly. loch de pino, de papauere Meſ. de alliis Auicen. & Meſ. in quinta antid. in cur. tuſsis humidæ, loch de ſemine lini. Auicen. quinta quinti, oleum amygdalarū dul. violaceum ſiſami, cucurbitæ. Pilulæ pro catarrho. Meſ. 10. antid. bichichiæ Meſ. ad tuſsim. Auic. ſyrup. violaceus, myrthinus, acetoſus Meſ. Iuiubinus de praſsio, de hyſſopo, de cānis, de papauere, alteraniabim, &c. Athanaſia magna, ſyrup. de liquiritia, de calamēto, de theriaca

maior

maior.trochiſci de ſtella, Auic.8.5. de berberis,de papauere, de arſenico &c. Allium coctum,& bacchæ lauri,&c.

De prognoſticis ipſius tuſsis.

Auic.decima tertii,loc.cit. Et tuſsis frequens plerunque perducit ad ſputum ſanguinis.Arcul.9.almās. de cur.tuſ. Si diutur na ſit & frequens, in prægnantibus abortū facit:expuitur ſanguis fractis in pectore venis.Hippoc.aphor.6. aphor.46. Qui gibbi ex anhelitu aut tuſsi efficiuntur,ante pubertatem intereunt. Lege etiā aphoriſ.54.lib. 4.Quibus vt plurimùm tuſſes ſiccæ leuiter irritantes in febribus ardentibus fiunt,&c. Vide etiam Hippoc.in cap.de deſtillatione aphor.ſuprà recitato. 6.

Authores diſſentientes circa tuſsim

1 Adſerere, tuſſes à nuda intemperie fieri non poſſe.
2 Adſerere, tuſsim ſiccam à nulla alia cauſa fieri poſſe, quàm à mala intemperie ſine materia.
3 Adſerere , tuſsim plerunque fieri cauſa tantùm calida & ſicca,vt Gerardus.
4 Adſerere, pilulas bechichias cōferre in omni ſicca tuſsi.

Confutatio diſſentientium circa tuſsim.

Ad primum,Galen.5.de ſympt. cau. cap.

4. Tussim, inquit, fieri refrigeratis tantùm respirationis instrumentis, ita vt affecti nihil inter tussiendum expuant. Itidem ait Aet. vt supra de causis dictum est.

Ad secundum, Galen. 2. prædict. comment. 42. inquit, Quòd si humor crassus & viscosus, vel adeò tenuis sit, vt expelli nequeat, siccam tussim efficit: vnde modicè crassus facilè screatur, Et aphoris. 4. cõmen. 54. Siccę tusses sunt, in quibus nihil expuitur: fiunt etiam aliquando ob intemperiem instrumentorum quæ seruiunt respirationi, aliquando in faucium asperitate, vel à pauco & tenui humore destillante. Igitur sicca tussis etiam à materiali causa effici potest.

Ad tertium Galen. aphoris. 3. comment. 23. Ob hãc igitur ipsam frigiditatem tusses hyeme maximè fiunt, &c. Similiter 9. 12. eiusdem libri, Caput prius repletum in calida & humida constitutione, frigus autem superueniẽs veluti manus quędam extrinseca capiens ac premens, quandã vti spongiam, cerebri illam, quæ in ipso cõtinetur, humiditatem, vnde fiunt tusses & grauedines, &c. Igitur à causa frigida & humida plerunque, & magis quàm à calida & sicca fieri potest.

Ad quartum dicimus pilulas bechichias confe-

conferre tantùm in causa calida & sicca, vt testatur Mesu. Sed tussis sicca ab alia causa fieri potest, vt monstratum est, qua de re in omni sicca tussi conferre non potuerunt, &c.

De asthmate, dispnœa, & orthopnœa.

Asthma est affectus qui respirandi difficultatem cũ magno conamine præ se fert. Hæc spirationis difficultas dũ modica est, δυσπνοία Græcè dicitur: at quum vehementior fit, & spirare æger sine anhelitu & sono non potest, tunc ἄσθμα vocatur: si verò accidat in spirando vt non nisi recta ceruice spiritus trahatur, tunc ὀρθοπνοία nominatur: quos igitur Græci vocant ἀσθμαλίνους, Latini anhelosos siue suspitiosos dicunt.

Loci consentientes de asthmate, dispnœa, & orthopnœa.

Auic. decima tertii, c. 4. Asthma est ęgritudo pulmonis cum qua patiẽs nõ inuenit excusationẽ ab anhelitu frequẽti, sicuti est anhelitus quo laborat præfocatus & festinatus. Gal. aph. 6. com. 46. Multę sunt spirãdi difficultates, sed solam illam Hippo. cõsueuit asthma nominare, in qua contingit satis crebrũ anhelitum fieri. Vocãt τὸ ἀσθμαίνειν, id est, anhelare, id quod fit in cursu.

bus & vehementioribus exercitiis,&c. Vide de his Gal.7.de cõp.med.per loc.cap.6. ibi, Qui citra febrem densè respirant, &c. B.Nota quòd asthma interdum sumitur pro difficultate spiritus sine febre & apostemate,interdum pro constrictione non facta à causis materialibus, interdum pro malitia spirandi è materia crassa inhærente facta: & sic in hoc loco à Gale.accipitur,&c. Galen.4.de vict.in mor.ac.comment.21.Sicca orthopnœa est spirandi difficultas,quę sine sputis vel tussi vsque adeò vehemens est, vt inclinari citra suffocationem qui ita afficitur,non possit.

De causis harum affectionum.

Causæ procatarcticæ sunt caliditas vel frigiditas aëris, casus,percussio, nimius corporis motus, fumus argenti viui, odor rectum pectus constringentium,&c. Causæ antecedentes per se, vt à mala intemperie frigida coarctante vel obstruente,vel à materia vt plurimùm pituitosa in pulmone, vel eius bronchiis infarcta. Per consensum fit vel à toto, vt in febribus & hydrope,aut ab aliqua parte, sicut ab occipite,neruis, vertebris colli, à pectore, diaphragmate,hepate,stomacho, splene,ab occipite inquam spiritibus ad pectoris musculos transire nõ valentibus, à neruis motum

tum diaphragmatis impedientibus: à colli vertebris & pectoris, quum extra sedem diuertuntur: à pectore, sicut ab eius angustia, abscessu, paruitate, vlcere, & colluuie: à diaphragmate, hepate, splene, ob eorum abscessus & vlcera: interdum fit etiam ab exiccatione pulmonis, &c. Causæ coniunctæ sunt ipsi humores infarcti in arteriis & venis pulmonis morbum facientes, & similia.

Loci consentientes de causis.

Auic. decima tertii, cap. 14. Et quandoq; accidit propter multitudinẽ vaporis, quando coarctatur in pulmone, & propter ventositatem coarctatam in mẽbris anhelitus, & quandoque causa generationis in ipso est frigiditas eius. Vide de his latius apud Mesu. cap proprio. Galen. 7. de compos. medic. per loca, cap. 6. loquens de causis antecedentibus, inquit: Manifestum est coarctationem locorum præter naturam intrinsecus adesse, cuius etiã sensum ægri manifestè perceptant. Coarctatio verò fit, quum aut crassorum & tenuium humorum multitudo pulmonis bronchiis fuerit infarcta, aut tumor abscessui similis in ipso constiterit, &c. Auic. loc. cit. Et quãdoq; fit propter nocumentũ in ipso pulmone, & in eis quæ ipsi cõtinuãtur, propter inuisationẽ humorum

rum crassorũ in arteriis & ramis eorum, & quandoque in cana pulmonis, & eius raritate,& in locis vacuis. Et istæ materiæ effusæ sunt ad ipsum ex capite. Et quandoque isti humores nocent sua qualitate, quantitate,& multitudine, & quandoque fit & rarò ab exiccatione pulmonis,& quandoque fit propter cõmunitatem membrorũ vicinorum comprimentium membra anhelitus,&c Vide de his Gale.4.de vic.in morb. ac.com.21.& 3.aphor.com.26.& 4.aphoris. com. 50. ibi enim à quibus causis spirandi difficultas fiat apertè intelliges:lege etiam 4.de loc.aff.cap.7.

De indicijs asthmatis, orthopnœaque.

Frequẽs adest anhelatio,nec spirare possunt, nisi recta ceruice, pallescit eorum facies. Si ab intemperie absque materia fiat, adest pectoris lenitas absque sensibili grauitate, tussis sine sputo : calida ex caloris sensu & ex anhelitu & pulsu magno frequenti cognoscitur : frigida ex frigore in partibus spiritualibus percepto & ex anhelitu,pulsu paruo ac tardo:sicca ex asperitate, ex siti, & à causis exiccantibus:humida ex causis contrariis. Vel intẽperies omnes cognoscuntur ab his quæ iuuant & nocẽt, nã calidis frigida prosunt, frigidis calida: humo

humores cognoſcuntur ex ſapore, odore, craſſitie ac tenuitate. Locus læſus cognoſcitur, quoniam ſi in pulmone eſt læſio, tũc adeſt grauitas, ſcreatus, tuſſis laborioſa, & difficilis anhelitus: ſi in aſpera arteria ſonus adeſt in reſpirando, ſcreatus facilis: ſi in bronchiis, ſcreatus fieri nõ poteſt, niſi cum multa tuſſi: ſi fiat à peripneumonia, ſigna ſuo capiti aſcribentur: ſi fiat aſthma à toto per conſenſum ſicuti in febribus, ex eo inde cognoſcet, quod ad earum augmẽtum augetur & in receſſu minuitur: ſi per conſenſum ex partibus, facilè etiam cognoſces ex earũ morbis ſuperuenientibus, &c.

Loci conſentientes de indicijs aſthmatis.

Auic. decima tertii, cap. de ſig. aſthmatis, Si humores vel humiditates fuerint cauſa aſthmatis, tunc aderit conſtrictio, in principio anhelitus, cũ excreatione, oſcitatione, & retentione humoris permanentis, & grauitas cum ſputo, &c. Vide hunc locũ fuſius: nam de ſingulis ſignis hîc pertractatur. Vide inſuper Arcul. Sauo. Gord. &c.

De cura aſthmatis & orthopnœæ.

Primus in curando ſcopus, (dummodo totius corporis repletio appareat) ſit ſectio venæ. Secundus ſit humoris præparatio, ita vt tenuis incraſſetur, tenax & viſcoſus attenue

tenuetur cum syrupis in capite catarrhi memoratis. Tertius sit euacuatio, prout opportuna fuerit in humore peccante. Quartus sit humoris cum cucurbitulis & frictionibus ad partem oppositam reuulsio. Quintus residuum exiccat. Sextus sit regimé ex his quæ dilatant anhelitum. Vitétur acria, acetosa, styptica, toleretur fames, & potus vitetur, insuper somnus meridianus ac diu turnus, &c.

Loci consentientes de cura asthmatis & orthopnœæ.

Paul lib. 3. capit. 29. Hæc cura sit, vt per abstergentia extenuantiáque medicamina glutinosus humor & crassus abscindatur: quòd si necessitas vrgeat, etiam vena ante omnia incidatur, & quantum vires patiuntur, sanguis detrahatur, &c. Gale. 7. de compos. med. per loca, cap. 6. Cæterùm curatio ambarum affectionum aliquid commune habet, & aliquid cuique proprium: commune vtriusque est, vt redundantia humoris affectiones generantis consumatur & expendatur: proprium verò, vt si à crassis vicosísque humoribus fiant, per attenuantia & extergentia consumantur, &c. Consulè in his & aliis non solùm Auicen. sed Mesu. ipse enim singula declarat. Vide & Arcul. & alios practicantes.

Obsc-

Obseruationes in præparatione humorum.

Paul.loc.cit.duo notat:alterum vt quum craſſitiem & tenacitatem humorum ſecamus & attenuamus,humiditatem cũ pharmacis adhibeamus, quo facilius efferãtur, vnde largiorem potum anheloſis cõmendat:alterum, ne vehementer calidis vel frigidis in hac affectione vtamur, quia tenaces & craſſi humores à vehementi calore viſcoſiores reddũtur, & ſic difficulter auelli poſſunt,frigidis ne craſſeſcant ac cogantur,&c. Vide ſimiliter Aet.ſer.8.cap.57. Auicennas loc.cita. Vitandæ ſunt medicinæ multùm inciſiuæ, ibi, & non ſis contentus,&c. Secundò,miſcendæ ſunt medicinæ hepaticæ, ſicut eupatorium, cum pectoralibus,præſertim ſi craſſities hepatis aſthmati adiungatur.Tertiò quum morbus ſit natura longus, medicinæ ſæpius permutentur,non ex eodem genere in aliud, ſed in eadem conſimili facultate mutatæ permaneant, vt voluit quarta primi, capit.1. ibi, Imò in vna medicatione medicinam permuta, &c. Quartò in ægritudinibus chronicis interpolationes fiant. Quintò,ſi cauſa coniuncta & antecedens aduerſentur, attendatur illi quæ magis infeſtat. De obſeruationibus aliarum intentionum lege Meſuen.

Con

Conferentia aſthmati & orthopnœæ.

Conferunt aſthmati & orthopnœæ acetum ſcilliticum, amygdala amara, ammoniacum cum melle, aſſa fœtida in ouo ſorbili, bolus armenius, calamentum, cappares ſaliti, decoctum centaurii Meſ. dauci, diptami, enulæ, caricarum, adianti, gentianæ, iuniperi, granorum lauri, marrubii, origani, paſtinacæ, oxymel ſcilliticũ, peucedanum in ouo ſorbili, pix humida cũ melle, ſuphur in ouo ſorbili, vel fumus eius in ore per embotum, ſcilla, thymus, hyſſopus cum ruta ficubus & melle, allium coctum, betonica, gentiana, ius galli antiqui, galbanum, fœnugræcum cũ melle, vrtica cum melle, baccæ lauri, myrrha, violæ, zucharum. Compoſita ſunt, T. de agarico, alipta muſcata Nic. præſertim in pueris, diapapauer diapraſſium, loch de pino Meſ. loch de ſcilla Serap. loch de papauere Haly. quadrumeron conf. Nic. roſata magna Nic. ſyrupus de hyſſopo, de praſſio, de calamento, de iuiubis, de liquiritia, theodoricon magnum Haly, 6. antidota, theriaca magna Nic. hiera logodium, hiera Archigenis, Phylonium romanum, &c.

De

De prognosticis asthmatis.

Hippoc. aphor. 4. aphor. 50. Difficultates spirandi in febre intermittente, lethale: vide etiam aphor. 46. lib. 6.

Auicen. loc. cit. Hæc ægritudo cũ accidit decrepitis, non forsitan sanatur, neque maturatur, quum ipsa in iuuenibus vt plurimùm sit difficilis, & est ægritudo longa, habens cum hoc paroxysmos acutos iuxta similitudinem paroxysmorum epilepsiæ & spasmi, & multotiẽs mutatur ad peripneumoniam, &c.

Authores dissentientes circa difficultates spirandi.

1 Adserere, asthma verum non esse morbũ pulmonis.

2 Adserere, orthopneam nõ posse fieri absque febre.

3 Adserere, apnœam non dari posse in animali viuente.

4 Adserere, pulmonem esse proprium anhelitus instrumentum.

5 Adserere, anhelitum esse motum tantùm naturalem & non voluntarium.

6 Adserere, spirandi difficultatem indicare tantummodò læsionem membrorum spiritualium.

7 Adserere, vinum in spirandi difficultate non esse exhibendum.

8 Adſerere, pharmaca non valde ſoluentia in aſthmate conuenire.

Confutatio dissentientium circa difficultates ſpirationis.

Ad primum, Razes quarto comment. cap. 1. Aſthma eſt veraciter, quod in canalibus pulmonis habet humiditates multas viſcoſas, prohibentes ex ipſarum viſcoſitate, ne aer trahatur quãtitate opportuna. Et Auic. Aſthma eſt ægritudo pulmonis, igitur erit verus morbus pulmonis.

Ad ſecundum, Gale. aphor. 6. cõment. 46. Nonnulli ſimpliciter aſthma nominant, nonnulli orthopnœam, quando abſque febre ægroti iugiter anhelitum habent difficilem: ex quibus verbis cognoſcitur orthopnœnam abſque febre fieri.

Ad tertium, Gal. de loc. affe. cap. 7. in fine. Nam impoſſibile videtur, vt animal omni ſpiratione exactè priuatum in vita ſeruari poſſit, quãuis animalia quæ in cauernis latent, thoracem mouere minimè videantur, quare aut exiguam fieri ſpirationẽ, vt ſenſum effugiat, aut huiuſcemodi animalia tunc ſpiratione omnino non indigere, ſed eam ſpirationẽ quæ per vniuerſum corpus fit, ſufficere, quippe hãc cor ipſum per arterias efficit, ex quibus apparet vt apnœa dari poſſit viuente etiam animali.

Ad

Ad quartum, Conciliator differentia 99. Sciendum quòd instrumentum proprium anhelitus est diaphragma, pulmò verò coadiuuatiuum se habens vt ad secantem serra &c. Probat etiam alia potiori rarione, ex eo quòd insensibilis sit pulmo, tum quia tot musculos in pectore frustra natura pro creasset.

Ad quintum, Auic. 10. 3. tenet, quòd anhelitus cõpletur duobus motibus inter quos sunt duæ moræ, &c. ita vt componatur ex motu voluntario & naturali. Itidem confirmat Gal. de vsu partium, &c.

Ad sextũ, Hippoc. pædictionum 1. tex. 27. & Galen. in eodem com. At verò, inquit, rara spiratio, hoc est, multo tempore interposito, si magna est, indicat delirium: si parua, extinctionem natiui caloris: igitur aliã à thorace etiam læsionem indicat, &c.

Ad septimum, Razes 4. cõment. Vinũ tenue & subtile facit ad asthmatis passionẽ, si in potu accipiatur multa quantitas. Hoc tamẽ intellige in resolutione materiæ, vel vbi vinum sit cibus & potus.

Ad octauum Paul. lib. 3. capit. 29. Ex antidoris hiera & purgatio continens, ex validissimis medicamentis petita. Idem Auic. vtitur helleboro & colocyntide. Prætereà probatur etiam ratione, nam materiæ quæ

sunt à viis ductuum remotæ, educi nõ possunt nisi per pharmaca vehementia: sed in asthmate ita sunt: igitur non nisi per validissima pharmaca educi poterunt, & per consequens vehementi indigent pharmaco, &c.

De peripneumonia.

Peripneumonia nil aliud est quã pulmonis inflammatio cũ febre acuta & spirandi difficultate: & est duplex, vera & spuria: vera cum à sanguine: spuria, quum ab aliis humoribus oriatur: vnde non immeritò Mesues alioquin oculatus à Conciliatore reprehenditur differentia 100. dum inquit, veram fieri ex pituita, & esse minus mortalem, &c.

Loci consentientes de peripneumonia.

Paulus libro 3. capit. 30. ἡ περιπνευμονία φλεγμονή τις πνεύμονός ἐστι. similiter Aet ser. 8. capit. 66. Peripneumonia est pulmonis inflammatio cum febre acuta. Itidem Auic. decima tertii. tra. 4. capit. 10. Peripneumonia est apostema calidum in pulmone, Lege Gal. 2. meth. & in lib de finit. med. Item in lib. de part. art medi cap. 4. ibi, Peripneumonia tantùm dicitur, quum à sola inflammatione pulmo afficitur, &c.

Mesu-

Mesu.cap.de peripneu. Ex ea quædã est vera, quędam non vera, &c. Vide eum tu latiùs, vide etiam Conciliatorem loc. cit. lege etiã de his Hippoc.& Gale.prædict. 1. tex.29.Item Arcul.& Gord.& cæteros practicantes,&c.

De causis peripneumoniæ.

Causæ antecedentes sunt angina, pleuritis,catharrhus, vel alia materia ab aliqua corporis parte ad pulmonem transmissa. Causæ coniunctę sunt humores ibi coarctati & putrefacti, ticuti est sanguis, bilis, pituita:fieri enim potest ferè ab omni humore.

Loci consentientes de causis peripneumoniæ.

Haly abbas in sua praxi, Et hoc apostema aliquando fit ex materia sanguinea,aut ex cholera quæ ad pulmonem incurrit, nonnunquam à catarrho à capite descendente, interdum à pleuritide, iugulatione, &c. nam pulmo imbecillis ea facilè susçipit, quæ ab aliis membris repurgantur.Paul.lib.3.capit.30. idem sentit, ibi. Inflammatio fit vt plurimùm à valentibus in eam partem destillationibus, aut angina, aut suspirio, aut pleuritide, &c. De causis verò coniunctis loquitur Auicen. decima tertii, capit. 10. ibi, Et pe-

ripneumonia fit ab omni humore, sed vt plurimùm fit à phlegmate, quoniã in membro rarò non cõtinetur humor subtilis, &c. B. Intellige Auicen. velle peripneumoniam à sanguine, & à pituita frequenter fieri, rarò ex bile, rarissimè ex atra bile, vnde Auic. plura capita facit de hac re, quem legere poteris. Gale. apho. 7. cõment. 12. causas peripneumoniæ etiam tetigit, quem fusius vi debis.

De indiciis peripneumoniæ.

Indicia communia omni inflammationi sunt rubor, tensio, dolor. Propria sunt, febris acuta, grauitas absque dolore, nisi pelliculæ ipsius thoracis sint inflammatæ, quoniam tunc dolor percipitur, spirandi adest difficultas, rubescunt malę & facies, nasus fit simus, venæ temporum eleuantur, appetitus deiectus est, linguæ adest siccitas, tussis sicca præcipuè in morbi principio, respiratio calida est, sputum bilioſum, spumosum, & quandoque cruentum, vigiliæ adsunt quæ delirium & stuporem inducunt, extremitares frigidæ, vngues liuidi incuruantur: & hi plerunque in 4. vel 7. pereunt. si verò ad salutem tendat morbus, sanguinis ex naribus profluuium sequitur excrementitia per sedem excernuntur, &c.

De locis consentientibus de indiciis peripneumoniæ.

Gal. 4. de loc. aff. cap. 8. Quãdo cum spirandi difficultate, cui & angustia & grauitas coniuncta est, acuta quoque febris inciderit, is affectus inflammatio pulmonis est: quod si fuerit intolerabile incendiũ, angustiæ verò & grauitatis sensus minor, erysipelas ipsum vexare censendum est. Et 2. de loc. aff. cap. 7. Signa inflammationũ cõmunia sunt, vt partes inflãmatæ rubescãt, tendantur, remittãtur, intumescant & doleant. Et 2. de loc. aff. capit. 9. cognoscitur pulmonis inflammatio, quia tanta inducitur spirandi difficultas, tãtáque angustia, vt suffocari laborantes videantur, ac recti sedere cogantur, calida adest respiratio. Quocirca vbi plurimùm perflant, iuuari videntur: in tussiendo modo hoc, modo alio colore infectum expuitur, vt rubrũ, flauũ, rufum, spumosum, nigrũ & liuidũ: grauitatis sensus adest, dolórque ab imo ad pectus & ad spinam, & febris acuta adest, &c. Lege de his fusius Act. ser. 8. cap. 66. Vide similiter Auicen. decima tertii, cap. 2. ipse enim addit, quod dolor ascendit ad iugulũ, & pulsatio est vsq; ad spatulam, & furculã, & mamillas saltem apud tussim, & quando dormit super latus præfocatur, & lingua primò

rubescit,deinde nigrescit, & quòd adest inflatio oculorum,grauitas palpebrarũ,pulsus vndosus,lenis & diuersus, & ibi reddit rationem horum omnium. Vide insuper Hipp.2 prognost.text.60. Vide etiã Arcul. & Razen 9.almans.ibi, Cum alicui supervenerit febris, & in aeris attractione tantam patitur constrictionem,vt se præfocari putet,&c.

De cura peripneumoniæ.

Primus in medendo scopus erit reuulsio,vt inflammationis augmentum prohibeatur,quę fieri potest cum sectione venæ, cum cucurbitulis, cum impositione enæmatum,&c.Secũdus est humoris digestio, vnde si fuerit à sanguine vel à bile, conueniunt syrupus violaceus, iuiubinus cum aqua hordeacea vel zucharacea, vel syrupus myrthinus de papauere cum decocto pec.Si verò fuerit à pituita,conueniunt syrupi de glycyrrhiza, de hyssopo, oxymel simp.miscendo secũ syrup.viol. cum decoctis pectori conducentibus,&c.Tertius est euacuatio,quæ fieri potest cum manna,cassia,rheubarbaro 7 de viol.de agarico cum electuario de sebesten, &c. Quartus est sputi prouocatio, & cõpletur cum his quæ in ore lambuntur,vt patet in cura pleuritidis,&c.vide ibi plura.

Loci

Loci consentientes de cura peripneumoniæ.

Gale. meth. 13. capit. 4. Quum aliqua particula phlegmone vrgeri cœperit, videndũ est an propter calorem aliquem, qui in illa præter naturam ortus sit, an propter dolorem vel ipsius vel propinquæ alicuius partis hãc cõtraxerit, quòd scilicet adẽpta causa phlegmone non amplius increscat. Post hæc consydera num vicina particula sanguinem largius ad partem phlegmone obsessam transmittat, deinde si corpus succorum æqualiter auctorum redundantia laboret. Si igitur corpus fuerit plethoricum, vel malo succo redundet, cogimur sanguinem mittere, & membrũ, ne quid trãsmittat, corrigere, &c. Aet. ser. 8 cap. 66. Si nil obstiterit, vena in cubito secanda: & si vires validæ fuerint, ex vtroque brachio sanguis extrahatur, &c. vide latius Auic. loc. cit. & Arcul & Marcum Catin. & Sauonarolam & Gordon.

Obseruatio in sectione venæ.

Herc. 9. alman, Reiteratio sanguinis fieri nõ debet, nisi plethoricum sit corpus, vel membrum influẽs sit hepar, vel aliqua euacuatio solita, puta menstruorũ, hæmorrhoidarum repressa sit, aut si quam putaremus ad membra principalia materiã defluere,

in aliis enim periculosa & suspecta est, &c. Auic.decima tertii,cap 1. commendat plus sectionem venę quàm vẽtris solutionem, quia in ipsa,inquit,non est timor sicut in solutione,quum interdum non soluat,interdum superflua sit:prohibet etiam narcotica,quoniam sputum & maturationem prohibent,&c.

Obseruationes in topicis.

Platearius,Nunquam vtendũ est repercussiuis, sed diaphoreticis & resolutiuis. Præterea caueant aquę calidę infusionem super caput,quia liquefacit humiditates, & superfluitates ad pectus descendere cogit, &c.Auic.loc.cit.vnum aduertit,quòd in topicis exterius applicitis maior esse debet in penetrando vis,quàm in pleuritide:nam in penitiori loco affectio collocata est,vnde ad cataplasmata, fomenta & linimenta addatur aliquid quod sit tenuium partium. Et nota quòd debent applicari tam retro suprà spondilos, quàm antè ex directo partis inflammatæ,&c.

Conferentia peripneumoniæ.

Conferunt peripneumoniæ,althea, amylũ,aqua mellis,butyrum cum melle, bolus armenius,capillus Veneris, semina cucurbitæ,citruli melonũ, crocus, decoctio hyssopi, faba fressa in cibis, farina hordei, ca-

ricæ cum fœnugræco decoctæ, ſuccus gentianæ, iuleb viol. iuiubiunm, iuleb Alzemes Meſu. in cur. pleurit. glycyrrhiza, origanum cum melle penidi, pix cum amygdalis & zucharo, porrum cum melle, mucilago pſylii, ruta cum anetho ſicco cocta, viola, hypericō, iris, hyſſopus cum ruta ficubus & melle. Compoſita ſunt oleum de amygdalis, oleum narciſſi, de cucurbita, violaceū, ſyrupus de cucurbita, violaceus, de vino granatorum dulcium, iuiubinus, vnguentum violaceum, zucharum violaceū, confectio catafici Haly. 6. antid. Dialthea, æſypum, diapapauer, diadragacātum, diaolibanum Nic. Phylonium Nic. cum melle, loch de papauere Meſu. roſata magna Nic. ſotyra Nic.

De prognoſticis peripneumoniæ.

Hippoc. aphor. 5. aphoriſ. 10. Quicunque ab angina liberantur, iis ad pulmonē vertitur, & in 7. diebus pereunt: ſi verò has effugerint, ſuppurantur. Et aphor. 6. aphoriſ. 16. A morbo laterali, vel pulmonia habito, alui profluuium adueniens malum. Et aph. 7. aphoriſm. 2. A morbo laterali inflammatio pulmonis, malum. B. Nota peripneumoniam fieri à pleuritide, ſed non econuerſo, quia ſi mitis fuerit inflammatio, omnis humor noxius per ſputum expurga-

2ª d. Gal. 6. epid. ſin pleuritis ſanat ſpn

tur;

tur si sit pernitiosa,antequàm costæ patiantur,strãgulat.Et aphor.7 aphor 12. A pulmonis inflammatione phenitis malũ. Et secundo prognost.ca.69.Qui puruléti ex pulmonia sunt,&c. Vide tu Galeni commentũ:itẽ secundo prognost.tex.64.ibi Quibus abscessus &c.Et tex.67. eiusdẽ libri, Auic. Peripneumonia quæ à cholera rubea fit,secundũ plurimum sua acuitate interficit,cũ sit vicina cordi,& appositio cũ infrigidátibus nõ peruenit ad locum,&c.Mes.Et dixit Galc. quòd peripneumonia est difficilioris curæ quàm pleuresis. & prõptior ad interficiendũ,eo quòd solutio cõtinui in pulmone rarò est susceptibilis curæ:vel quia virtus cordis non tantùm patitur, immo deficit ab inflammatiõe eius,&c.Hercul. Peripneumonia longa & diuturna perducit tãdẽ ad nocumentũ hepatis,ita vt erret eius digestiua,& tumescant pedes & crura, interdum etiam venter.Auic. decima tertii, cap.2.Et Hippoc.dixit, quòd quando accidunt exituræ apud mãmillas,vel ea quæ sequitur ad eas, & aperiuntur pustulæ, euadunt,& similiter quando accidunt exituræ in crure,sunt signa laudabilia,&c.

Authores dissentientes circa peripneumoniam.

1 Adserere, peripneumoniam fieri non posse

posse à pituita per viam influxus.

2 Adserere, peripneumoniam pituitosam esse biliosa deteriorem.

3 Adserere, in peripneumonia ex aliis morbis facta conferre sectionem venæ.

Confutatio dissentientium circa peripneumoniam.

Gale.2 de loc.aff.cap.9. respõdet primo, Quippe iam ostendimus omnem inflãmationem ex affluente fieri sanguine, quapropter si biliosus fuerit sanguis, flauum aut pallidum erit sputum: si pituitosus & spumans, candidum, &c. Ex quibus inferri potest hanc etiam inflammationem pulmonis à pituitoso sanguine gigni posse, &c.

Ad secundum respondet Mesu. & omnes authores, quòd deterior est biliosa, quum morbus sit acutior, sæua inducens accidentia, &c.

Ad tertium, Paul.lib 3.cap.30. Vitabimus sanguinis detractionem, dum ex aliis morbis peripneumonia dependeat, & si in statum morbus fuerit, &c.

De sputo sanguinis.

Sputũ sanguinis nil aliud est, quàm quędam sanguinis reiectatio per os vndecunque proueniens. Hîc consydera potius locum à quo sanguis emanat, quàm ipsam definitionem, vt monet Gal.

De

De causis sputi sanguinis.

Causæ eius primitiuæ sunt percussio, casus, vociferatio, acuitas vocis, vomitus laborioſus, cibi acuti, calidi, timor & angustia sanguinem acuens, sanguisuga gutturi inhærens, frigus constringens, caliditas dissoluens, &c. Causæ antecedentes sunt multitudo materiei & ciborum, aut retentio menstruorum, aut sanguis ex hæmorrhoidibus, aut abscissio mẽbri, aut acuitas humoris aut vehementia motus, aut flatuoſus spiritus, &c. Causæ coniunctæ sunt, quia si proueniat à venis, erit aut inciſio, aut perforatio, aut apertio, aut eroſio, aut valida abſterſio: si verò non prouenerit à venis, tunc erit vel vulnus, vel vlcus, quod à corroſione, vel putrefactione, vel ab abſceſſu sanguineo fiet, &c.

Loci consentientes de causis sputi sanguinis.

Auic. decima tertii, cap. 4. Cauſa primitiua fit ex percuſſione aut caſu ſuper pectus aut ſuper hepar, aut à re inciſiua, aut à tuſſi frequẽti, aut à vociferatione, aut ab acuitate vocis ſine gradatione, aut à rixa, aut à vomitu laborioſo, & propriè in præparatis, aut aſſumptione ſolutiuorum acutorum, aut ciborum calidorum, aut à timore & anguſtia ſanguinem acuente, &c. Galenus

lenus 4.de locis affectis capite octauo, Vo co præcedentes causas,aut cũ aliquis ex al to, vel in ludo, vel in certamine ceciderit, aut vbi lapis vel lignum thoracem offende rit, aut ira cum exclamatione acuta vehementíque voce, vt cytharœdis tragœdíſq; accidit, vasa diruperint: vide locum hunc fusius.De causis antecedentibus & coniun ctis loquitur etiam Gal.4 de loc.aff.cap.5. Sanguis reiicitur vel rupto vel eroso vase aliquo,vel ore alicuius venæ patefacto rũpitur vas,vel ob sanguiuis abundantiã, aut ob frigus à vicinis partibus contractũ, aut ob innatam intemperiem.Quandoque ruptionis causa est aut vehemens motus, aut humorum abundantia qui vnà cum crudo & frigido & flatuoso spiritu venas extendunt,&c.Lege hancmet sententiam cap. 8. eiusdem:similiter 6.de symptom. cau. cap. 2.ad medium.Vide etiam Auicen. decima tertii,tract.3.capit.4.Similiter lege omnes practicantes.

De signis sputi sanguinis.

Quoniam locũ cognoscere ex quo sanguis emanat necessarium est,ne inter stolidos quos redarguit Gal.computemur,diligenter aduertendum,quòd si à capite sanguis fluat, quòd capitis vel dolor vel aliud nocumentum præcessit, si proueniat ab

arte

arteriis, magno cum impetu exiet erítque tenuior, rubeus cum claritate, víxque cohibetur. Si à pectore, præcessit dolor: tussis & grauitas, si à pulmone. Habes Hippocr. aphoris. 13. lib 5. ibi, Quicunque spumosum sanguinem expuunt, iis è pulmone eductio fit cũ tussi multa, extenuatio corporis, alteratio in genis, &c. Nota etiam quòd spumosus sanguis de mente Aui. prouenire potest etiã à cana pulmonis. Si sanguis proueneríit à rupto vase, in primis erit multus, deinde paucus cũ aliquali dolore. Si ab eroso vase accidunt affatim sangu nis vacuationes, præcedúntque exigua sputa, atque aeres ex capite in pulmonem distillationes, erítque tenuis. Sanguis ex apertione orificiorum in principio est paucus, deinde augetur, & est sine dolore, sanguis ab apostematibus, corrosionibus & vlceribus cognoscitur ex præcessione eorum, & interdum expuitur sanies, &c. Sanguis proueniens ex naribus facilè cognoscitur, tum ex rubore faciei, tum quia dum exprimitur, nasus adhuc fluit. Vel rem breuius sic habe: Sanguis ab ore proueniens per quatuor modos cognoscitur, aut expuitur tãtùm, & est ex partibus oris: aut exit cum screatu, & est ex colatorio, vel vuula palati & partibus eorum: aut exit cum vomitu, & prouenit vel

à meri-

à meri, vel à ſtomacho, aut ab hepate & finibus orum: aut exit cum tuſſi, & tunc vel eſt ex pectore vel pulmone, aut cana, aut la certo vocali, aut epiglotti, &c.

Loci conſentientes de ſignis ſputi ſanguinis

Gale. 4. de loc. aff. cap. 5. Cognoſcitur ſanguis qui à gula & ventriculo reiicitur ex ipſo vomitu: ſi ex ſpiritualibus partibus, ex ipſa tuſſi: ſi ex faucibus & gurgulione, ex ſcreatu: ſi ex ore, ex ſimplici expuitione, Cognoſces ex eroſa vel exeſa vena, ſi nulla præcedente cauſa exiſtente, ſanguis plurimus inter tuſſiendū reiiciatur. Cognoſces à pulmone educi, vbi fuerit ſanguis ſpumoſus. Cognoſces à partibus pectoris emanare, ſi illic dolor adfuerit: nam in thorace multi adſunt nerui, quibus dolores percipi poſſunt. Cognoſcitur à primaria thoracis affectione fieri, ſi neque multum, neque rubrū, ſed nigricantem grumoſumq; ſanguinem coniecceris, &c. Vide etiam cap. 8. huius lib. Itē Paul. Aeginetam cap. 31. lib. 3. Item Aet. ſer. 8. cap. 59. Et Auic. 10. 3. tra. 3. cap. 4. & ibi ad vnguem omnia intelliges, Vide etiam Meſ. cap. de exitu ſanguinis ab ore: ſimiliter Arcul & alios practicantes.

De cura ſputi ſanguinis.

Primus ſcopus in medendo erit, ſex res

non naturales ad frigidum & ſiccum ordinare, vt ſanguis cohibeatur & frigefiat. Cibi igitur ſint viſcoſi glutinoſique, ſtiptici & frigidi, quales ſunt ptiſana hordeacea, vel ex amylo confecta, aut piſces viſcoſi, carnes craſſæ pingues, & animalium extremitates. Conueniunt etiam caſeus recens, portulaca, lentes, miliũ, alica ac coriza. Bibatur aqua chalybeata, vitetur exercitium, loquutio, &c. Secundus erit reuulſio, quæ fieri poteſt per phlebotomiam multoties repetitam, quæ pro ſingula vice ſit modica. Hinc valet ligare extrema, menſtrua & hæmorrhoides euocare, cucurbitulas natibus affigere, &c. Tertius eſt malam ſanguinis qualitatem temperare, reprimendo eius aquoſitatem, vel (vt ita dicam) bilioſitatem. Si enim fuerit aquoſitas illa pituitoſa, præparetur cum rhodomelle & ſyrupo roſaceo, deinde euacuetur cum mirobalanis, chebulis & rheub. At ſi ſanguis fuerit bilioſus, digeratur cũ ſyrup. roſaceo de ſemine acetolæ, de granatis, de omphacio, de citoniis, myrthino, de portulaca, cum aquis plantaginis, portulacæ, &c. deinceps euacuetur cũ myrobalanis citrinis & rheub. cum caſſia. Quartus eſt ſanguinis cohibitio, quæ primum & ſtatim fienda erit, ne fortè adeò vires ægrotantis proſternat, vt

diffi

difficultas sit in reuocando. Primum conuenit portulaca, lapis hæmatites, corallus, cornu ceruinum vstum, terra sigillata, bolus armenius, semen myrthi, flores & cort. granatorum, gumi Arab. &c. Sextus est, vt si sanguis in pectore vel ventriculo coaguletur, statim dissoluatur cum oxymelle simplici & composito, cum aquis hyssopi, scabiosæ:: aliqui exhibent theriacam & coagula leporis, &c.

Loci consentientes de cura sputi sanguinis.

Auic. 10. 3 tra. 3. cap. 6. loquitur de sex rebus supranaturalibus dicens. Et cibi conuenientes eis, sunt omne conglutinatiuum & oppilatiuum, & omne consolidatiuum, & omne infrigidatiuum sanguinis, prohibens feruorem eius, & custodiantur ab omnibus causis mouentibus sanguinem, vt sunt cibi calefacientes, saltus, clamor, rixa, coitus, loquutio plurima, &c. Vide de his latius Mesuem.

De reuulsione loquitur Paul. lib. 3. cap. 31. Quibus destillatio cruentum sputum concitat, vena protinus debet incidi, & pro virium modo sanguis detrahi. Auicenna loc. cit. Cura est vt succurratur cum phlebotomia basilicæ, in qua existimatur esse resolutio singularis, &c. Et fricentur eius

extremitates & ligentur, incipiendo à superioribus ad inferiora,&c. Vide de his látius Marcum Cat. Arcul. Gord. & reliquos practicantes &c.

Item Mesuem ibi, Secundam rem complent administrationes phlebotomiæ cum iterationibus,&c. De Rectificatione sanguinis loquitur Auicenna loco citato. ibi, Et sumant in potu medicinas frigidas conglutinatiuas, &c. Vide de his vberius Mesu.& Arcul. de constrictione sanguinis loquitur. Gal.7.de comp.med.per lo.cap.4. Curamus apertionem oſculi alicuius vasis per obturationem,& rupturam per eius conglutinationem,& vasorum erosionem, per renutritionem erosorum. Obturatur oſculum dilatatum per adstringentia, conglutinatur ruptum per eadem & quæcunque ipsis in compositione citra mordacitatem resiccantia, & glutinosi quid habentia miscent,vt lemnia terra. Renutriũtur corrosa per cibos boni succi,& pharmaca carnem gignentia,&c. Vide fusius Galenum.5. meth.cap.5.6.&7.Item Aet.ser.8.cap.63.Et Auicen. ibi, Et confert tribuere ei in potu trochiscos de charabe, &c. Vide de his iuxta Arcul.Mar. Cat. Sauon. Gulielmum Plac.Gordonium, & reliquos practicantes,&c.

Obser

Obseruationes de euacuatione.

Mesu.cap.de flu.sang.ab ore, Si fuerit acuitas & inflammatio & ebullitio in sanguine propter mixtionem cholerae acutae in ipso, oportet vt euacuetur cholera prius, deinde phleborometur: hoc enim est secundum canonem artis, demum sequatur infrigidatio, &c.

Obseruationes in adstringentibus.

Gal.2.de comp.med.per loc.cap.4. Conueniunt adstringentia iis qui non tussiunt simplicia: sed illis qui ex pulmone, aut thorace, aut arteria sanguinem reiectant, miscenda sunt adstringentibus calida, & tenuium partium existentia, vt per totū corpus distributio fiat: vbi verò circa stomachū aut aluum affectio haec contingat, huiuscemodi pharmacorum mixtura opus non est, &c. Razes 15. comment. In ruptura venae pectoris & phthisicis noli prohibere screatum perseuerante adhuc catarrhi descensu ad pectus vel pulmonem, &c.

Cohibentia sputum sanguinis.

Cohibent screatū sanguinis, aloës, amylum, balaustiae, barba hircina, betonica, bolus armenius, cinis cancri, cortices castaneorum, cauda equina, centaurium maius, nux cupressi, cydonia, & eorum flores, coagulum leporis & hœdi, colla piscium, co-

rallus, corigiola, coriandrum, cornu cerui vstum cum dragacanto, radix draconteæ, hæmatites, gummi arabicum & amygdalarum, cortex glandium, flores granatorum, hyoſciamus, charabe, lachryma lentiſci, litium, lutum ſigillatum, maſtix, fructus myrthi, mumia cum maſtice, œnanthe, omphacium, cortex rad. oliuæ, cortex olibani, albumen oui, pix, portulaca, plantago, pſylium, rheubarbarum, roſa, ſuccus rubij, ſalix, ſandaraca, ſanguis draconis, ſymphytum, ſynopida in ouo, cortex ſuberis, ſumach, ſpina alba, ſpodium cum ſucco plãtaginis, ſtercus apri, terra ſamia, triticum, vernix, virga paſtoris, hypocyſtis. Compoſita ſunt, Trochiſci hæmathicorum Meſ. in cur, ſputi ſang. T. de charabe, de terra ſigillata, de papauere, de ſtella Auic. triphera ſaracenica Nic. theriaca maior Auic. ſotira cõfectio, confectio mirabilis Meſ. in cu. tuſſis hum. medicamen. Andromachi Auic. phylonium perſicum, diaolibanum Nic. lo. h. de papauere Haly, diapapauer Meſ. diaſulphur Serap. aqua aluminoſa, chalybeata, athanaſia magna Auic. 1. 5. &c.

De prognoſticis ſputi ſanguinis.

Hippo. Aphori. 4. Aphor. 25. Sanguis quidem ſuprà qualiſcunque fuerit, malus, infrà autem bonus. B. Si immoderantia ſanguinis

nis adūt, ſiue infernè vel ſupernè exeat, ſemper malum eſt: immoderatè enim nullo modo naturæ quadrant, &c. Et Aphoriſ. 4. Apho. 47. Excreationes in febribus non intermittentibus liuidæ, cruentæ, fœtidæ, omnes malæ. Et Apho 4 Aph 27. Quibus in febribus ſanguinis fluxerit multitudo quacunque ex parte, &c. Et Apho. 5. Aph. 3. Vbi ſanguis plurimus fluxerit, ſingultus aut conuulſio ſuperueniens, malum. B. Intellige niſi à plenitudine proficiſcatur, alioqui ad valetudinem confert. Verùm ſi ex euacuatione alius morbus ſequatur, neceſſario prognoſticum erit malum. Nam Hippoc. Aphoriſ. 7. Apho. 9. A profluuio ſanguinis deſipientia & conuulſio, malum, Et Apho. 6. Apho. 10. Caput dolenti & circūdolenti pus vel aqua vel ſanguis effluens per nares, aut os, aut aures morbum ſoluit. Et Aphoriſ. 7. Aphoriſ. 15 A ſanguinis ſputo puris ſputum, malum. B. Hoc intellige de ſputo maligno quod ex pulmone educitur, alioqui ſenſus Aphoriſ. non eſſet ſemper verus. Et Aphor. 7. Aphor. 37. Quicunque euomunt ſanguinem, ſi ſine febre quidem, ſalutare: ſi verò cùm febre, malum: curare verò acerbis & refrigerantibus, &c. Galen. 7. de compoſ. medic. per loc. capit. 4. In reiectatione ſanguinis, primum periculum eſt, ne immo-

derata euacuatio fiat, &c. Auic. 10. 3. tract. 3. cap. 4. Et ille cui accidit ſputum ſanguinis eſt præparatus vt aduenias ei vlcus pulmonis: & ille qui eſt à pectore, non eſt tantum timoris, quantum in eo quod eſt ex pulmone. Et multoties quidem eſt ſputum ſanguinis cauſa ſanitatis apoſtematis in hepate aut ſplene, &c. Lege & Aphor. 3. Apho. 29. ibi, Iuuenibus autem ſanguinis ſpuitiones, tabes, febres acutæ, &c.

Authores diſſentientes circa ſputum ſanguinis.

1 Adſerere, ſputum ſanguinis cum tuſſi ſemper à ſpiritualibus membris prouenire.

2 Adſerere, ſpumoſum ſanguinem ſemper eſſe indicium affecti pulmonis.

3 Adſerere, aperitiua in ſputo ſanguinis à retentione menſtruorum facto conferre.

4 Adſerere, omnem ſanguinis reiectationem per ſuperiora ſemper eſſe malum.

Confutatio diſſentientium circa ſputum ſanguinis.

Ad primum, Gal. 4. de loc. aff. cap. 5. Nos verò ſanguinẽ qui à cerebro ad gurgulionis partes internas, vt ad fauces affatim deſcendat, tuſſiendo educi ſæpenumero conſpeximus, quippe gutturi ſubitò irruens tuſſim mouere poteſt: ex quibus reprehendit

dit Medicos, qui eruptionem periculosissimam tanquam pulmone affecto credebant.

Ad secundum: Auic. cap. de sig. spu. sang. Et quandoque est spumosus sanguis ex cāna pulmonis proueniens. Et paulò pòst, Et spuma cum dolore pectoris significat locum ægritudinis, vnde non semper erit à pulmone spuma, &c.

Ad tertium, Auic. 10. 3. de cur. spu. sang. Caueant à cibis calidis & omnibus calefacientibus, sed aperitiua sunt calida, igitur non conferunt. Præterea Hipp. Aph 7. Aph. 37. Cura cum acerbis & refrigerantibus, nō calidis & prouocantibus: sed in hoc casu fac vt monet Galen. 5. meth. vbi per sectionem venæ menstrua prouocat, & non aperitiuis. Nec styptica cum aperitiuis admiscenda sunt, quum alterum ab altero facilè in operatione impediatur.

Ad quartum, Galen. Aphor. 4. comment. 25. inquit, eam quæ suprà fit per os solam exscreationem non esse semper malam, illa quæ fit per nares omissa, quæ etiam non est mala, quoniam Hippo. Apho. 7. Aphor. 37. Quicunque euomunt sanguinem, si fine febre quidem salutare, &c. Igitur non semper erit mala, &c.

De purulentis & tabe siue phthisi.

Empyema est puris collectio in media

inter thoracem & pulmonem regione. Tabes verò quæ à Græcis φθίσις dicitur, est pulmonis vel thoracis vlceratio cum febre debili ac tussicula corpus consumens: nam à verbo φθίνω, quod est diminuo, dicta est: ex vlcere enim corpus consumitur, diminuitur, ac colliquatur. Hæc differt ab hectica, quum omnis phthisicus sit hecticus, & non econtrà: præterea hectica tam ab vlcere quàm à non vlcerato pulmone oritur. Marasmus etiam ipse consumptionem corporis importat quæ à febre acuta dependet. Tabis tres sunt species: Vna quum corpus non alitur, ita vt summa macies oriatur à Græcis ἄτροφία dicta: Altera vbi malus corporis habitus est, in quo ferè omnia alimenta corrumpuntur, & hanc Græci κακοχυμίαν vocant. Tertia est quæ à Græcis dicta est φθίσις, & fit quum à capite in pulmonem catarrhus descendit, & frequens tussis oritur. Interdum tamen à medicis pro vno & eodem morbo accipiuntur.

Loci consentientes de empyemate & phthisi.

Paul. lib. 3. capit. 32. ἐμπύημα κατὰ τὰ κενὰ τοῦ θώρακος ἢ τοι κατὰ τὴν ὑπεζωκότα συνίσταται, id est, si verbum verbo reddideris, Empiema in vacuis thoracis regionibus, vel in membrana costas subcingente colligitur.

Gal.

Gal.lib.de tum.præter naturam, capit.3. ἔμπυοι, hoc est purulẽtos dicũt, quibus pus in media inter thoracem & pulmonem regione fuerit collectum. Similis sensus habetur 5.meth.cap.8.& aphor.6.commẽ.27. & 4.de loc.affect.cap.5.Act.ser.8. capt.67. Phthisis propriè est vlceratio pulmonis ad sanguinis spuitiones consequẽs.Gal.aphor. 7.commẽ.16.Quam propriè phthoen nominant Græci, hanc Hipp.phthisim appellat, quæ pulmonis vlcera insanabilia consequitur, & totius corporis cum febre paruam extenuationem.Vide etiam hanc definitionem in lib.de fin.med.& 5.de loc.affect.ca. 3.Vide etiam Mes.ibi,Phthisis est detrimentum deficcationis & consumptionis, cadens in corpus ex calore febrium habitudinalium & vlcere pulmonis.

De causis empyematis & phthisi.

Empyema fit vel à sanguinis eruptione, vel ab vlcere,aut ab inflammatione abscessa & rupta, aut à catarrho à capite ad pectus fluente. Causæ primitiuæ phthisis sunt aër, motus violenti corporei,regio borealis frigida & sicca, cibi & potus salsi & acres ac caput replentes, casus, percussio, autumnus pluuiosus, & temperies ægri frigida & sicca, &c. Causæ antecedentes sunt destillatio acris mordicans ac corrodens,

aut

aut præcedens peripneumonia iam putrefacta & vlcerata, aut pleuritis rupta, aut putrefactio & corrosio præcedens in substantia pulmonis, aut aliqua causarum sputi sanguinis venam aperiens, &c. Causa coniuncta est ipsa materia producens phthisim ad actum, &c.

Loci consentientes de causis empyematis & phthysis.

Paul. lib. 3. capit. 32. Purulenta screatio fit vel propter sanguinis eruptionem, aut ab vlcere in pulmone, aut ab inflammatione abscessa & rupta, aut à destillatione à capite fluente ad pulmonem, &c. De causis primitiuis plura habes ex Auic. to. 3. capit. 15. ibi, Et causa extrinseca est sicut casus & percussio, aut multiplicatur quum æstati boreali siccæ succedit autumnus pluuiosus, &c. Vide de his Arcul. fusius. De causis antecedētibus loquitur Mes. ca. de phthisi, ibi, Vlceratio huiuscemodi causā habet, aut ex præcedenti catarrho acuto, vlceratiuo, instillante in pulmonem, quandoque ex præcedenti pleuritide aut peripneumonia, &c. lege eum fusius. Lege etiam Auic. to. 3. tract. 4. cap. 19. ibi, Causæ vlcerum pulmonis sunt catarrhus mordicatiuus, &c. Vide etiam Galen. 4. de loc. affect. capit. 8. fusius de his

causis

cauſis pertractantẽ, & alios practicãtes, &c.

De ſignis empyematis & phthiſis.

Signa ab exeuntibus ſunt ſputum ſaniei cum ſignis ſuis, vrina eſt naturalis, verùm interdum oleaginea, interdum habet furfures, quæ omnia humidi conſumptionem ſignificant: in proceſſu morbi lienteria aut diarrhœa ſuperuenit, & ſudor in fine digeſtionis. Signa à qualitate mutata ſunt febris continua vniformis, genæ liueſcunt, pedes tumeſcunt, carnes conſumuntur, vngues curuantur, pallidi apparent. Signa ab actione læſa, malè dormiunt, pulſus minutus, frequens, vniformis, diuerſus in fine, anhelitus naturalis, ſed in fine ob virium imbecillitatẽ diuerſus, appetitus deiectus, & quòd ſurſum vergit, fœdi eſt odoris, &c.

Loci conſentientes de ſignis.

Hippoc. prædict. 2. tex. 60. Cognoſcuntur purulenti principio ſi febris non dimittit: ſed interdiu tenuior, noctu vehementior. Si copia ſudoris elicitur, ac tuſſiendi cupiditas adſit, nec quidquam tamen dignum commentatione expuunt, ſi oculi caui reduntur, maxillæ ruborem contrahunt, vngues manuum curuantur, digiti potiſſimum ſummi caleſcunt, in pedibus tumores conſiſtunt, neque cibum appetunt, & puſtulæ circa corpus erumpunt, &c. B. Cauſas horum

horum signorum habes in commune. Gale. Lege de his Paul. lib. 3. cap. 32. ibi, Phthisis confirmata, &c. Lege etiam Gal. 2 de morb. cau. cap. 7 & fusius 1. de diff. feb. cap. 9. Lege etiam Aet. & Paul. ibi, Pus collectum attestantur grauitas pectoris, tussis valida siccáque, &c. De signis præparatorum ad phthisim loquitur Galen. & Hippo. aphor. 5. aphor. 9 ibi, Tabes fiunt, &c. Et Auicen. 10 3. tract. 4. cap. 20. ibi, Isti sunt alati, habẽtes pectus strictum, &c. vbi refert quòd collum gracile & longum præ se ferunt, & humeros ad modum alarum & scapulas quasi à pectore semotas habent, si macilenti sint & carnem cum humorum acrium influxu mollem habeãt, ad phthisim inclinati sunt. Vide de his fusius Arcul. & Galen. de diff. feb. 1. capi. 9. Cognosce etiam ex Galen. & Hipp. prognost. 2. tex. 62. Quatuor eruptionis suppurationis signa, quæ sunt dolor, spirandi difficultas, tussedo, & screatio: quæ si contineantur, & vehementer infestent, celerem significant eruptionem: si minus, diuturniorem, &c.

De cura phthisis & empyematis.

In primis an phthisis curari possit, lege Conciliatorem differentia 193. Si curanda erit, vnica erit intentio, vt videlicet causam tam conseruatricem, quàm productricem amo-

amoueamus : quæ ſi fuerit à ſanguine , per ſectionem venæ reiteratã:ſi à bile,per cholagoga: ſi à phlegmate, per ea quæ pituiram educunt : quanquam ſciam Auicen. à Raze in hoc differre, vt ipſe ſolutiua ad cauſam remouendam exhibeat , quæ à Raze ratione phthiſis factæ interdicuntur.Si verò fiat phthiſis à pleuritide , cura erit in capite pleuritidis nota, Si ab empyemate,tunc puris concoctio adiuuetur, deinde euacuetur: nam ſuppuratio ſi rumpatur , vel deorſum tendet,& expurganda erit per aluum , inteſtina , ac veſicam : ſi ſurſum , verſus pulmonem, tunc per aſperam arteriam elicita tuſſi educetur.Verùm ſi neutra harum via à natura tẽterur,ſupereſt tãtùm, vt locus in quo ſanies conſiſtit,ita aperiatur,vt extrudi poſſit. Si phthiſis proueniat àb vlcere, tunc cura erit vt in primis vlcus abſtergatur cum hydromelle , aqua hordeacea, cũ cicerũ ac zacchari,vel cũ decocto hyſſopi,&c.deinde fluxus deſtillationũ prohibeatur cũ his quæ pulmonem roborant,ſicut eſt ſyrupus myrthinus,puluis pulmonum vulpis,&c.Tertiò, reſiduum permanens exiccetur cum melle & galbano,deinde vlcus conſolidetur cum bolo armenio.Aliqui exhibent lac quod abſtergendi , & conglutinandi vires habet: ſunt qui exhibent aquam hodeaceam cum

cancris

cancris fluuiatilibus coctam, & præcipuè confert, &c.

Loci consentientes de cura phthisis & empyematis.

Mesu.cap.de phth.Primam rem complẽt quæ abscindunt nocumẽta catarrhi, & si causa eius fuerit ex empyemate, peripneumonia & pleuritide, cura eorum dicta est. Secundam rem complent euacuationes causas abscindẽtes, vnde si cognoueris ex plenitudine sanguinis, phlebotomamus ex basilica: si choleram abundare, euacuamus. Auic. ca.de empye. Cúmque eruperit sanies, & existimas quòd pauca sit, mundificetur cum sputo ad quadraginta dies, tunc oportet vt administrentur post eam absterſiua, lauatiua, mundificatiua, dando ea in potu, quum incipit expui, id quod erumpitur, & cum decocto hyssopi rad. lilij, syrup. de melle, &c. Paul. lib. 3. capit. 32. Puris concoctio primùm adiuuanda est fomentis, cataplasmatis: promouet etiam rupturam vomicæ sani lateris incubitus, mulsæ sorbitio & succus ptisanæ cum melle. Valentius decoctum hyssopi & thymi cũ melle, &c. Vide latius de his Galen. 5. meth. cap. 8. & Aet. ser. 8. ca. 65. & de cura vlcerum, 5. methe o. capit. 1. & Auic. de cura vlcerum partium pectoris, & inuenies quæcunque à me dicta sunt, &c.

Obseruationes in cura.

Galen. 5. meth. cap. 8. In vlcere pulmonis primum fac, ne magno æger vtatur respiratu, sed semper agat silentium. Præterea statim à ruptura vasis facta, curam incipias, quòd cruẽtum adhuc vulnus priusquã phlegmonem exciret, glutines. Mesu. cap. cit. Quando consolidatio & cõglutinatio vulneris quæritur, tunc cibaria sint desiccatiua, non eleuata in gradu, multæ exiccationis, & sint conglutinantia, vt sunt extremitates porcorum & hœdorum, &c. Et paulò infrà. Prohibeatur eis omnis lubricitas vẽtris & constipatio viscerum: nam lubricitas vehemens resoluit virtutem, &c.

Conferentia tabidis.

Conferunt tabidis, ius adipis capræ bibitum, amylum, barba hirci cum aqua hordei, betonica, lutum armenium, butyrum, decoctio cancrorum, dragacantum, fœnugræcum, gumi albotim, peucedanum, pix humida, plantago, portulaca, confectio dicta mirabilis. Mesu. in cur. tus. hu. loch de pino, de papauere, Troch. de papauere Haly. Phthisicis conferunt radix acori cum ptisana, & betonica, berbenaca, cancri cum aqua hordei, decoctio scilicet citoniorum, cocleæ cum vino, iecur apri vel lupi, semen lini, lutum armenium, marrubium, porrum,

pulmo cerui, plantago, saluia, stercus vaccarum, confectio de satyrion Mesu. confectio dicta mirabilis, confectio de iacur. Mesu. in curanda phthi. diadragacantum, diapenidion, diarrhodon, diapapauer Nic. phylonium rom. loch de spodio Auic. loch album Mesu. in cu. tuss. hu. syrup. de papanere, violaceus de hyssopo, de psylio. Mes. Triasandali Nico. Troc. de camph. Mesu. de citoniis Serap. de arsenico & zaccharum ros. nouum.

De prognosticis phthisis & empyematis.

Aetius sermone 8. capitu. 65. Quoniam rumpuntur suppurationes vel sursum, vel deorsum. Quæ verò sursum, in vacuum thoracis locum funduntur, & periculosiores sunt. B. Nota quòd suppuratio multis modis terminatur, aut statim sua multitudine suffocat, aut à colluuie pulmo putrefit, vnde phthisis, aut sputo expurgante liberatur, aut per viam magnæ venæ ad vesicam cum vrina crassa extruditur, aut per viam secessus per intestina euacuatur, aut per tumorem in cute pectoris enatum & ruptum educitur, qui modi ferè omnes præter primos optimi reputantur. Hippocrat. aphor. 5. Aphoris. 11. Qui à tabe molestantur, si sputum quod excutiunt graue olet iniectum carbonibus, & capilli à capite defluunt, lethale

lethale. B. Capilli defluunt, vel ob maximum alimenti defectum, vel ob humorum pernicioſam corruptionem, & eſt peſſimum ſignum.

Hippoc. aphor. 5 aphor. 12. Quibuſcũque tabe laborantibus capilli à capite defluunt, ii alui profluuio ſuperueniente moriuntur. Et aphor. 5 aphor. 14. A tabe habito profluuiũ alui ſuperueniens, lethale. Et aphor. 6. aphor. 27. Quicunque ſuppurati, aut aquam intercutem patientes vruntur, aut ſecantur, ſi pus aut aqua vniuerſim effluxerit, omnes moriuntur. B. Vide etiam aphor. 19. & 13. & 22. & 29. libr. 3. circa hanc materiam: item 8. libr. 4. Et aphor. 7. aphor. 16. A puris ſputo phthiſis & fluxus: quum verò ſputum retinetur moriuntur. Aet. ſer. 8. capi. 67. Difficillimè curantur vlcera pulmonis, eo quòd citra tuſſim non repurgantur, & à tuſſi mutuò vlcus corrumpitur. Prætereà pharmacorum vires ad vlcus pertingere non valent, priuſquam in ventre permutentur. Prætereà pulmo per ſpirationes ſemper mouetur, & tuſſiendo lancinatur. Iridem ſi curentur, ita vt fiſtuloſæ & calloſæ cicatrices relinquantur progreſſu temporis fricantur, & leui ex occaſione recidiuantur. B. Vide de his fuſius Gal. 5. met. cap. 8. & 7. de compoſ. med. per loc. Intelli-

ge tamen tu vt Gale. quòd vlcera in superficie pulmonis facta curari possunt, sed antiqua & à phlegmone facta difficulter, vel planè nũquã sanari possunt. Vlcera verò pectoris facilius curantur, tum quia carnosum est pectus, tum quia paruo motu indiget, tum quia substantiam ita mollem & ad erosionem pronam nõ habet vt pulmo. Vide de his latius Galen. loc. cit. & 4. de loc. affe. cap. 5. ibi, Vlcera in pulmone, &c.

Hippo. aphor. 5. aphor. 15. Quicunque ex morbo laterali suppurantur, si in 40. diebus purgantur à die qua fit ruptio, liberantur, si minus ad tabem transeunt. Et prognost. 2. text. 63. Supersunt, quos febris eodem die dimiserit, & cibum citius appetunt, & à siti liberati sunt, & venter exigua & consistentia deiicit, & pus album leue & concolor est, & sine labore ac tussi valida reiicitur. Qui verò contrarium habent, pereunt, &c. Et 2. prognost. text. 52. Quicunque dolor circa thoracem & pulmonem non desinit, adhibitis opportunis auxiliis, in suppurationem verti sciẽdum est. Vide textus alios sequentes ad prognosticũ etiam maxime spectantes.

Galen. 5. meth. ca. 8. Si phegmone semel inuaserit exigua glutinandi est eius spes, in longius tamẽ protrahere potest tẽpus, &c.

B. ratio est, quia in pulmone nec sanies nec pus elui potest, quod in phlegmone soluta prima est intentio, nec vulnus glutinari, quum in perpetuo motu ob respiratio nem pulmo sit.

Authores dissentientes circa empyema & phthisim.

1 Adserere, omne empyema esse per incisionem vel vstionem curandum.
2 Adserere, cum Erasistrato, nihil ex thoracis spatio in pulmonem posse recipi.
3 Adserere, phthisim fieri posse à siccitate per se.
4 Adserere, humiditatem per se posse pulmonem vlcerare.
5 Adserere, phthisim ex vlcere pulmonis antiquo esse curabilem.
6 Adserere, lac nullo modo competere phthisicis.
7 Adserere, zaccharum rosaceum recens nullo modo conferre phthisicis.
8 Adserere, abstergentia expurgantiáque solùm in phthisi conuenire.

Confutatio dissentientium circa empyema & phthisim.

Ad primum, Gale. aphor. 6. comment. 27. Vstione tantùm indigent qui plurimum habent puris, adeò vt desperent per spuitiones posse expurgare: sed omne empyema

tale non est, igitur nec per incisionem cũrandum, &c.

Ad secundum respondet Galen. 5. de loc. affect. cap. 3. ibi, Ii nanque vel ex thoracis spatio in pulmonem quippiam recipi impossibile esse sibi persuadentes, &c. & ibi docet modum & viam qua fit hic transitus. Similiter & 5. meth. cap. 8.

Ad tertium, Gale. aphor. 3. comment. 16. Morbi tabitudines nominati ad has duas sequuntur constituriones, & ad frigidissimam, ex qua nonnulla ex vasis quæ sunt in respirationis instrumentis dirumpuntur, & ad alteram quę coniunctam habet cũ caliditate humiditatem, quarum occasione caput repletum mittit ad pulmonem fluxiones: à sicca verò constitutione omnia alia magis quàm tabitudines consequuntur, & sic à siccitate nullo modo phthisis oritur.

Ad quartum, Conciliator differentia 193. in eius appendice, inquit, quòd humiditas per se non causat phthisim, nisi fuerit coniuncta humido catarrhali vel caliditati vel frigiditati.

Ad quintum, Gale. 5. meth. cap. 8. Vlcera pulmonis non modò ad curandũ sunt difficiliora, sed quibusdam etiam impossibilis eius cura videtur, & hoc ratione & experientia. Ratione, quoniã pulmo est semper

in

in motu: sed quæ sunt sananda, quiete indigent. Experiẽtia, quia neminem eorum ita affectorũ sanatũ viderim. Item 4. de Io. aff. c. 8. multos ex hoc morbo defeciſſe, imò inquit, quapropter omnes perire neceſſe eſt.

Ad ſextum, Gal. 5. meth. cap. 12. Veteres verò etiam mulierem lactantem, iis qui phthoe consumerẽtur, adſtare voluerunt, quorum ſententiæ ipſe quoque accedo, &c. Vbi lac ſummopere commendat. Itidem adſerit 7. meth. cap. 6. Præterea id quod eſt facilis aſſumptionis, optimæ digeſtionis & bonæ nutritionis, item optimè humectans, conſolidans & abſtergens, confert phthiſis: ſed lac habet has cõditiones, vt refert Auic. igitur eſt dandum phthiſicis. Quare ſi ab aliis irritetur, idcirco fit, quia in febre putrida non competit, &c.

Ad ſeptimum, Auic. decima tertij, tra. 4. capite 6. Vnum de maximè conferentibus phthiſicis eſt, zucharum roſaceum, & ex eis quæ multoties ſum expertus, in corporibus & regionibus diuerſis eſt, vt vtatur pane zucharo roſ. & ſi anguſtetur anhelitus, detur in potu ſyrupus de hyſſopo: & ſi inflammetur, dentur trochiſci de camphora, &c. Meſ. Ex rebus mirabilis iuuamenti ad conſolidationes & ſanationes vlcerum pulmonis eſt zucharum roſ. recens & ſupra

quod non præteriit annus,&c.

Ad octauum, Conciliator differẽtia 194. Medici plerunque errant citra phthisis curationem, eo quòd volẽtes purgare saniem tantùm absterſiuis eam expurgantibus vtuntur, vt sanguinis sputum denuò inducant, &c. ibíque notat zucharum rosſ. non nisi præcedentibus mundificatiuis esse exhibendum, &c.

De pleuritide.

Pleuritis duplex, vera & mendosa. Vera, est subcingentis costas pectoris membranæ cum suis musculis inflammatio, cum dolore punctiuo & acutissima febre. Mendosa verò, est inflammatio in panniculis pectoris extrinsecis. Intrinsecus enim in pectore tres continentur membranæ, quarum quædam à Græcis dicuntur ὑποζωκότες, id est subcingentes Latinè, Arabicè pleuræ: quæ verò rectè per medium thoracis ad iugulum feruntur, διαφράττοντες, id est interſepientes, barbarè mediastinum dicitur, deinde diaphragma, &c.

Loci consentientes de pleuritide.

Galenus 5. de loc. affect. cap. 3. Inflammationes, quæ in subcingentes costas membrana ac musculis illi contiguis fiunt, morbum quem lateralem vocant, efficere solent.

lent. Hæc eadem ſententia eſt iuxta Galen. de part. art. med. cap. 4. & de conſtit. art. med. cap. 15. & aphoriſ. 6. comment. 33. ibi, Qui acidum ructum, &c. Meſu. Pleuritis quædam vera, quædam non vera. Vera, eſt apoſtema cadens in panniculis & lacertis, &c. Non vera, quæ fit in lacerto & velamine extrinſecis, &c. Vide de his Auicen. decima tertij, cap. de pleuritide. Item Alexand. & Aët. ſer. 8. cap. 68. ibi, Pleuritis exquiſita & propria eſt inflammatio membranæ extrinſecus latera ſuccigentis, dolorem punctiuum vehementer inferens, cum acutiſſima febre, &c.

De cauſis pleuritidis.

Cauſæ primitiuæ ſunt caſus, percuſſio pectoris, denudaréque ſe poſt laborem in aëre frigido, venti ſeptentrionales, aquæ frigidæ potus & ſimilia. Cauſæ antecedentes ſunt humorum influxus, vel eorum ſuperabundantia, vel retentio ſuperfluitatum exire conſuetarum. Cauſæ coniunctæ ſunt ſæpius ſanguis & bilis inflãmationem actu producentes, rarò pituita, rariſſimè melancholia, quia quod eſt denſius, rarò ad hæc membra penetrat, &c.

Loci conſentientes de cauſis pleuritidis.

Galenus libro de conſtit. art. med. cap. 5. Inflammatio ex humorum influxu ſubori-

tur, quia hæ partes non æquè vt cutis sunt densæ & cõpactæ, sed raræ potiùs. Et aphoris. 6. comment. idem adserit, ibi, Quum vnaquæque inflammatio ex alicuius humoris, &c.

Auicennas decima tertii, capit. de pleur. Et materia huius apostematis vt plurimùm est cholera, aut sanguis cholericus, quoniam in membris tunicosis non penetrat, nisi subtilis sanguis cholericus, vel purus, &c.

Mes. cap. de pleur. Commune est intrinsecis ac extrinsecis pãniculis ab omni materia apostemari, verùm à sanguine & cholera frequentiùs, á phlegmate & cholera nigra rariùs, &c. & hæc de causis antecedentibus & coniunctis. De causis verò primitiuis lege Arcul. Gord. Sauona. & Auic. ibi, Et quandoque facit pleuresim multitudo potus aquæ frigidæ, & frigus additum, & facit euenire caliditas vehemens, & potus vini puri, &c.

De indiciis pleuritidis.

Signa pleuritidis inseparabilia sunt, febris acuta, dolor punctorius, modò ad iugulum modò ad præcordia tendens, spiratio frequens & exigua, pulsus serinus ac durus, tussis magna, interdum cum screatu, interdum absque sputis, quorum signorum

rum si vnũ deficiat, vera pleuritis esse non potest. Signa materiæ inflammationem efficientis sumunt ex colore sputi, vnde si rubeus fuerit, sanguinolenta erit inflammatio: si flauus, bilioſa: si spumosus, pituitosa: si niger, bilis assata. Signa pleuritudinem ab inflammatione hepatis interstinguentia sunt, quia loco, pulsu, dolore, colore: & tussi differunt. Loco, quia infra costas in dextra tantùm parte sentitur durities vel tumor. Pulsu, quia inflammatione hepatis vndosus est. Dolore, quia non acutus, sed grauis. Colore, quia facies malè colorata. Tussi, quia adest sine screatu spirationéque maiori, cõtrà verò in pleuritide. Signa quibus differt peripneumonia à pleuritide sunt, quia in peripneumonia pulsus est vndosus, & genarum malæ rubent ac si fuco delinirentur. Signa quibus differat à phrenitide sunt, quia pleuritis sine alienatione, præsertim dũ incipit, prouenire solet: contrà verò phrenitis cum alienatione incipit, & cum anhelitus constrictione desinit, &c.

Loci consentientes de indiciis pleuritidis.

Gale. 5. de loc. aff. cap. 3 Huius signa inseparabilia sunt, febris acuta, dolor perinde ac si locus intendatur vel pungatur, spiratio frequens & exigua, pulsus paruus arteriam duram & quodammodo intẽsam demonst

monſtrans, tuſſis magna cum ſputis coloratis, nonnunquam ſine his, &c. Orib. apho. 1. comment. 16. ibi, Acceſſiones, &c. Signa, inquit, pleuriticorum ſunt quatuor, ſcilicet tuſſis, reſpiratio difficilis, febris, & dolor acutus, quorum vnum ſi deficiat, pleuritis eſſe non poteſt. B. Habentur hæc met ſigna ab Hippocr. 4. de vic. in mor. acu. tex. 72. & lege cauſam horum ſignorum ex ipſo Gal. in comment. Gale. de conſtit. art. med. cap. 15. ex colore ſputi, quis humor peccet, nobis demonſtrauit, ibi, Si ſputum colore rubro inficitur, tunc ſanguinolentum erit: ſi flauo, bilioſum, aut ſi ſpumoſa excreẽtur, pituitoſum: ſi niger fuerit ſcreatus, tunc iudicandum an fluxio ſiue bilioſa ſiue ſanguinolenta aſſetur. &c. Lege etiam fuſius 5. de loc. affe. cap. 3. & apho. 6. comment. 33. ibi, Quæ à flauis ac ruffis ſputis fit ex bilioſis humoribus, &c. De aliis ſignis quibus ab aliis morbis interſtinguatur pleuritis. fuſius habes iuxta Paul. lib. 3. cap. 33. & à Gal. 5. de loc. aff. cap. 3. De ſignis pleuritidis mendoſę fit mẽtio à Galeno ibidem, 5. de loc. affe. ibi, Sunt & alij laterum dolores cum febre, & exigua reſpiratione, &c. & ſunt hæc, grauitas lateris ſine tuſſi, nullum redditur ſputum, dolor extrinſecus eſt, tumor deinde extrà apparet, &c. Signa con

coct

Digitized by Google

coctionis pleuritidis habentur ex Galeno in commen.12. lib.primi aphor.ibi, Acceſſiones & conſtitutiones morbi indicãt,&c. Lege Gale. etiam 2.de loc.affec.cap.9.ibi, Quòd ſi tuſſiendo nihil expuat,fieri poteſt vt nihilominus pleuriticus ſit ille,&c.

De cura ipſius pleuritidis.

Cognoſcas id in primis licet, an notha vel vera ſit pleuritis: ſi notha,tũc cura tentatiua vtitor cum fotu tum humido tum ſicco,quale eſt decoctum camomillæ,anethi, melliloti, ſemine lini, fœnugræci,&c, vel ſacculum ex ſale, milio, furfure,&c. & cum his quæ potiùs ventrem leniunt,quàm validè ſoluant. Si vera fuerit pleuritis, vel ad reſolutionem, vel ſuppurationem, vel ad alium morbum tranſmutabitur. Si ad reſolutionem, tunc in primis id quod influit reuellendum cum ſectione venæ, cum leuibus clyſteriis, cum cucurbitulis cruribus applicitis, cum fricatione partium inferiorum. Secunda intenſio erit materiæ præparatio, quæ ſi fuerit ſanguinea vel bilioſa, præparabitur cum ſyrupo violaceo, iuiubino, cum aquis violarum, hordei, citruli,melonis indi, cucurbitæ,&c. vel cum decocto rerum pectus frigidãtium. Verùm in materia bilioſa requiritur id quod plus infrigidet,& humectet,quàm abſtergat,in

ſang

sanguinea plus abstergat, quàm humectet, in pituitosa plus abstergat, quàm infrigidet, quale est decoctum hyssopi & syrupus de liquiritia, hydromel & oxymel. Tertia intentio est euacuatio à loco, in quo fit inflammatio, & perficitur cum sectione venæ ex eodem latere patiente, vel solutione ventris, vbi materia ad has partes declinet: nam quò natura vergit, eò ducere oportet per loca conferentia, & hæc fiet tutius per cassiam, mannã, rheubarbarum. T. de agarico, de violis, &c. Quarta intentio erit sputi euocatio ac facilis eductio, & perficitur cum iuleb & syrupis iam dictis, vel aliquo eclegmate, vel inunctione ex oleo violaceo amygdalino dulci, &c. Quinta intentio est residui resolutio, quę fiet cum topicis in modũ emplastri & fomenti cum camomilla. &c. Si verò ad suppurationem vertatur, prima intentio erit puris cõcoctio, quæ fiet cum emplastris ac vnctionibus mollientibus, sicut cum oleo amygdal. dul. butyro, adipe gallinæ, &c. Secunda intentio est rupturæ vomicæ promotio, quæ fiet cũ valida tussi, & cum his quæ dilatant pectus, qualis est mulsæ sorbitio, incubitus eiusdem lateris cum valido corporis motu, &c. Tertia intẽtio est, absterſio cum aqua sacchari vel hydromelle, cum iure cicerum. Quarta

int

intentio erit conglutinatio, & perficitur cum bolo armenio & cum similibus, &c. At si ad alium morbum transmutetur, cura eiusdem morbi curabitur, &c.

Loci consentientes de cura pleuritidis.

Hippo. 2. de vic. in mor. ac. tex. 1. Lateris dolorē siue is per exordia fuerit, siue posteà exortus sit, tentare calidis fomentis dissoluere non abs re existit, &c. & hæc de cura nothæ tentatiua, vbi laudat fomenta ex aqua calida, & quæ ex sale & milio parantur. Auic. de cur. pleur. plura habet, ibi, Verùm humida cū non iuuant, nō nocent, &c. De cura veræ pleuritidis loquitur: deinde Hippocrat. 4. de vic. in mor. acu. tex. 73. ibi, Si dolor sursum vel ad clauiculam, vel ad mammam, vel brachium ascenderit, venam brachij internam secare oportet, qua parte dolor afficit, sanguinémque auferre pro corporis habitu, anni tempore, ætate, imò si dolor acutus fuerit, vsque ad animi defectum detrahes, posteà clysterem exhibebis: si verò sub thorace dolor fuerit, pleuretico ventrem subpurgabis. Lege etiam secundo de vic. in mor. ac. tex. 10. 11. vbi non animi vsque ad defectū venam secare iubet, sed eousque extrahere, donec rubidior multò, aut pro rubido liuidus fluxerit, &c. Quonam latere secanda sit vena,

vena, dubitauit primus Gentilis, deinde omnes neoterici: quanquàm meo iudicio efficaciores sint eorum rationes, qui à parte læsa dicunt extrahi, quàm qui ab oppoſita. Pro his lege Manardum lib. 12. epiſtolarum ad Iacobum Pharuſium, plures rationes adducentem. Galenus ſecundo de vic. in mor. acu. comment. 11. Tutius eſt per venæ ſectionem euacuare, quàm per purgantis medicamenti adminiſtrationem, etiam ſi ad hypochondriorum regionem dolor finiatur, imò per venæ ſectionem nullum impendet periculum, eo diſcrimen maximum ſubeunte, quod per purgationem tentatur, maximè quum morbus hic acutus ſit cum febre vehementiſſima. Quòd etiã diuerſio ad hanc intentionem ſpectet, lege Auic. ibi, Oportet vt prohibeas materiam euenientem cum euacuatione & attractione, &c. De ſecunda intẽtione loquitur Meſ. ibi, Mundificationem corporis oportet vt præcedant præparatiua ad materiei digeſtionem neceſſaria, & ſi materia fuerit cholerica, requiritur infrigidatio maior cum humectatione non ſpoliata à virtute abſterſionis, &c. Si materia erit ſanguinea, requiritur virtus infrigidationis minor, & abſterſionis maior: ſi phlegmatica, requiritur minor infrigidatio, & maior

abſterſo. De tertia intentione loquitur Auicen.decima tertij,de cur.pleu.ibi,Dicamus igitur, quòd cura eſt phebotomia, ſi ſanguis fuerit vincẽs, & ſi eſt humor alius, euacua non cum eis quæ ſunt ſicut myrobalani, &c. Paul.lib.3. cap.33. Recentiores omnibus venam incidũt, veriti, vt opinor, turbationem, quam purgatio ſolet accerſire,&c.

De quarta intentione plura habes ex Meſue,ibi,Quintam rem complent adminiſtrationes medicinarum ſputum facilitantium, quæ fiunt cum humectantibus & lenificantibus, procedendo ad res temperatæ abſterſionis,&c.Auicen.loc.cit.Oportet vt ſit tua magnifica intentio ad hoc vt ſputum facile ſit,& ex eis quæ multiplicant ſputum, eſt dormire ſuper latus infirmum, &c. De aliis intentionibus curatiuis habes etiam plura ex Auicen.loc.cit.ibi,Et ex eis quæ ſunt ſolicite attendenda eſt, vt ſuccurras, maturationi ægritudinis, & ſi ſanies fiat oportet vt ſuccurras cum mundificatione, &c. lege de his vberius Meſ. Marc. Cat.Arcul. Gordonium, & cæteros practicantes.

Obſeruationes circa curam tentatiuam.

Meſu.cap.de pleu.Et canon eſt, debere ab humidis & debilioribus incipere, &

quanto compactior & siccior fuerit materia, tanto tardius ad fortiora prorumpere, ne resoluatur quod est subtile, & cadat duricies in residuo. Cauendū insuper, ne vapor ex euaporatoriis ad nares ægri ascendat, dissolutionem enim & tristitiam & anhelitus constrictionem generat, &c.

Hippocrates secundo de vic. in mor. ac. tex. 9. Verum si fomentis dolor non placetur, non diutius calefacito: siccat enim id pulmones, atque ad suppurationem excitat, &c.

Obseruationes in phlebotomia.

Auic. decima tertij, cap. de pleu. Cùmque phlebotomas & euacuas, & non sedantur accidentia, tunc scias quod prohibitio collectionis, quam quæris, difficilis est: non igitur reiteres phlebotomiam, vt non congeletur materia, quæ habitura est collectionem. Et post hæc, Dispositio debilitatis virtutis non est quæ tolerare possit phlebotomiam & solutionem, sed necessarium est tunc vti clysteriis, &c. Mesu. Oportet phlebotomiam præponi solutiuis, nisi ventris fuerit constipatio, tunc enim præcipimus lenire prius naturam, &c.

Obseruationes in solutiuo pharmaco.

Auic. decima tertij, cap. 1. In solutiuo est timor magnus, ipsum nanq; interdum mo-

uet,

uet,& quandoque non ſoluit,& quandoque ſuperfluit. Vide de his Galenum 2.de vic. in morb. ac. comment.2. deinde, inquit, Auicen. Nec ſoluatur venter cum pharmaco laborioſo,ſed leniente,& vitentur ſtypti ca,ſicuti myrobalani.

Conferentia pleuritidi.

Conferunt dolori lateris & pleuritidi, amygdalæ, anethum, berbena, betonica, bdellium, braſſica, galbanum, gentiana, malua,capillus Ven.violæ,hordeum,paſſulæ,iuiubæ,peucedanum, ſaluia,verbaſcum, vrtica,iris illirica,colatura furfuris cocti in aqua hordeacea,althea,alchana, camomilla,caricæ,hyſſopus;penidij;zucharum violatum, & quæcunque dicta ſunt ſuperius in capite peripneumoniæ.

De prognoſticis pleuritidis.

Hippocr.aphor.3.aphoriſ.23.Hyeme verò morbi laterales,&c. Et aphor.6.aphor.33. Qui acidum eructant, non valde morbo laterali corripiuntur.Et aphoriſ.6.aphor.16.A morbo laterali vel pulmonia habito, alui profluuium adueniens, malum.B. Intellige de fluxu à natura non regulato:nam qui à virtute regulante fit, etiam in principio bonum, niſi vllum aliud accidens fuerit quod virtutem proſternat: vnde Auic. Et fluxus in principio apparens, bonum eſt

signum,&c. Et aphor.5.aphor.8. Quicunq; morbo laterali laborantes in 14.diebus non repurgantur, ij ad suppurationem vertuntur. Et aphor.15.eiusdem. Quicũque ex morbo laterali suppurãtur, si in 14. diebus purgantur, à die qua fit eruptio, liberantur: si minus, ad tabem transeunt. Auicen. decima tertij, cap.de pleu. Quæ est propinqua cordi & parti sinistræ est deterior, sed ad hoc vt maturetur conuenientior, & quæ est remotior à parte sinistra, est salubrior, sed ex parte resolutionis & maturationis magis inobediens. Et paulò pòst, Et apparitio fluxus sanguinis narium est ex signis bonis vltimis in pleuresi. B. Adde tu, quod non tantùm à naribus, sed ab hæmorrhoidibus & matrice proueniens sanguis in casu laudatur. Galen. 10.metho. cap.5. Si pulmonis vel membranæ quæ costis subtenditur, vel ventriculi, vel iecinoris phlegmone sit, quæ has partes occupet, non modò his qui imbecilles sunt viribus, sed etiam quibus valentiores sunt mortifera esse solet. Hippocr.3. prorrhet. text.5. Dolor lateris ex sputis bilios is, si absque ratione euenerit, in furorem aguntur. B. Facto scilicet bilis ad cerebrum transitu. Auicen.decima tertij, tract.4.cap.1. Et quando accidit prægnantibus est pernicios um,

&

& accidens decrepitis ob debilitatem virium in ſpuendo interficit. B. Nam ſolet hominem interimere vel ex eius vehementia ſymptomatum, vel ex præfocatione. Primo modo prægnantes moriuntur, ſecundo decrepiti non valentes materiam extrudere. Hippocr. lib. de aëre & aqua, Qui habent ventrem natura humidum, minimè morbo laterali atque aliis morborum generibus corripiuntur. B. Hic locus citatur à Galen. aphor. 6. comment. 33. & ratio eſt, quia abundante bile aut pituita ſalſa & acri irritatur aluus ad deiectionem, in qua plures humores excerni ſolent, &c.

Authores diſſentientes circa pleuritidem.

1 Adſerere, pleuritidem poſſe fieri abſque febre, Anaxionis exemplo.

2 Adſerere, profluuium alui in omni pleuritide eſſe ſignum periculoſiſſimum.

3 Adſerere, pleuritidem plerunque fieri à tenui pituita.

4 Adſerere, repercuſſiua in pleuritide iam facta conferre.

5 Adſerere, pleuritidem dextri lateris deteriorem quàm ſiniſtri.

Confutatio diſſentientium circa pleuritidem.

Impugnat primum Gale. aphor. 1. comm.

12.ibi, In morbo laterali acuta quidem febris vnà cum ſpirandi difficultate & tuſſi & dolore lateris pungente ſigna paſſionis ſignificatiua nominantur. Et 5. de loc. aff. cap.3.vocat hæc ſigna inſeparabilia, igitur abſque febre fieri non poteſt.

Ad ſecundum.Gal.aphor.6.commen.16. In mediocri verò morbo laterali profluuiũ alui ſuperueniens poteſt prodeſſe ratione euacuationis, & magis quũ ſigna cõcoctionis apparuerint ineſſe paſſionibus, neque adeſt timor ſed morbus eſt citra periculum.

Ad tertium, Gal.aphor.6.comm.33.Pulmo in omni parte rarus ac laxus, promptus eſt omnes ſuſcipere humores, mẽbrana autem ſubcingens plus bilioſo: ob hanc igitur cauſam, quibus pituita natura ſuperabundat, rarò à morbo laterali corripuntur, &c. Vbi habes non plerunque à pituita fieri.

Ad quartum, Gal.2.meth.cap.17. Parcius ad pectus eſt adſtringentibus vtendũ, quando talia humores, qui phlegmonem excitant, in pulmones & cor nonnunquam reprimant. Et paulò pòſt, Quippe foras trahere potius, quàm reprimere in eo debemus.Itidẽ ait Auic.decima tertij, in ſer.cõmuni de cur. doloris. Vnde non mirum ſi Meſ.à Gord.hac de re derideatur, quum in eo morbi principio principiante nullum

opus

opus medici ab infirmo petatur.

Ad quintum respondet Conciliator diff. 100. & tenet quod deterior sit respectu situs materię, item ratione nobilioris partis, item quia sæuiora fiunt symptomata, &c. Lege fusius vbi de peripneumonia agit.

De cardiaca passione.

Sunt cordis passiones se inuicem consequentes numero tres. Prima, est cordis imbecillitas. Secunda, est palpitatio. Tertia, est cardiaca syncopa. Nam facta imbecillitate cordis vehementi agitatur virtus, vnde palpitatio ex qua deinceps syncopis oritur: nec inter se differunt, nisi secundum magis & minus. Palpitatio est quædam dilatatio atque contractio præter naturæ ordinem facta: cardiaca verò syncopa est innati roboris labefactatio & languor siue præceps virium lapsus.

Loci consentientes de cardiaca passione.

Mesu. de ægritud. cor. Aegritudines cordis sunt, debilitas pulsus, tremor & syncopis, non aliter inter se differentes, nisi sicut debiles & fortes. Debilitas facta fortis, vsque adeò vt sit agitatiua virtutis, facit tremorem, tremor superueniẽs generat syncopim, vltimitas in syncopi est extinctio & mors. B. Nota quod Arabes pro palpita-

tione cordis tremorem dicunt, nescientes inter palpitationem & tremorem interstinguere. Sed de his fusius dicemus in fine huius morbi. Gal. lib. de tre. & palp. cap. 5. Palpitatio est quædam dilatio atque contractio præter naturæ ordinem. Et 12. meth. cap. 5. Syncope est præceps virium lapsus. Auic. decima tertij, cap. 6. Syncope est destructio maioris partis plurium virtutum motiuæ ex sensibilibus propter debilitatem cordis & aggregationem totius ad ipsam, &c.

De causis syncopæ.

Causæ syncopæ sunt vel extraneæ vel interaneæ. Extraneæ sunt ambientis aëris malitia, vel res venenatæ, vel animalium venena, vel aliquis animi deflexus, qualis est ingens dolor, timor, &c. vel plures motus, vigiliæ, respirationis prohibitio, &c. Causæ interaneę vel primario affectu fiunt, vel per consensum totius & partis. Si primario affectu, erunt vel mala intemperies, calida, frigida, sicca, humida, vel mala compositio obstruens & spiritus præfocans, vel solutio continui: quæ si fuerit in superficie, mors vsque ad diem secundum prolongatur: si ad ventriculos penetret, statim interficit: vel erit aliqua inflammatio vel abscessus, ex quibus breuiter aut aliqua mora facta mors sequitur.

Si

Si per consensum totius corporis, tunc vel erit febris acuta colliquans, vel vehemens raritas corporis, ex qua magna sudoris copia elicitur. Si per consensum partis, vel erit ab ore ventriculi, vel à mala hepatis dispositione, aut vteri strangulatu, aut à retentis menstruis, aut à vermibus, aut ab immodica hæmorrhoidarum euacuatione, aut à medicamento fiet.

Loci consentientes de causis syncopæ.

Galen. 12. meth. capit. 7. Occasiones quibus syncopæ succedunt, sunt sex, dolor vehemens, vigiliæ, immodica inanitio, interdum motus, & principiorum intemperies. Et cap. 5. eiusdem, Fit syncope ex ambientis aëris malitia, vel ex venenatis facultatibus, vel ex animalium venenis, vel ex aliquo affectu animi & pluribus motibus, ex vigiliis, ex immodica eius tenuitate, ex continentium corporum raritudine, ex respiratu prohibito, & ex nutrimenti defectu, &c. De aliis verò causis loquitur 5. de loc. aff. cap. 2. ibi, Affectus cordis si primario affectu fiant, erunt aut mala intemperies, aut venenosus humor, aut erysipelas, aut inflammatio, aut alius quispiam præternaturalis tumor, &c. Lege de aliis à me recitatis totum hoc caput. Et 12. meth. ibi,

Si per consensum ab ore stomachi, &c. Vide etiam de his quæ per compatiendi rationem fiunt Mes. longo satis sermone pertractãtem. & Auicen. decima tertij, capi. 6. & Paul. lib. 2. cap. 38. Similiter vide Aet. & reliquos practicantes: nam Auic. tres causas ponit, quarum prima est attractio totius aut maioris partis spiritus ad cor: secunda est præfocatio spiritus in corde, spiraculum non inuenientis: tertia est paucitas spiritus in toto, ita vt non superfluat præter illum qui est in minera, &c.

De signis syncopæ.

Signa ipsius syncopę sunt animi defectus, pulsus parui, extremorum frigus & sudor frigidus perrumpens. Signa primarij affectus sunt, quia nulla manifesta causa in aliis membris inuenitur, nec in ore stomachi, quum non adsit nec vomitus, nec nausea. Signa malæ complexionis calidæ sine materia sunt caliditas, æstus, incendium, febris, pulsus frequens &, velox. Signa compl. frigi. sunt pulsus & anhelitus tardus, rarus, præcesserúntque longa ægritudo, sanguinísque euacuatio, &c, adest somnolentia, color pallidus. Signa siccæ compo. sunt extenuatio corporis, nulla sentitur humiditas, pulsus durus, &c. Si sanguis vel bilis peccet, sentitur caliditas, pulsus magnus,

plenus

plenus, fortis. Si melancholia, adest timor, tristitia, solicitudo, pulsus durus, &c. Si pituita, abest sitis, cor percipitur ac si in aqua nataret, pulsus mollis, &c. Signa oppilationis sunt diuersitas in pulsu percepta cum imbecillitate & paruitate, &c. Signa per consensum sumuntur à membris communicantibus materiam: nam si à cerebro, tunc præcessit dolor capitis, vertigines, imaginationes falsæ. Si ab hepate, cognoscitur ex debilitate, caliditate & grauitate in eo percepta cum suis aliis morbis. Si à pulmone cognoscitur ex difficultate spirandi, ex tussi & ex catarrho. Si à stomacho, cognoscitur ex vomitu, nausea, difficultate digerendi, &c.

Loci consentientes de signis syncopæ.

Paul. lib. 3. cap. 34. Notæ ipsius sunt, resolutio animęque defectus, pulsuum paruitas, extremorum frigiditas, & in sudorem proruptio. At si cor incaluerit, magnam crebramque edit respirationem: si refrigerit, exiguam & raram.

De signis primarij affectus & per consensum lege Auicen. decima tertij, capit. 7. ibi, Et quando syncopis non habet causam manifestam, & est cum tremore cordis frequente, & non est, quod est in ore stomachi causa faciens ipsam, tunc ea est cordis

cordialis confirmata: illa verò cum quâ est nauſea & conturbatio, est ſtomachalis, &c. Loci de aliis ſignis habentur fuſius ab ipſo Auic. cap. de ſignis tre. cordis: ſimiliter ab Arcul. Sauo. & Gor. & ab aliis.

De cura tremoris cordis ac ſyncopæ.

Primum regimen erit contrarium cauſæ efficienti tremorem ſiue palpitationem nam ſi fuerit cauſa calida, regimen erit frigidum, cordiale: ſi frigida, calidum, &c. Secunda quæ occurrit intentio, erit digeſtio, præſertim ſi ab aliquo humore fiat, in cauſa calida cum frigidis, vt cum ſyrupo viol. de ribes, de ſuc. acetoſæ, de limonibus, acetoſa ſimp. cum aquis violarum, roſarum, boraginis, nenupharis, &c. Tertia erit euacuatio, quæ peccante ſanguine (virtute roborata) fiet per ſectionem venæ in parua quãtitate, aut peccante bile, per leuia pharmaca, qualis eſt infuſio rheubarbari in rebus cordial. cum myrobalanis citrinis, cum manna ac caſſia. Pituita verò ſuperabundante cum diaphinicone, electuario indo, cum myrobalanis, chebulis & agarico, additis ſemper rebus cord. calidis in melancholia peccante cum confectione hamech. pilulis indis, de lapide lazuli, &c. Quarta intentio eſt reuulſio, qua reuellimus materias à corde,

corde, & deducimus ad membra ignobilia cum fricationibus, cucurbitulis, cum sectione venæ saphenæ, cum lotionibus & clysteriis, &c. Quinta est robur cordi addere, remouẽdo intemperiem calidam cum frigidis, vt puta cum rosis, camphora, sandalis, acetosa, nenuphare & similibus: in causa frigida cum calidis, vt cum buglossa, zedoaria, mellysophyllo, cort. citri, musco, ambra, &c. aut cum compositis, vt puta cum zucharo boraginaceo, buglossaceo, electuario de gemmis, diambra, diamusco: hinc etiam parari possunt epithemata, vnctiones, sacculli, pulueres, &c. Syncopis maximè si in paroxismo fuerit, tres in eius cura requirit intentiones: quarum prima prohibet resolutionem spirituum, qui remanserunt, ne omnino resoluantur: & fit cum irroratione faciei cum aqua rosacea acetóque mixta, vel aqua frigida vel vino. Secunda regenerat spiritus, & virtutem roborat, vnde huc spectant aromatica, & quæ citò reficiunt, qualia sunt vinum, oua sorbilia, aqua carnis, & similia. Tertia excitat vires, & conuertit vapores & spiritus ad exteriora confricatione extremitatum, cum prouocatione sternutationis, facta cum acri aceto & hellebo ro albo, &c.

Loci

Loci de cura syncopæ.

Auic. vndecima tertij, tract. 2. cap. 4. de cura à causa calida inquit, Et stude vt sit aër infrigidatus vltima infrigidatione, vt sint rorationes & odoramenta aromatica camphorata, &c. Vbi commendat etiam res in cibo acetosas cum succis fructuum agrestibus & malis acetosis, &c. Pro secunda intentione inquit, Da ei ad sorbendum syrupum de fructibus, &c. Pro tertia intentione in materiali omniferatur auxilium cum euacuatiuis in sanguineo cum phlebotomia & extractione sanguinis vltima, &c. Lege eum fusius, & plura inuenies à me dicta. Lege insuper Arcul. Marc. Catin. Sauo. & Gordia. & cæteros neotericos. De cura syncopæ loquitur Galen. 12. meth. capit. 5 Quum essentia virium, quibus regitur corpus tum in spiritu, tum in solidorum corporum temperamento consistat, hæc si integra sint, seruari debent: si corrupta, ad integrum reuocanda. Quæ igitur portio defluit, hanc apponendo resarcimus, quod alterascit, in debitam temperiem per contrariam alterationem vindicemus, &c. B. Habes curam illius syncopæ quæ per consensum oris vētriculi fieri solet ab ipso. Gal. 12. meth. cap. 3. præcipuè si à crudis crassísque humoribus fiat: si verò à flaua bile, habes

simil

similiter curam, capit. 5. eiusdem lib. ibi, At quibus ex flaua bile, quæ os ventriculi infestet, syncopa incidit, &c. Lege Paul. Aegi. capit. 36. & 37. lib. 2. omnia ex Galeno satis bellè recitantem, &c.

Quot modis dicatur medicina cordialis.

Auic. in lib. de viribus cordis, Septē modis dicitur medicina cordialis: Primò, quia reficit spiritus & nutrit, vt vinum: & de hoc etiam loquitur ipse secunda primi, summa de pulsibus, & vndecima tertij, in cura syncopis, similiter àqua carnis, oua, & similia. Secundò, quia illustrat spiritus, vt margaritæ & siricum. Tertiò, quia cōgregat substātiam cordis & spiritus, prohibendo resolutionē eorum, vt charabæ, terra sigillata, bolus armenius. Quartò, quia amica est cordi, quale est dulce & odoriferum. Quintò, quia per virtutem suam alteram & viuificat roborando per qualitates manifestas, qualia sunt simplicia temperata, vt borago, buglossum, aurū. Sextò, quia euacuat depurando humorem melancholicū à corpore, aut euacuando quod nocet cordi, vt sunt myrobalani, &c. Septimò, quia sua proprietate occulta roborat, ac cōfortat cor, vt hiacynthus,

thus, semina citri, bugloſſum, &c.

Obſeruationes in cura.

Auic. vndecima tertij, tract. 1. cap. de can. vlceribus cor. Oportet vt ſit velox ſtudium in cura malarum diſpoſitionum cordis, ita vt non fiat error, quia incorrigibilis eſſet, quod non accidit aliis membris, &c.

Obſeruationes in euacuatione.

Auic. loc. cit. Obſeruamus ne ſuperfluat & cadat virtus, deinde poſt euacuationem viuificemus virtutem. Repletio ſanguinea remouetur phlebotomia baſilicæ dextræ, & repletio vaporoſa cum phlebotomia baſilicæ ſiniſtræ. In aliis euacuationibus miſceãtur medicinæ cordiales, &c. Mich. Sauon. de mente Auic. inquit, Audaciores eſſe debemus in adminiſtrando phlebotomiam in ægritudinibus cordis quàm pharmaciam, nam phlebotomia non peruenit ad cor lædẽdo ſicuti pharmacia cum ſuis vaporibus.

Obſeruationes in remouenda mala complexione.

Auic. in cura calidæ. Si inueneris virtutem debilem, & timueris extinctionem, non erit excuſatio, quin permiſceas frigida calidis. Mar. Car. Non debemus exceſſiuè calidis & frigidis vti, & quum infrigidare deſideramus, medicinam calidam aromaticam miſcere debemus, quia frigida claudunt

vias,

vias & penetrare nõ poſſunt, vel hæc ſimul miſcemus vt naturalis calor & ſpiritus vnà conſeruenur : nam Auic. confidimus, quòd ſi natura fuerit fortis, diſcernet inter frigidum & calidum, & afferet frigidum cordi, & calidum ſpiritui, &c. Vide eum fuſius. Gal. 12. meth. cap. 5. Ad robur virtutis conſeruandum & ad ſyncopalem acceſſionem, quo minus derepentè incidat, cauendã, ſingulare præſidium eſt temperamenti cuſtodia, &c. Vide Meſu. de his, &c.

Nocentia ac conferentia cordi.

Nocent cordi, alſcebram, colocynthis, euphorbium, geniſta, mezereon, lac, ſcamonium. Conferunt debilitati, ſyncopæ, & tremori, aurum, caro cochlearum, margaritæ, menta, meliſſa, & xiloaloesambra, & borago, cinnamomũ, crocus granata acetoſa, lapis lazuli, acẽtoſa, myrobalani, aqua florũ myrthi, roſa, poma acetoſa, ſandali ſena, ſpica inda, ſpodium, os de corde cerui, omphacium zingiber, perdix, ſiricum, argentum, been, acetoſitas citri, coralli, coriandrum, doronici, emblici, endiuia, epithimum, folium charabe, mumia, rheubarbarum, perſica, vinum, oua. Compoſita ſunt diamargariton. Nic. electuarium de pomis Meſ. diamuſcus dulcis, aromaticum muſcatum Meſ. electuarium de gemmis Meſ. pli-

ris arcoticon Nic.cõfectio xiloaloes Mesu: diasenæ,dianthos, diarrhodõ Nic. electuarium lætificans Mes.zucharum ros.boraginaceum,diambra,ambra cum ligno aloe & osse de corde cerui cũ aqua rosacea in modum pilularum,electuarium de citro, prælator regum Mes.gallia muscata,oleum mil linum Mes. oleum basiliconis Nic. persica & pyta condita, rob de ribes, de berberis, de sumach,de pomis, de granatis acetosis, de citro, syrupus ros.de pomis, de acetosa, theriaca magna Auicen. triphera ioanitij Mes.theodoricon magnum, troc.de xyloaloes,de musco almans, potio muscata Nic. sotyra confectio,&c.

De prognosticis syncopis & palpitationis.

Hippoc. aphor.4.aphoris.65.In febribus circa ventriculum & fortis æstus & cordis tremor vel dolor,malum.Et aphor.2.aphor. 41.Qui frequenter ac fortiter absque causa manifesta exoluuntur,derepentè moriũtur.

Paul. lib.3.cap.34. Si syncope valida sit, medicinæ locus non est, sed si vires adhuc tantillum cõstent, aliquando ad sanitatem recursus est,&c.Gal.12,meth.cap.6. Existimandi sunt insanabiles, qui viribus iam languentibus aliquod eorum viscus phlegmone infestetur,quoniam nutrire eos assi

duè

duè non possumus, nec seruare eos, si non nutriãtur: licet, &c. Auicen. vndecima tertij, tract. 2. cap. 6. Et scias quòd syncopis cõfirmata curam non recipit, & propriè quando perducit ad viriditatem faciei, & conuersionem colli, & ille cuius res peruenit ad hoc, tunc quum caput eleuat statim moritur. B. Tria requiruntur ad hoc, vt confirmata dicatur, primum quòd sit continua, secundum vt sit vehemens, tertium quòd nulla adsit causa manifesta, vt dictum est in aphor. Gal. 12. meth. cap. 5. Si copia humorum crudorum vires premant, & propter tum multitudinem tum crassitiem exiguos animalis meatus obstruant, iam multis nominibus exitialis est syncope, &c. Auic. loc. cita. Quúmque confirmatur in corde malitia cõplexionis, non recipit curã, & quando non est confirmatio, non facilè curatur: apostema quidem calidum est interficiens statim, & frigidum ex eis est, quæ sunt difficilia, quúmque cor non toleret vt apostemetur, quomodo tolerabit vt collectio & sanioſitas in ipso fiat? Cor longinquius est ad hoc vt toleret solutionem singularis. Et quãdo accidit, vt penetret vsque ad ventres eius, interficit statim: & si nõ est penetrans, postponitur eius interfectio vsque ad secundum diem. Et quando permutantur materiæ ex-

pulsæ ad cor ex pleuritide, & peripneumonia sunt causæ magni timoris & mortis subitæ. Et quando calor purus aut frigus purum peruenit ad cor moritur, & quandoque vidi congelatum loqui, & iam morie batur cum sudore, &c. Lege hunc locum fusius.

Authores dissentientes circa cardiacas passiones.

1 Adserere, idem esse palpitationem & tremorem cordis.
2 Adserere, syncopim frequenter accidentem esse signum mortale.
3 Adserere, sectionem venæ vsque ad syncopim non esse fiendam cum Auerrhoe.
4 Adserere. vinum in defectu animi non esse exhibendum.
5 Adserere, in actu syncopis reficientia spiritus non præmitti debere stypticis.
6 Adserere, syncopim & lipopsychiã nullo modo inuicem differre.

Confutatio dissentientium circa cardiacas passiones.

Impugnat primum Galen. lib. de tre. & pap. cap. 5. ibi, Tremor est partium quæ sursum viciſsimque deorsum feruntur, inuoluntarius motus: sed sursum ferri & distrahi, & ferri deorsum & contrahi non idẽ est: igitur nec tremor & palpitatio idẽ sunt, &c.

Ad

Ad ſecundum, Gale. aphor. 2. com. 41. Nõ omnes qui exoluuntur, derepentè moriuntur, ſed qui ſæpius, fortiter, ac ſine cauſa manifeſta exoluuntur: igitur frequens ſyncopis hoc non efficit, ſed tantum ſeruatis tribus dictis conditionibus.

Ad tertium, Gal. apho. 1. com. 23. In maximis inflammationibus & in febribus adurentibus, mẽſura euacuationis eſt vſque ad animi defectũ: nã in febribus ardẽtiſſimis ſtatim totius corporis habitus refrigeratur, febris extinguitur, & plurimis aluus citatur, ſudores emanant, &c. In maximis verò doloribus nullũ maius inueni remediũ, quàm vſq; ad animi defectũ euacuatur, &c. vnde argumenta Auerrhois nõ concludũt, quum plerunq; ea quæ natura inchoat ars, deinde perficiat, & econuerſo.

Ad quartum, reſpõdetur, quòd ſi vinũ interdici deberet, maximè iis qui ſyncopi laborãt, ex flaua bile interdiceretur: ſed Gal. 12. meth. ca. 4. omnibus quos ſyncope malè habet, offerri iubet, eo quòd deductionẽ in corpus promoueat, igitur in ſyncopi vinum erit exhibendũ: intellige tu omnibus phlegmone interiori non laborantibus, &c.

Ad quintum reſpondetur, quòd actu exiſtens ſyncopis reſici virtus deſiderat, & ſic præcedent reficientia ſtyptica, ſed ſi timea-

tur de futura ſyncopi, ob nimiam euacuationem, debent præmitti ſtiptica, & hæc ex Galeno 12.meth.cap.6.

Ad ſextum, Gal.12.meth.cap.5. loquens de ſuccis grauantibus, ac obſtruentibus, inquit, Quòd ſi nec obſtruant, nec onerent, ſyncopem ij certè non inferunt, ſed quas lipopſychias Græci vocant: vbi lipopſychiã à ſyncopi differre dicit. Prætereà ſyncopis accipitur tanquam genus, lipopſychia tanquam ſpecies, igitur aliquo modo inter ſe differunt, &c.

De vomitu, nauſea, & vulnuloſa ſubuerſione.

Vomitus eſt motus facultatis expulſoriæ ſtomachi, cum quo expellitur id quod eſt noxium per viam oris.

Loci conſentientes de vomitu.

Galen.6.de ſympt.cau.cap.2. accipit nauſeam pro vomitu, dum inquit, Nauſea eſt expultricis facultatis motus deprauatus, quo per gulam id celerrimè euacuatur, quod ventriculo eſt noxium. Interdum accipitur nauſea pro præuia ad vomitum diſpoſitione, ſicuti primo de loc.aff. capitu.4. dum inquit, Quòd ſi humor quiſpiam in ipſis ventriculi tunicis contineatur, nauſea quidem vexabit, ſed inanis & ſine vomitu, & quæ irritat duntaxat, nullum humorem

morem euacuans, &c. Et octauo de comp. med. per lo. ca. 2. Appellãt eos stomachicos quibus nausea contingit, & maximè si ad vomitum impellat: erunt igitur quatuor se inuicem sequentia symptomata: primum ἀπνοια, quæ fit quum stomachus intemperie vitiosus, aut humorum redundantia cibos auersatur: hæc dum crescit, nauseã parit, ex qua adhuc aucta, subuersio oritur, quæ fit dum fundus stomachi ad superiora vertitur, vnde quum vehemens est, subuersio vuluulosa à Galeno octauo de compos. med. per loc. cap. 3. dicitur, non minus ac si vehementi contentione & violentia, veluti in vuluulis siue ileis, dum stercora vomuntur, subuersio fiat, à qua demum vomitus siue reiectatio fieri solet, &c. Auic. 13. cap. de vom. Vomitus & subuersio sunt motus stomachi ad expellẽdum ex eo quod est in eo per viam oris.

De causis vomitus & nauseæ.

Causæ procatarcticæ sunt aër corruptus fœdi odoris, cibus & potus in odore & sapore malus, aut nimia eius assumptio, aut mala eius præparatio & vnctuositas, motus à cibo statim laborioſus, ira & cætera animi accidentia, imaginatio alicuius rei obscœnæ, similiter casus, percussio, veneni potus & animalium venenosorum morsus.

Cauſæ antecedentes per eſſentiã ſunt mala intemperies, calida, frigida, aquea, & flatuoſa, materiæ ſtomacho inhærentes vel natantes, quæ grauando, pungendo ac extendendo vomitũ excitãt, item acuitas ſenſus oris ſtomachi, mala cõpoſitio, ſicuti accidit in oppilatione pylori, id eſt, ianitoris, vel morbus in numero, vt vermis mordicando ac pungendo, ſolutio continui, inflammatio & abſceſſus puſtulæ, dolor & imbecillitas ipſius ſtomachi, &c. Cauſæ per conſenſum vel fiunt à toto, vt in febribus, & tũc vel eſt creticus vel ſymptomaticus, ſicuti accidit in febribus malignis, & eſt peſſimus: vel fit à parte, ſicuti à cerebro materias tranſmittente, vel ipſo percuſſo & vulnerato, vel ab hepate, ſplene, inteſtinis, &c.

Loci conſentientes de cauſis vomitus.

De cauſis primitiuis lege Arcul. & cæteros practicantes. Gal. 6. de ſympt. cauſ. cap. 2. circa mediũ, Huiuſcemodi excreationes fiunt interim grauato ob multitudinẽ ventriculo, vt quum plurimum cibi ingeſtum eſt, interim ob rem mordacem, quemadmodum per cruditates cibus ingeſtus, vel acidum ruſtum vel nidorem, vel amarorẽ, vel acrimoniam refert: & in hoc genere continentur pituitoſa ac bilioſa & acetoſa excrem

crementa, tum ibi nata, tum ex vniuerſo habitu animantis in ipſum deriuata. Eſt & tertium cauſarum genus, quibus ventriculus ad vomendum concitatur nulla vel grauui vel mordaci re ipſum irritante, ſed ob id duntaxàt, quod præter naturam quippiam in eo cõtinetur. Vocantur præter naturam quæcunque poſtquã concocta ſunt, alere non poſſunt, quare non tam acida pituita & ſalſa, verùm dulcis, & ſanguis quandoque in ventriculo conſiſtentes ipſum ad vomitum impellunt, &c. Lege etiam Gal. 1. de loc. aff. cap. 4. Item aphor. 6. com. 1. &c. Habes etiã de his cauſis ſenſum Auicen. 13. tra. 5. cap. 8. ibi, Et id quod commouet os ſtomachi ad vomitũ, aut eſt qualitas operatiua operatione materiæ, ex qua læditur membri communicantis vt cerebri, aut aduentus percuſſionis, aut materia groſſa imbibita, aut infuſa in ipſo corrumpens cibum, &c. Lege eum fuſius. de his Arcul. vberius agit, &c.

De ſignis vomitus, &c.

Signa ad vomitũ præcedentia ſunt, nauſea, ſubuerſio, tremor, labiorum & hypochondriorum tenſio. Signa vomitus qui fit per conſenſum ſunt: quod ſi à toto, vel à parte fiat, in eorum augmento vomitus & nauſea augetur, & in eorum morbi decre-

mento minuitur. Indicia per essentiam sunt primò, si à nuda & mala intemperie sine materia fiat, quòd tristis quidam aderit sensus in ore ventriculi, nec vlla aderit in ventriculo grauitas, nec ructus exiens erit alicuius extranei saporis, sed frequēs & inanis aderit nausea absque vomitu. Signa à mala intemperie cum materia sumuntur à grauitate percepta, à ructus sapore siue amaro, dulci, acido & fœtido, à siti si humor sit calidus, à putrefactione & ab eo quod vomitur. Indicia obstructionis pyleron sunt tarda concoctio & cibi descensus, nisi moræ in causa sint aliæ causſæ. Signa vermium erunt commotio quædam, siue titillatio circa vētriculum. Signa solutæ continuitatis sumuntur à dolore, ab exitu sanguinis, & à similibus, &c.

Loci consentientes de signis vomitus.

Auicen. decimatertia tertij, tract. 5. Signa vomitū antecedentia sunt nausea, subuersio, tremit labium, accidit tensio hypochondriorum. Signa humoris calidi putridi sunt sitis, & sapor malus in ore, & putrefactio apparens, &c. Vide de aliis signis eū fusius. Galen. lib. de plen. circa finem libri, de his etiam signis mentionem fecit, ibi, Patet stomachum hoc loco apellari os ipsius

ipsius ventriculi, vbi si pituita colligatur, appetitiones excitat: si verò bilis flaua fuerit, sitim & cibi fastidium pariet, præterea os erit illis amarulentum. At si atra bilis, morosi & tristes, & sine siti, saliuáque plurimum illis scatet: nec tamen omnes cibum fastidiunt, imò eorum in quibus atra bilis acida fuerit nõnulli satis famelici sunt, &c. Lege etiam primo de loc. affect. cap. 4. ibi, Rursus distinguendo inuestigabimus, num ab intẽperie ipsius ventriculi hoc eueniat, an à flaua bile in ipso contenta, an à iecinore malè suo officio fungẽte, an is ex vniuerso defluat corpore, an etiam in ipso gignatur ventriculo, &c. B. Ex hoc loco postremo elice, quòd ex frigido ciborum cupiditas excitatur, &c. lege de sig. omnibus Arcul & Sauon. & Gord. fusissimè loquentes. Vide etiam Platearium, &c.

De cura vomitus.

In cura vomitus primùm considera an cibalis sit, an humoralis, item an creticus an symptomaticus: si cibalis, vel per essentiã, vel consensum. Si per essentiam, tunc quatuor erunt curandi intentiones: prima est causæ vomitus remotio: secunda est ventriculi roboratio: tertia est diuersio & accidentium correctio: quarta est victus ratio. Prima igitur & secunda intentio vno & eod

eodem tempore cum contrariis moderatè ſtypticis alterantibus malam complexionem remouebit. Tertia perficietur cum reuulſione, cum cucurbitulis, ſuppoſitoriis, clyſteriis, frictionibus: quod ſi acciderit, ſyncopis eiſdēmet auxiliis, vt ſuprà dictum eſt, curabitur. Quarta intentio ſit moderantia in cibo & potu, participent aliqua ſtypticitate remedia & cibaria, ſintque facilis concoctionis, ſaporis non ingrati, vinum laudabile, & quod patienti placeat, &c. Si verò fuerit vomitus per conſenſum, tunc moderanda erit ſiue totius ſiue partis conſentientis diſpoſitio, ſimilitérque roborandus erit ſtomachus cum his quæ exterius & interius applicari poſſunt: deinde cum diuerſionibus prohibere fluxum humorum ad ſtomachum. Quòd ſi vomitus ſit creticus, tunc vel integrè iudicatur, & ſic naturæ relinquendus: vel in aliquo deficit, & tunc in eo quod deficit, ſupplere oportet: ſi verò ſuperfluat, compeſcendus eſt. Vomitus verò ſymptomaticus vel ex ſtomacho prouenit, vel ab aliis membris aliunde deriuatur. Si primò, tunc intentiones medendi erunt tres: prima euacuatio humoris in ventriculo contenti: ſecunda eſt ſtomachi intemperies corrigenda, ſimúlque ſtomachus roborandus: tertia eſt diuerſione

ne fluant ab aliis membris humores,& accidentium correctio,quæ omnia etiam suprà relata sunt. Si ab aliis membris proueniat vomitus, similiter in primis euacuandum, deinde diuertendum,& membra tam mandantia, quàm suscipientia roboranda vt alterum ne mittat, & alterũ ne suscipiat prohibeamus,&c. Vomitus igitur si non fuerit qualis esse oporteat, tunc si sanguis cum aliis humoribus peccauerit, secanda erit vena communis, maximè etiam si ex suppressione menstruorum & hæmorrhoidarum proueniat. Si verò à sanguine peccent alij humores, tunc facta aliquali præparatione,sicuti in bile peccante,cũ oxysachara,syrup. de agresta, de granatis, de citro, de limonibus, de endiuia, de citoniis, de papauere,cũ aquis endiuiæ,plantaginis, lupulorum,&c In pituita cum rhodomelle, syrup. de absinthio,de menta, de bisantiis, de fumo terræ,de epithimo cũ aquis mẽtæ, absinthij,&c.Fiat euacuatioin bile cũ rheu barbaro, myrobalanis, cit. pilulis aloëphanginis: in pituita cum rheubarb.& myrobalanis cheb.agarico,&c. Reuulsio fiat vt dictum est cum cucurbitulis natibus ac coxis affixis, cum ligaturis iuncturarum, cum lotionibus pedum, cum proritatione vrinæ & sudoris. Fluxus etiam intercipitur

vias

vias obstruendo, humores incrassando, & ventriculum roborando, cum diacitonite & troc. de olibano Razes, &c.

Loci consentientes de cura vomitus.

Auicen. decimatertia tertij, tra. 5. cap. 12. Sermo vniuersalis in cura vomitus est huiuscemodi, vt qui generatur à corruptione administrationis cibi, rectificetur, & adiuuetur ex quibusdã confortãtibus stomachũ boni odoris, calidis & frigidis, secũdũ quod conuenit, & ille cuius causa est materia mala, aut plurima, euacuetur illa materia cum ebibitis, & clysteribus, & minor etiã cibus & subtilietur, &c. Gal. 1. de loc. affe. cap. 4. Igitur si ipsum quod molestat nil aliud quã intemperies fuerit, calidã refrigerando, & frigidam calefaciendo, illico hominẽ iueueris, maximè si videris refrigerãtibus tũ medicamentis, tum victus ratione hominẽ sanari & calorificis lædi, &c. Lege fusius Gal. 8. de compos. med. per loc. cap. 1. ad finem, & cap. 3. ibi, Vomitus ob imbecillitatem grauati stomachi oborti curantur, &c. Vide de his Arculeum & Gordonium, &c.

Obseruationes in cura vomitus.

Hip. aphor. 4. aphor. 6. & 7. Graciles & facilè vomentes purgare superius, cauentes hyemẽ: vomẽtes verò difficulter & mediocriter

criter carnosos, per inferiora, cauẽtes æstatem. B. Quomodo & quibus conueniat vomitus habetur ab Hippo. in lib. de salubri diæta tex. 17. vbi inquit, Vomitus hoc modo irritare oportet homines obesos, ieiuni vomãt currendo, aut celeriter eundo: graciliores & imbeciliores à cibo vomitum prouocent. Lege etiã tex. 20. & 22. eiusdem, & vide in comment. latius Galenum. Gal. lib. de sect. ven. ad finem, Caue ne noxam stomacho inferas: nam stomacho læso multæ aliæ corporis particulæ læduntur, &c.

Obseruationes ante vomitum.

Ioan. Arcul. cap. de vom. & eliciuntur ex Auicen. quarta primi, cap. de vomitu, Insueti prius ad vomitum assuescãt leuibus vomitiuis, ne ad insueta tam citò fiat trãsitus. Secundò, ante vomitum præcedat ventris lenitio, & cibetur cibis diuersarum virtutum mixtis ex incisiuis abstergentibus, viscosis, dulcibus, vnctuosis, acetosis, &c. Tertiò ante vomitum fac, quòd extrema & stomachus sint calida, & quòd tempus sit calidum in meridie, &c.

Obseruationes post vomitum.

Ioan. Arcul. Finito vomitu lauet sibi faciem cum aqua rosacea, cui parum aceti sit admixtum, lauétque os ex vino. Tardet cibũ per duas horas, & quum cibatur, tribuan

tur

tur res boni odoris & suauis saporis, paucæ quantitatis, facilis digestionis, velocis penetrationis, paucæ superfluitatis, dormiat & non bibat, &c.

Gal. 8. de cõpos. med. per loc. cap. 3. Erit ob id curationis scopus, vt simul ad affectas partes odoratas qualitates imponamus, quales aromatum sunt, nam quemadmodum graueolentia omnia stomachum subuertere solent, sic odorata corroborare, &c.

Conferentia vomitui.

Conferunt vomitui, absinthiũ, acetũ scilliticum, acetosa, omphacium, allium, aloẽs, anethum, anisum, aurata piscis, betonica, calamentũ, castanea, cæpe, citoniũ, citrum, coriandrum torrefactum, grisomilla, endiuia, fœniculum, phistici, cariophyllum, mala granata, acetosa, lupinus dulcoratus, mastix, melissa, myrthus, mespila, nux muscata, olibanum, origanum, pyra, piper, poma, pulegium, pruna, rosa, rosmarinus, sumach, spica, scenoanthos, tamarindi, vuæ non recẽtes, acatia, &c. Composita sunt alipta, moscara Nic. antidotum hæmagogum Nic. aquæ thermarum, aluminosa, rosacea, aromaticum ros. Mes. Confectio alchanzi Mes. diacitomiten, diaolibanum Nic. electuarium de myrtho Auicen. phylonium

nium Nic. cum posca, menta cum aceto, musc. almans. hiera picra, Gale. pilulę arom. Haly. rob. de ribes, de acetosa, de agresta acetositatis citri, de berberis, de citoniis cornuum, fructuum, granatorū, pyrorum, pomorum, sy. de agresta, de menta, de acetosa, de succis, acetosus de citoniis Mes. de fructibus. Auic. de citoniis, de granatis, de rosis, troc. de olibano almans. sotira Nic. rosata nouella Nic.

De prognosticis vomitus.

Hippo. Aphor. 1. Apho. 2. In perturbationibus ventris & vomitibus spontaneis si talia purgentur, qualia purgari oportet, confert & leuiter ferunt: si minus, contrà. Ec Aphor. 4. Aphor. 22. Morbis quibuslibet incipientibus si atra bilis vel suprà vel infrà exierit, lethale, &c. Et Aphor. 7. eiusdē, Vomentes verò difficulter & mediocriter bene carnosos per inferiora, timentes ęsta tem. Et Aphor. 6. Aphor. 15. A longo alui profluuio habito spontaneus vomitus superueniens morbum soluit. B. Hîc nota naturam esse medicorum magistram: nam retractionem edocet, quam imitari debet medicus. Et Aphor. 7. Aphor 3. A vomitu singultus & oculorum rubor, malum. B. Quotienscunque ventriculus ab humoribus infectatur, vel per vomitiones vel in-

fernè eos abiicit, & ſtatim à ſingultu liberatur: quum verò ſingultus nõ deſinit, duorum alterum ſignificat, vel cerebrũ, vel ventriculum non mediocrem pati inflammationem, &c. Et Aphor. 7. Aphor. 10. Ab ileo vomitus, ſingultus, deſipientia vel conuulſio, malum. B. Quia nil ad inferiora deſcendere ſignificat. Et Aph. 36. Eidem quicunque euomunt ſanguinem, ſi ſine febre quidem, ſalutare: ſi verò cum febre, malum: curare verò acerbis & refrigerantibus. B. Intellige de vomitu qui à ventriculo tantùm prouenit, non à pulmone. Eſt enim ſalutaris vomitus, quũ nullius inflammationis ſuſpicionẽ afferat, præſertim ſi ſine febre fuerit. Vide Gal. in comment. Hippoc. prognoſt. 2. cap. 7. Vomitio vtiliſſima eſt, ſi pituita ac bile mixta quàmmaxima eſt, ſi nõ multa, nõ craſſa eſt: ſyncerior enim deterior eſt. Et tex. 39. Si vomitio fuerit praſea, aut humida, aut nigra, quodcunque ex his fuerit, malum. Et tex. 40. Si idem homo omnes vomit colores, exitiale admodum eſt. Et tex. 41. Vomitio liuida ſi graue olet, ocyſſimam indicat abolitionem. Et text. 42. Omnis ſubputris ac fœtidus odor in omni vomitione malus, &c. B. Habes rationes ex Galen. quur ſyncerum deterius ſit permixto, & de aliis quæ tibi in legendo

do apertissima erunt, &c. Auic. tertiadecima tertii, tra. 5. cap. 8. Et ex nausea est, quæ est signum crisis, & quandoque est signum malum, sicut in febribus pestilentialibus. Et quum multiplicatur in conualescentibus, indicat conuersionem: & in administratione vomitus cum æqualitate, & iuuamentum maximum, & assiduatio eius maximè debilitat virtutem stomachi, & facit eum lacunar superfluitatum. Et vomitus quidem creticus euadere facit spasmũ: nam accidit febricitanti spasmus aut epilepsia, & subitò euomit humorem vt flos æris: & euadit. Et multotiens vomitus sanat ex singultu clamoso. Et ex administratione vomitus cum æqualitate conseruantur renes, & curantur nocumenta eorum, & nocumẽtum pedum, & eruptio venarum, &c. Et deterior vomitus est ille vomitus sanguinis, nisi secundum necessitatem sit. Et amatur quidem vt administretur in mense bis, & melior horarum vomitus est, quę est post balneum & cibum, &c.

Authores dissentientes circa vomitum.

1 Adserere, vomitum quolibet tempore & in omni homine posse tutò prouocari.
2 Adserere, vomitum non nisi à re grauante vel mordaci irritari.

3 Adſerere, in ſyncopi ex conſenſu ventriculi facta non conferre vomitum.

Confutatio diſſentientium circa vomitum.

Ad primum, Gale. Aphor. 4. comment. 7. Cui imperandus eſt vomitus, oportet vt ſit gracilis & facilis ad vomendum, & quòd non ſit hyems: & ſic nō quolibet tempore prouocandus, nec in omni homine. Nam mediocriter carnoſos & difficulter vomentes in inferiora, non per ſuperiora purgandos admonet, &c.

Ad ſecundū, Gale. 6. de ſympt. cau. cap. 2. Eſt & aliud cauſarum genus, quibus ventriculus ad vomendi impetum concitatur, nulla vel graui, vel mordaci re ipſum irritante, ſed ob id duntaxàt quod præter naturam quidpiam in eo continetur.

Ad tertium dicitur, quod eſt opinio Gal. 1. art. cur. ad Glau. cap. 14. quòd prouocetur irritando ſtomachum. Itidem Auic. 2. 3. de cura ſyncopis. Itē Haly abbas 6. pract. cap. de ſyncopi: & in hoc latet Auerrhois quantumlibet, verùm ſi ſyncopis cum ſudore fieret, tunc nequaquā fieri iubet Auicen. loco citato, &c.

De corruptione concoctionis & eius imbecillitate.

Cōcoctio eſt ſecundū qualitatem, quam nim

nimirum ventriculus facit, dum cibos sibi similes reddit, alteratio: quæ trifariam lędi tur, vel omnino abolita est, & talis permanet cibus, qualis ingestus est: vel imbecilla fit, & cibus tardè concoquitur, vnde βραδυπεψία, id est, tarda concoctio à Græcis dicitur: vel deprauata est, & tunc cibus in alienam qualitatem permutatur, vnde ἀπεψία, id est, cruditas appellatur. Cibus verò interdum & ipse ita corrumpitur, vt nullam concoctionem admittere possit, & nullum proprium nomen habet, &c.

Loci consentientes de corruptione concoctionis.

Gal. 6. de sympt. cau. cap. 1. Concoctio est secundum qualitatem, quam nimirum ventriculus facit, dū sibi similes cibos reddit, alterātio, &c. Lege eum fusius.

Et tertio de sympt. cau. cap. 4. Alteratrix similiter vel omnino abolita est, quū cibus secundum omnes qualitates talis permanet. qualis assumptus est: imbecilla, quum tardè concoquit: deprauata, quum in alienam qualitatem cibi permutantur, &c. Lege eum fusius. Lege etiam 6. de symp. cau. cap. 1. ibi, At bifariam vitium fieri potest: aut enim tardè alterantur cibi, vt vix propriam transmutationem suscipiant: aut corrumpuntur omnino vt nullam concoctio-

nem admittant: illud βραδυπεψία, hoc verò nullum proprium nomẽ habet. Vide Auic. 13.3.tra.3 cap.1.ibi, Et cibus aũt conuertitur ad id quod facit digestionẽ integram, aut conuertitur ad id quod digeritur digestione aliqua non integra,&c.lege eum fusius.

De causis corruptionis, concoctionis, ac eius imbecillitatis.

Causæ primitiuæ imbecillitatis concoctionis sunt aër corruptus,fœtidus,vaporibus malis admixtus, similiter ventriculi vel alicuius membri sibi compatientis caliditas nimium dissoluens, aut frigiditas calorem natiuum extinguens. Cibus qui sua qualilitate mala, aut sua quãtitate confici non potest,aut quia intempestiuè, aut nõ recto ordine,aut quum diuersimode ingeritur.Potus similiter quum bibitur plusquàm ad cibum spectet. Coitus in cibo, & accidentia animi immoderatè spiritus cõmouentia,&c. Causæ antecedentes & coniunctæ per se sunt mala ventriculi compositio,mala figura,vt si fuerit maior vel minor quàm deceat,vel figuræ rotũdę,quum naturaliter oblõgæ sit. Causa similiter erit lapsus ad frigidã & siccam intemperiem, & humores cuiuscunque generis in ventriculo superfluentes. Per consensum à toto

fit

fit etiam imbecillis concoctio, ſicut in febribus, hydrope, criſi, &c. A' parte, vt læſo cerebro, ſplene, hepate, &c. Cauſæ corruptionis vel erunt in ventriculo, vel in cibis aut in rebus ſuperuenientibus. Si in ventriculo, vel fiet per proprios ventriculi morbos, ex quibus corruptio ciborũ ſequitur, ſicuti ex ſolutione continui, ex eius inflammatione, &c. Si in cibis, vel corruptio fiet per ſuam malam qualitatem, vel vaporoſam, vel acidam, aut fœtidã aut putridam, &c. Vel per ſuam quantitatem, vt dictum eſt, &c. In rebus ſuperuenientibus ſicuti ab errore externo accidente, vel à vitioſis humoribus in ipſo cumulatis.

Loci conſentientes de cauſis.

Gal. 6 de ſympt. cau. cap. 1. Cauſa cõmunis eſt alteratricis potentiæ à ſcopo aberratio. Fit autem bifariam, vel à potentia ipſa affecta, vel ab externo errore. Potẽtia rurſus bifariam læditur, vel per ſuam ipſius eſſentiam, aut per aliquem inſtrumentorum morbũ. Error triplex eſt, vel à ventriculi excrementis, aut à cibis, aut dormiẽdi tempore. Per ſuam eſſentiam ex intemperie quadam agentium qualitatum. Per inſtrumentorum morbos, vt per eryſipelata, œdemata, phlegmones, ſcirrhos, abſceſſus, & propter alios morbos ſimplices &

compoſitos in ventriculo exiſtẽtes, quibus malè ventriculus concoquit læſa exiſtẽte eius potentia. Interdum etiam animal non concoquit, aut ob immodicam ciborũ potuúmque quantitatem, aut prauam qualitatem, aut quia intempeſtiuè, aut non recto ordine ingerantur, &c. Lege Gal. 1. de loc. aff. cap. 3. ibi, Corruptionis ciborũ tres ſunt differentię, &c. Auic. 13. 3. cap. de corrupt. dig. Et ad ſummum cauſa in hoc aut eſt in cibo, aut in receptore cibi, aut in rebus accidentibus ſuperuenientibus eis, &c. Vide eum fuſius: nã ibi omnes cauſæ recitantur, quæ nuper à me dictæ ſunt, &c. Vide etiam Gal. 3. de loc. aff. cap. 6. ibi, Quia concoctionis opus, &c. ibíque intelliges quòd digeſtio ſit in fundo vẽtriculi, ſicuti in eius ore ipſe appetitus, &c. Lege etiam Arcul.

De ſignis corrupt. concoctionis ac eius imbecillitatis

Indicia debilis cõcoctionis cognoſcuntur ex grauitate, extenſione, & ex mala cibi tolerantia. Cognoſcuntur etiam ex viſu & patientis relatu, ex ventoſitate, ex rugitu, ex mora cibi in ſtomacho, ex paũca corporis refectione, facieíque pallore, & ex multo ſputo. Signa diminutę cõcoctionis ſunt, ſi poſt decimã horam ructus odorum malum redoleat. Signa corruptæ ſunt, ſi

nidor

nidorosum,fœtidúmque,aut aliam nõ consuetam qualitatem sapiat.Signa malæ temperaturæ & malæ compositionis solutíque continui ex dolore,& ex his quæ de vomitu dicta sunt, iam patẽt.Intemperiem verò frigidam & humidam attẽstantur, sitis modica, sapor insipidus, acidus ructus, color linguæ albus, pallor vultus cum albedine. Calidam verò & siccam demonstrant sitis assidua, sapor oris amarus & ructus fœtẽs nidorosus,color linguæ flauus,pallor cum flauitie. Attestantur esse in stomacho flatum rugitus & extensio. Signa corruptæ concoctionis & materię corruptę sunt fœtor,sapor inconsuetus & horribilis,nausea, vomitus singultus & syncopis. Vbi verò mora fuerit plurium dierum, & non continuò hęc adsint,aliunde materiam prouenire indicium certum est,&c.

Loci consentientes de signis corruptionis.

Gal.6.de sympt.cau.cap.1.Corruptiones nidorosæ sunt à calidioribus & bilioſioribus, acidæ à frigidioribus & magis pituitosis. Acidas quidem creant quæ pituitosa sunt & frigida,fumosásque calida & biliosa. Et paulò pòst, Tardas etiã cõcoctiones cibi difficulter corruptibiles faciunt, si vltra quàm vires tolerant sumantur,simili-

liter & vigiliæ, &c. Lege locũ fusius Auic. 13.3.tra.3.cap.4. Illam quæ leuis est, significant grauitas & extensio & remanentia cibi in stomacho longior, &c. Vide Auic. fusius hîc, & in cap. de corrup. digestionis. similiter Arcul. Gord. & cæteros practicantes, & habebis quæcunque à me recitata sunt, &c.

De cura corruptæ concoctionis & eius imbecillitatis.

Cõsiderandũ an per se vel per cõsensum ab aliis partibus afficiatur stomachus. Si per se, tunc si à modica replerione fiat, per somnum longum sanabitur: si verò à multa repletione, tunc educto per vomitum cibo iam corrupto cum aliis humoribus admixtis, primùm stomachi discrasiam per sui contrarium curato, & causas quę alteratricem facultatem debilitant auferto, ventriculũmque roborato. Vnde in causa frigida roboratur ventriculus, simúlque materia præparatur cũ syrup. de absinthio, de menta cum mina citoniorũ aromatica, cum rhodomelle, cũ aquis absinthii mentæ. Roborant etiam ventriculum plurimæ cõfectiones, sicuti aromaticum rosa. diagalanga, diaciminum, diatrion pipereon, &c. In causa calida primùm facta euacuatione vel per vomitum vel per secessum, materiæ

teriæ præparatio fiet cum syrup. rosaceo, & aliis quæ suprà in capit. vom. memorata sunt. At si per consensum morbus fiat, tunc quod transmittit membrum, corrige per euacuationem & reuulsionem, & stomachus ne humores aliunde fluētes recipiat, roboretur, & sui demum intemperies permutetur, résque non naturales in contrarium ordinentur, &c.

Loci consentientes de cura corruptæ concoctionis, &c.

Aet. ser. 9. cap. 24. Si à ciborum corruptione fiat cruditas, statim per vomitum tollenda est corruptio. Quòd siquis natura difficulter euomat, enæmate succurratur. Si à defectu ventriculi cum his quę concoctionem adiuuāt, curato, &c. Auicen. 13. 3. tract. 3 cap. 5. Cùm fuerit debilitas digestionis à causa leui, aut à repletione antecedente non plurima tunc sufficit in ea longitudo somni. &c. lege eum fusius. Lege etiá cap. 7. ibi, Primum est vt educatur corruptum in stomacho cū vomitu aut solutione ventris, & rectificetur regimen, &c. lege eum vlterius, & inuenies quodcunque dictum est: lege Arcul. & Mar. Catinarium, &c.

Obseruationes in cura cibandi.

Aet. ser. 9 cap. 24. Ad cauendam cruditatem præuidere debemus, vt neq; in multitu-

dine

dine, neque in qualitate eorum quæ in cibo accipiuntur, neque in acceptionis opportunitate, neque in ordine delinquat, ſed quæcunque concoquere valeat, ea tantum ingerat, &c.

Auicen. 13.3.tra.3.capit.7. Caue à frigidis ſubtilibus (quoniam ſubtilia corrumpuntur in eorum ſtomachis) non vomat ante cibum, ne ſtomachus debilis fiat, ſumátque res ſtomachum roborantes, &c.

Obſeruationes in topicis.

Gal.8.meth.cap.5. Quæcunque applicantur ſtomacho, ſint valde calida: nam tepida firmitudinem ventriculi diſſoluunt, & talia in duplici vaſe calefacienda ſunt, ne eorum facultas vitietur, &c. Nota etiam quæcunque dicta ſunt de vomitu circa ſtomacum ſuprà, &c.

Conferentia concoctioni & ſtomacho.

Conferunt ſtomacho, & cõcoctioni proficiunt hæc ſimplicia calida, vt ſunt abſinthiũ, agaricus, aloës, calamentum, calamos aron, cardamomũ, cinnamomũ, ciperi, nuces cupreſſi, citrum conditum, phiſtica, galanga, gallia, gariophyllũ, grana pini cum zucharo, macis, maſtix, laudanum, menta, oliuæ, olibanus, oua paſſulæ, rheub. ſcoria ferri, vinum, xyloaloës & zucharum. Compoſita

posita calida sunt, aromaticum ros. garyophillatum, diaciminum, confectio Alexandrina, confectio de xyloaloës, de galanga, de citoniis, de scoria ferri, cerotum Alexandrinum Mes. emplastrum diaphinicon, oleum masticinum, de absinthio, de menta, pilulæ stomachicæ, aloephanginæ, syrup. de absin. de menta, de fumo terræ, de cort. citri, theriaca magna, triphera minor, troc. de ros. de absinthio, hiera Gal. Simplicia frigida sunt, acetosa, acetum, agrestа, aqua chalybeata, belirici, berberis, citonia, corallus, coriãdrum, emblici, endinia, cicorium, vinum & aqua extinctionis ferri, granata, Izarabe, chebuli, lactuca, myrobalani, myrthus, mespila, persica, poma, pruna damascena, ribes, rosa, sorba, sumach smaragdus, perdix, pellicula interior stomachi gallinarum, capillus veneris, coriãdrum, &c. Composita frigida sunt, diacitoniten, diaarhodon, electuarium de sorbis, rob de rides, de berberis, de sumach, de citoniis, de pyris, de pomis, de granatis, de citro, syrup de myrtho, ros. zucharum ros. oleum citoniorum, ros. &c.

De prognosticis corruptæ concoctionis & eius imbecillitatis.

Auicen. 13. tract. ca. 3. Quandoque perducunt debilitas digestionis & cõuersio cibi ad

ad phlegma, ad tremorem & frigus extremitatum, & commotionem paroxysmi febris, verùm pulsus non est pulsus vt initio febris. Et dicitur in libro mortis velocis. Qui habens nauseatiuam satietatem & tarditatem digestionis, bothor apparẽs niger super oculos eius similis ciceri, & rubet pars eius, & viridis fit pars alia, tũc ipse moritur in 17 Ga. 6. de symp. cau. ca. 2. Cùm cõ coctionis gradus quatuor enumerẽtur, primus fit in ventriculo, secundus in venis, tertius in qualibet parte, quartus qui alterationis species est assimilatio dicit. Porro cõcoctio vel omnino deficit, vel deprauata est. Si deficit corpus assumpto cibo non pascitur & fit atrophia. Si deprauata est, fiunt vitiligines, leucas & elephas: vide eum Fusius. Auicen. 3. 3 tract. 3. capit. 1. Sanguis qui non est digestus digestione conuenienti naturæ non recipitur à membris, sed putrefit & fœtet nec fit ex eo nutrimentum, nec bona assimilatio: vnde non mirum si sequatur lyenteria, hydropos, scabies, &c. Imò corrupta digestio in conualescentibus semper recidiuam pronuntiat, &c.

Authores dissentientes circa concoctionem.

1 Adserere, hominem posse viuere naturaliter pluribus diebus sine cibo.

2 Adserere, à siccitate & humiditate absq;

aliis

aliis qualitatib. actiuis cõcoctionẽ lædi.

3 Adſerere, poſſe aſſignari tempus moræ ciborum in ſtomacho.

Confutatio diſſentientium circa concoctionem.

Impugnat primum Gentilis & experientia, nam quum recitaſſet ex Alberto, vetulam in Lombardia vixiſſe per 40. dies ſine cibo, ipſe inquit, Hæc difficilia ſunt in homine apud me: nam tales humores deberent potius putrefieri & carere regimine naturæ, quàm nutrire, &c. Vnde naturaliter loquendo, non ſolùm impoſſibile eſt, ſed etiam non credendum, &c.

Ad ſecundum, Auicen. de noc. digeſt. Verùm ſicca & humida non perueniũt ad hoc ſecundum plurimum, vt appareat ex eis ſolis cum æqualitate ambarum aliarum qualitatum nocumentum in digeſtione: igitur non lædunt abſque aliis qualitatibus.

Ad tertium, Quum diuerſimodè loquuti ſint authores de hac re, idcirco tale tempus aſſignari impoſſibile exiſtimo: nam Auerrhois dixit, quòd tempus moræ eſt 16. horarum: Gentilis, 10. horarum Auicen. de cur. febr. plegmatici inquit, Hora cibi ſi poſt paroxyſmum tepore & eradicationem eius, & ante paroxyſmum ad minus quatuor horis. Vbi cõcludi poſſet quòd

ſto-

ſtomachus in ſpatio quatuor horarum ſit à cibo vacuus: nam ſuperius dixerat, Caue ne occurrat paroxyſmus, niſi ventrem habeat vacuum, &c.

De appetitu canino.

Quum appetitus ad naturalẽ actionem pertineat, non ad animalem, vt ipſe Gale. ait, ad appetitum neceſſe eſt vt præcedat inanitio, deinde inanitarum partium naturalis appetitus, hunc mox ſequitur ventriculi per venas ſuctio, deinde ſuctionis ſenſus qui eſt fames, demum animalis appetitus omnium vltimus: hic erit duplex: alter ad cibum, & eſt appetitus calidi & ſicci: alter ad potum, & eſt appetitus frigidi & humidi. Quorũ vterque trifariam aboleri poteſt, ſi vel ſuctionis ſenſus pereat, vel ſuctio non fiat, vel corpus non inaniatur: vnde dicimus quòd appetentia, vel eſt abolita, vel imbecillis, vel deprauata. Abolita, quum nihil quis appetit: imbecillis, quum in appetendo deficiat: deprauata, quum immoderatam cibi potionísque exhibitionem appetat, aut ad alienæ qualitatis deſiderium vertitur. Appetitus igitur caninus erit plurium quàm poſſit digeri intenſior appetentia, à cuius aſſumptione animal non ſatiatur: alienam qualitatem

appe

appetere est,ac si ea quæ secundum naturã non sunt,quis appetat, qui morbus à Galeno cita.1.pica siue malacia, eo quòd vtero gerentes mulierculas infestet, vocatur, ita vt carbones extinctos & testas & similes absurdos cibos appetant,&c.

Loci consentientes de appetitu canino.

Galen.4.de sympt.cau.cap.7. de his longiori sermone petractat, quem fusius videre poteris. Facit etiam mẽtionem de appetitu canino.6.de loc.affect.ca.2.ibi canina appetentia vexantur,&c.Et 5. de loc.affect.capit.6. locus affectus demonstratur, ibi, Quæ aut canum moræ, &c. Et est os ventriculi deuoratorum pondus sustinere non valens,&c.Similis etiam sensus habetur in compos.Aphor.20.lib.2. Vide etiam latius Auicen. tertiadecima tertii, text. 8. capit.10.de corruptione appetitus: & Aet. ser.9.capit 20.& 23.de vitioso appetitu: vide etiam Arcul.& alios,&c.

De causis appetitus canini.

Causæ quæ caninum appetitum excitãt sunt plures:quandoque excitatur hic appetitus post diuturnas euacuatiões ac febres prolixas,interdum à virtute retentrice corporis, quandoque à vermibus cibum as-

ſumptum deuorantibus, interdum à catarrho ad ventriculum ſtillante. Sed ad ſummum tres erunt præcipuè cauſæ, frigiditas ſcilicet cogens ac exprimens, caliditas reſoluens, & inanitio conſumens, frigiditas erit vel ab acida pituita vel à melancholia,&c.

Loci conſentientes de cauſis appetitus canini.

Auicen.13. cap.2. tra.12. Multotiens excitatur hic appetitus caninus poſt euacuationes & febres prolixas reſoluentes, & quandoque accidit ex debilitate virtutis retentiuæ in corpore,& quandoque propter caliditatem ſuperfluam in ore ſtomachi reſoluentem,&c,lege locum hunc fuſius:Galen.4.de ſymp.cau capi.7.Caninæ appetentiæ binæ ſunt cauſę,quarum vna eſt acidorum humorum vicium, altera eſt plurima per totum corpus inanitio, ſiue ipſa caloris vim ſequatur, ſiue retentricis facultatis imbecillitatem,&c.Habes etiam in 2. aphor.comment.21,quòd canini appetitus vel propter ſolam intemperaturam frigidiorem,vel propter humores acidos, quos exorbuit os ventriculi, fiant. Similis ſenſus habetur à Paulo lib.2.cap 51. & ab Aet. ſer.9 cap.21.& 22.ſed latius conſule Gale. loco citato: nam præter alia, plura exempla affert de ſiti immodica, ſicuti de meſ-

ſore

ſe qui vinũ, in quo vipera extincta fuerat, bibit & mortuus eſt: Item de eo qui ex veteri vino inebriatus, & de his qui in naui aquam marinã bibere auſi ſunt, & de quodam febre ardenti laborante, &c. quorum cauſa erat ſalſus vel bilioſus humor ventriculum mordicans. Quòd verò vermes ſint cauſa appetitus canini, legere poteris non ſolùm Auicen ſed & neotericos omnes, &c.

De ſignis appetitus canini.

Signa humorum acidorum in ventriculo ſunt, multa deiectio eorum quę deuorata ſunt. Signa inanitionis ipſius habitus exacta inanitio, nec cibus per totum corpus diſtribuitur. Signa frigiditatis ſunt eo quòd nulla vel parua adeſt ſitis, copioſa adeſt deiectio, adeſt etiam fames aſſidua, & cibi aſſumpti grauitas, flatus multiplicatio, praua concoctio cum ſingultus copia. Signa caliditatis ſunt ſitis vehemens, corpus non impinguatur, nec quicquam per vomitum vel per ſeceſſum excernitur, &c.

Loci conſentientes de ſignis appetitus canini.

Galen. 4. de ſympt. cau. capit. 7. Canina appetentia ſi ab acidis humoribus fiat cognoſces: quia eorum quæ fuerunt ingeſta, multa fiet deiectio: ſi ab inanitione, quia per habitus exactam inanitionem cibus

per corpus non digeratur,&c. Razes 9. almanſ. Si cibus nec eum grauat, nec ipſum euomit,nec per ſeceſſum expellit, ſignum eſt à vi caloris morbum fieri:ſi verò aſſiduè famem patitur,& cibus poſt aſſumptionem grauat, ita vt vel vomere, vel per ſeceſſum reiicere neceſſe ſit, ſignum eſt morbũ à frigore oriri, &c. Lege etiam Aet. ſer. 9. cap.cit.Auicen.13.tra.2.cap.13.Signum eius qui fit poſt euacuationes & ęgritudines eſt anteceſſio earum,&c. Signa eius qui fit ex frigore ſunt paruitas ſitis, multitudo fæcis, inflatio,&c.Signa ex caliditate ſunt fortitudo ſitis,& non eſt vomitus acetoſus, & natura eſt vt plurimùm conſtricta, &c. Signa eius qui fit ex debilitate virtutis retentiuæ eſt multitudo egeſtionis crudæ,&c. Signa ex humore acetoſo aut melancholico ſunt paucitas appetitus, & aceſitas eructationis,&c. Vide Arcul. etiam & alios practicantes,&c.

De cura appetitus canini.

Omnem operã dabis in remouendo cauſam:nam ſi fiat poſt euacuationes & febres prolixas, tunc reficientibus victuoſis quæ os ſtomachi mũdificẽt opus eſt,ſicuti eclegma eſt ex oleo amygdalino dulci cum zucharo paratum.Si fiat à retentricis facultatis imbecillitate, tunc per contrariũ eius

complexionis curato, vt si humida cũ siccis, si calida cum frigidis, &c. Si fiat à catarrho, tunc cura erit, prout dictum est in capite destillationum. Si verò fiat ab acida pituita, quemadmodum sæpius fieri solet, tũc his potissimum vtendum est quæ incidant ac repurgent, vt sunt dulcia, salsa, & alioqui abstergẽtia calida, qualis est hiera Galeni. deinde vinum dulce. Prosunt etiam calida pinguia, sicut butyrum cum brodiis pinguibus, cinnamomo, garyophyllis & croco paratum. Si verò fiat à vermibus, conferunt ea quæ vermes interficiũt, deinde vtetur stypticis. Si fiat à calore plurimo resoluente remoue cum frigidis tam intrinsecè quàm extrinsecè applicitis poros carnis obstruentibus, vt cum oleo myrthino ros. &c. abluantúrque aqua frigida & aceto, nisi quod prohibeat: cibi verò sint frigidi, crassi, viscosi, quales acidi, acetosi & congelati, vnde confert etiam in hoc casu panis azymus & similes cibi, &c.

Loci consentientes de cura appetitus canini.

Auic. decimatertia, tra. 2. cap. 14. Verùm illos quibus accidit hoc post febres fortes & euacuationes, oportet cibari ex vnctuosis quæ mũdificãt os stomachi, quæ nõ sint malæ substantiæ, quale est oleum amygda-

larum dulcium cum zucharo, &c. Illis verò qui patiuntur ex debilitate virtutis retentiuæ, licèt secundum plurimum debilitetur propter frigus, tamen debilitatur omnis virtus propter omnem malitiam cõplexionis, idcirco oportet vt cognoscas cõplexionem, & opponas cum contrarietate curæ, &c. Hippo. aphor. 2. apho. 22. Famem σπάρμξις, id est, vini potio soluit. Gal. in commen. inquit, pro fame intelligi debere non naturalem quæ ex longa inedia aut ab alia euacuatione facta sit, sed tantùm appetentiam caninam, quæ vini potione & cibis pinguibus & oleaginis curatur, quia hoc symptoma plerunque fieri solet à frigida intemperie, siue nuda, siue humoribus imbuta, vnde vinum calefaciẽdo excludit humores & stomachi intemperiem emendat.

Obiectio.

Videtur hoc in loco Auicen. discordare à Gale. 1. in ordine assumendi: nam Gal. vino præmittit pinguia, Auicen. pinguibus vinum, dum inquit, Ipsum sanat sumptum in potu calefactum in ieiuno. Præterea Auicẽ. non semper laudat vinum, vt Gal. maximè, si adsit ventris solutio, quum dicat, Oportet vt omne vinum tunc deuitent, &c.

Responsio.

Dicimus vinum tantùm conferre post pinguia

pinguia, vomitus ratione, sed ad resoluendum humorem viscidum, ieiuno stomacho vt Auic. In reliquis verò sunt concordes, si bene considerentur. Paul. lib. 2. cap. 15. Quoniam igitur à pituita potissimùm acida constituitur affectus, iis vtendum est, quæ hanc incidant repurgéntq;, vt sunt dulcia, salsa, & alioqui abstergentia calida, &c. Aet. ser. 9. capit. 22. Nullo alio tutiori medicamento expurganda est acida materia, quàm picro appellato pharmacho, quod non tantùm calefacit, sed dissecat, repurgat, extrahítque ex profundo oris ventriculi, quin & ventri robur addit, ne facilè humorem nociuum suscipiat: appetitus verò qui à fortitudine caloris prouenit, non hoc medicamento, sed iis tantùm indiget, quæ cutem condensare ac spissiorem reddere possunt, vt est oleum ex immaturis oliuis expressum: abstineant à potu vini & ab omnibus quæ tam intrinsecus quàm intrinsecus calefacere possunt, &c. Lege Auicen. ibi, Et similiter cura eius est, quæ accidit propter resolutionem plurimam, &c.

Conferentia appetitui canino.

Conferunt canino appetitui omnia pinguia, vinum, diaciminum, diatrion, pipereon, emplastrum aggregationis. Auic. 3. 5. emplastrũ purgamenti ferri Haly. 14. antid.

theriaca.Serap.hieralogodion Haly.7. antid.hiera picra Gal.&c.

De prognoſticis appetitus canini.

Auic.1.Tra.2.ca.12.Et ſcias quòd appetitus caninus multoties perducit ad bulimū & ſubet & mortē,&c.Gale.4.de ſympt.cau. c.7.Non mirum ſi affecto ore vētriculi,vbi appetentia conſiſtit,quandoque dolores & animi defectio ſequatur:nam tum ob exactam ſentiēdi vim, tum ob ſitus vicinitatē hoc contingere poteſt,&c. imò ex neruorū aut arteriarū conſenſu cardialgia , morbus comitialis, grauis ſopor & deliria conſentiente cerebro eueniūt,&c.Hip.aph.5. aph. 27.Qui noctu bibere appetunt, iis admodū ſitientibus ſi ſuperdormierint,bonū,&c. B. Quia conquieti per ſomnum ſubdeſcendit id quod ſitim efficiebat. Et nota quòd qui ex humidi defectu valde ſitiunt, iis dandus eſt potus:nam ſuccurrere defectui, eſt, inquit Gal.medicinale Theo. Vide tamen de ſiti in lib.de febribus infrà,&c.

De bulimo.

Bulimos,eſt intenſus membrorum appetitus cum deiectione appetētiæ ſtomachi, vnde venæ fiunt vacuæ,ſed ſtomachus reſpuit ac abhoret cibum,&c.

Loci conſentientes de bulimo.

Auicen decimatertia,tra. 2.capit.15.Bulimus

mus vocatur fames vaccina, & est mẽbrorum fames cum satietate stomachi, & venę quidem sunt vacuæ, & stomachus cibum respuit &c. Gal. apho. 2. comment. 21. Passio bulimos appellata est casus potentiæ appetitricis à frigiditate exteriore, qui à fame quidem inchoauit, sed non habet amplius eam adiunctam, &c.

De causis bulimi.

Causæ primitiuę sunt motus per loca niuosa & frigida, vel mala ventriculi intemperies, vel eius imbecillitas, vel frigiditas virtutem attractoriam & sensibilem mortificans, similiter & inanitio, &c.

Loci consentientes de causis bulimi.

Galenus 4. de symptomat. caus. capite 7. Accedit ad hoc bulimos, id est, vehemens fames, quæ fit quum simul penuria, imbecillitate & refrigeratione ventriculus afficitur, & c. Auicennas 13. tra. 2. capite 15. Et multoties accidit iter agentibus in frigore & congelatis, quorum stomachi ex frigore vehementi inspissantur, & causa eius est malitia complexionis, mortificans virtutem sensibilem & attractiuam, & fit ex humoribus, &c.

De signis bulimi.

Signa bulimi recitata sunt suprà capite de appetitu canino, nam cõmunia prope-

modũ ſunt. De his vide Gal. lib. de fin. med. ibi, Bulimos eſt ingens fames, & diſpoſitio, in quo fit cibi inquiſitio ex paruis interualis: qui hac detinentur, reſoluuntur & concidunt, decoloréſque fiunt, perfrigeſcunt iis extrema corporis, & torquetur ſtomachus, víxque pulſus percipitur, &c.

De cura bulimi.

Quum morbus fiat à frigore exteriori, curetur cum calidis aromaticis, in quibus adſit ſtypticitas, deglutiántq; panem infuſum in vino odorifero cretico, deinde fiat aliqualis diuerſio, ligando extrema manuum & pedum. Somnus interdicatur, pungantur a cſuſcitentur, cum vrtica & virgis paruis ſuauiter flagellentur, fiantque emplaſtra circa regionem ventriculi ex odoriferis ac cordi congruentibus, & ſi aduenerit ſyncopis, tũc ſpargatur eorum facies ex aqua frigida, ſtringantúrque manus ac pedes, euellantúrq; capilli: quum verò ſyncopis deſinit, ſtatim cibentur, &c. In cauſa calida vtantur frigidis, velut roſa, nymphea, viola, coriandro præparato, ſandalis, camphora, fiántque epithemata frigida ex aqua roſ. nenupharis cum ſandalis, &c. Cibaria ſint boni nutrimenti cum omphacio conditi. Potus ſit vinum granatorum cum iuleb roſ. vngatur etiam ſtomachus cum

oleo

oleo rosmyrthino, &c.

Loci consenntienies de cura bulimi.

Auicennas decimatertia tertii, tra. 2. ca. 17. Est cura casus appetitus, & oportet vt odorentut cibi promouentes appetitum, habentes species & fructus odoriferos & aromatica odorabilia, in quibus est stypticitas, vt congregetur virtus, & deglutiant panem infusum in vino odorifero, &c. Vide hunc locum fusiùs, & omnem curam intelliges. Lege etiam Act. serm. 9. cap. 20. de cura perditionis appetitus, nam ambo hi morbi simul coincidunt, &c. Vide etiam Arcul. & Marc. Cat. &c.

De prognosticis bulimi.

Act. ser. 9. capi. 6. Assidui bulimi & exoluunt, & in animi deliquia incidunt, quibus ægrè auxilium reperitur. B. Nota quòd syncopis ex bulimo, tum ob corporis inanitionem, tum ob oris vẽtriculi nocumentum, cui cor compatitur, accidere solet: quę si longo durauerit tempore, plerunque ægros ad interitum perducit, &c. Intellige etiam de bulimo quæcunque dicta sunt de prognosticis appetitus canini.

Authores dissentientes circa bulimum.

1 Adserere, idem esse bulimum & appetitum caninum:

2 Adserere, virtum in quolibet appetitu

car

canino conferre.

3 Adſerere, cibaria craſſa tantùm in bulimo & appetitu canino competere.

Confutatio diſſentientium circa bulimum.

Ad primum reſpõdetur, quòd definitiones vtriuſq; datę ſunt, quæ manifeſtant nõ idem eſſe. Prætereà Gal. aphor. 2. com. 21. in fine eos reprehendit dicẽs, quòd progenerali & vniuerſali faciunt ſpecialem & particularem. Prætereà bulimos tantùm à frigiditate exteriori fieri poteſt, & non appetitus caninus. Demũ bulimos incipit cum fame, ſed perſeuerat ſine fame, quod non facit appetitus caninus, &c.

Ad ſecundum, Gale. eodem in comment. Talem famem vini potio ſanat, non autem eam quæ ex longa inedia, vel alui profluuio, aut fluxu ſanguinis, aut alia aliqua facta euacuatione, &c.

Ad tertium reſpondetur, quòd & ſi cibaria craſſa, eo quòd magis ſedẽt appetitum, videantur congrua, nihilominus tenuia dãda ſunt, tum quia virtus imbecillis eſt, tum quia facilius per membra diſtribuuntur, &c.

De dolore ſtomachi & eius flatu.

Dolor ſtomachi eſt eius quidem triſtis ſenſus à mala intemperie nuda vel materiali,

riali, aut à soluta continuitate proueniens, cuius causæ primitiuæ sunt percussio, casus, offensio stomachi vel membri consentientis, vt cerebri, nerui intestinorum, vel regimen cibi inordinatum, vel aliarum rerum non naturalium. Causæ antecedentes sunt nuda intemperies, vel cum materia acri & mordicante, vel à sanguine, pituita, aut potus aquæ frigidæ, aut flatus extendens, aut soluta continuitas sicut ab vlceribus, vel ab aliquo abscessu. Causæ coniunctæ suut ipsi humores, vel reliqua dolorem stomachi actu efficientia, &c.

Loci consentientes de causis doloris stomachi.

Auicen decimatertia tertii, tra. 2. capit. 1. Dolor stomachi accidit aut propter malitiam complexionis absque materia, aut cum materia, & propriè acuta mordicatiua, aut propter solutionem cõtinuitatis ex causa ventosa extensiua, aut mordicatiua aduста, aut aggregatiua ambarum rerum simul. sicuti est in apostematibus calidis, &c. Lege eum vlterius, & inuenies etiam causas, quur dolor accidat ante comestionem, & sedatur quum comeditur, &c. Consule in hoc etiam Arcul. 9. Alman. Gale 6. de symptom. caus cap. 2. Spiritus in ventriculi spatiis oriri solet, quum humores pituitosæ

tuitosi ibi contenti, vel cibi ab imbecilli calore in vapores resoluuntur. Nam vt absolutum frigus vaporem non excitat, ita calor magna ex parte quæ comprehendit vincens plusquàm pro vaporis generatione cibum extenuat, nisi fortè suapte natura in flatum transeat. Quare relinquitur quòd à calore imbecilli cibos nõ omnino conficiente, sed quodammodo dissoluente flatus siue spiritus exoriatur, &c. Lege etiã fusiùs Galen. de caus. flatus. 14. meth cap. 7. ibi, Porrò halituosum spiritum in animalis corpore ex succis, &c.

Flatus ca.

De signis doloris stomachi.

Signa bilis sunt mordicatio, dolor punctorius, sitis, oris siccitas atque amaritudo. Signa pituitæ sunt, oris salsedo, præsertim si salsa fuerit pituita, inflatio, grauitas sensibilis, aliquando frigiditas: interdum fit sitis ratione doloris & clamoris, item adest vomitus pituitosus, pallor faciei, &c. Signa flatus sunt eructatio, rugitus: ructus fiunt vel strepitus, extensio in hypochondrio iuuatur per emissionem strepitus, dolor permutatur frequenter. Signa apostematis sunt appetitus destructio, eminet in parte exteriori, præsertim si fuerit circa os ventriculi: si verò fuerit in fundo concoctio destruitur, nec apparet eius eminent

nentia, adest febris, &c. Cognoscuntur vlcera ex sanie & reliquis exeuntibus, &c.

Loci consentientes de signis doloris stomachi.

Auic. decimatertia, trac. 2. cap. 2. Et mordicatio cum inflatione est significatio materiei calidæ propter qualitatem acutam, vel salsam: si mordicatio non est stabilis, imò renouatur, significat effusionem choleræ ex hepate, &c. Et signa ex ventositate sunt eructuatio & rugitus & extẽsio in hypochondriis, &c. De his consule Arcul. fusiùs, Gal. 6 de symp. cau. cap. 2. Cognoscitur flatum esse in ventriculo, quoniam si per os reiicitur, facit ructũ: si per inferiores partes, flatũ reddit vel strepẽtem vel sine strepitu: quòd si per neutrã partem deferatur, symptoma ventriculi efficit ob imbecillitatem non potẽtis spiritũ redundantem & nebulosum expellere, &c. lege hoc totũ caput: nam ex flatu acuto ac tenui sono, & similiter ex bombosis diuinare te doebit, qua ex parte flatus procedat, & alia ad rẽ facientia: lege etiam neotericos, &c.

De cura doloris stomachi.

Diuersimodè curabitur dolor, prout causa efficiẽs fuerit: nam si nuda ac sola intemperies mala sit in causa, tunc sola alteratione per cõtrariũ curabitur: si verò materialis

lis intemperies in causa fuerit, tunc curandi intentio quinis intentionibus perficietur. Prima erit circa regimen sex rerum non naturalium, ita vt in contrarium causę omnia adhibeantur, vt in calidis frigida, & econuerso. Secunda est doloris mitigatio, quæ statim in opus dirigenda est, quum stomachus sit membrũ sensitiuum, ex cuius lęsione facilè totum corpus compatitur. Hęc duobus modis perficitur. Primò abscindendo abforis causam, & hæc fit cũ solutiuis & sectione venę: quòd si materia nimis stomacho adhæreat, ac fixa & compacta persistat, ita vt aliqua præparatione indigeat, pręparanda tunc erit prout in altera intentione dicetur. Interim alter sedandi modus erit cum rebus anodinis quę parari possunt per fotus, cataplasmara, cerata, olea, &c. Fotus fiunt cũ floribus camomillæ anethi, melliloti, & semine lini, fœnugræci, althææ, &c. Deinde in casu necessitatis ad opiata concurrendum: vnde in causa frigida damus phylonii rom. ʒ ß. vsq; ad ʒ j cũ modico vino, & in calida tantũdem requiei Nic. &c. Tertia intentio est humoris peccantis pręparatio, vnde in causa calida procedimus cum syrupo acetoso simpl. vel ozysaccharata, syrupo de endiuia, viol. de agresta cum aquis endiuiæ, lupulorum, violarum, &c.

Quæ

Quæ bilis si aliũde flueret præparãda esset cum his quæ aliqualem in se stypticitatem cõtinent, vt cum syrupo ros. de semine acetosæ, de granatis, de citoniis, cum aquis endiuiæ acetosæ, plantaginis & cichorij, &c. In causa frigida cũ rhodomelle, oximelle simpl. & compos. scilliticóq; syrupo de absinthio, de menta, si fuerit pituita salsa, cũ syr. viol. & oximelle simplici, cũ aquis camomillæ, endiuiæ: si melancholia cum syr. de fumo terræ, de epithymo acetoso simplici. syr. viol. & cum aquis fumi terræ, lupulorum, boraginis, &c. si sanguis extrahatur per venæ sectionẽ. Quarta intensio est euacuatio, quę in materia bilioſa ita parabitur. Recipe, mãnæ electę mast. ʒ xij. electuarij de semine ros. ʒ ij. semẽ syr. viol. ʒ j. cum decocto fructuũ & florum cord. fiat potus. Vel in materia crassa cũ casia diaphinicone. In melancholia cũ cassia & confectione hamech: laudatur insuper hiera Gal. simpl. pilulæ aleophãginæ, &c. Si in causa fuerit vẽtositas, curato post euacuationẽ factã cũ calefacientibus & exiccantibus, præsertim si materiam fouentẽ habuerit, vnde in hoc commendatur cucurbitula cũ maxima flamma applicita. Item fiant fotus ex decocto mentæ, absinthij, camomillæ, calamenti, pulegij, rutæ, cinnamomi, galangæ, calami

arom,&c.vel cũ oleo in quo ruta,apium,cuminum, maratrum bullierint, &c. Quinta intentio est malæ cõplexionis derelictæ remotio,quæ si fuerit calida,frigidis remouebitur:si frigida,cũ calidis,quæ parantur per cerata cataplasmata,linimenta,&c.

Loci consentientes de cura doloris stomachi.

Auic.13.tra.2.cap.3.Cura eius qui est ex malitia cõplexionis calidæ sine materia est in potu sumere lac acetosum,& aquã frigidã, & in cibo pullos, perdices, cucumeres, cucurbitã,portulacam, &c. & sic intelliges de frigida complexione,quòd per contraria curetur.Quòd doloris mitigatio tribus dictis modis fieri possit,lege etiã Auic.2.primi, doct.2.sum.ca.de cau. sedãdi dolorem. Itẽ quarta primi, cap.de sedatione doloris. Lege etiã neotericos practicantes Arcul.& Marc.Cat.Mich. Sauona. Razem & Bauerium fol.66.&c. Auicen.13 trac.2.cap.3.loquens de præparatione simul & euacuatione humoris dolorem efficientis, inquit, Et quando dolor fuerit ex humore cholerico calido,euacuabis,& administrabis syrupum acetosum cum aceto in quo fuit infusum absinthium, &c. Galen.14.meth.cap.7. In curatione omne principium est totum corpus euacuare ea euacuatione quam ferre

poteſt: purgatio ſit vel miſſio ſanguinis, vel purgatio tum per ea quæ ſubter expellunt medicamenta, tum per quæ ſupra vt vomitoria, deinde per ea, vt vno verbo me expediam, quæ calefaciunt & exiccant, &c. Galen. 12. metho. cap. 8. De cura flatus ventriculi commendat ucurbitulam maxima cum flamma admotã, & ita hoc præſidium valere, inquit, vt incantamenti cuiuſpiam ſimile videatur. Et 8. meth. cap. 5. Flatus ſanandi ſunt, oleum in quo ruta & ſemina quæ flatus diſcutiunt fuere incocta, vt ſunt apij cumini, maratri, atque alia id genus. Et 14. meth. cap. 7. Eſt illud, inquit, commune præceptum omnium ferè quos vitioſus ſuccus creat morborum quòd in fine calefacientibus & exiccantibus ſit vtendum, &c. Vide Aet. ſer. 9. cap. 27. ex Archigene curam, & Auicen 13. tract. 2. cap. 3. ibi, Et dolore quidem ſtomachi frigidos & ventoſos ſedat, &c.

Obſeruatio circa curam doloris ſtomachi.

Marc. Cat. de mente Auicen: Debemus in primis cum diligentia & bona cura procedere, & cauſam cognoſcere, ne error contingeret, ob id quod ſtomachus chylum generat, talis error toti corpori communicaretur. &c.

Nocentia ac conferentia dolori ſtomachi.

Dolorem & mordicationem inducunt bleta, bulbus, fructus cedri, dactyli, grana pini, iuniperus, lac, rapa cruda, ſcamonium. Conferunt dolori & mordicationi, abſinthium, aloes, acetoſa, acetum ſcilliticum, betonica, calamus aromaticus, corallus, coriandrũ, furfur, galanga, gariophyllum, gentiana gariophyllata, granata acetoſa, lactuca, maiorana, menta, mellilotum, nepita, nux muſcata, oſtraca, oua ſemicocta, origanũ, puritaria, paſſulæ, peucedanũ, portulaca, pulegiũ, rheubarbarum, roſa, ruta, rubus, lac ficomori, ſiliqua, ſiſamus, ſpica, ſpina alba, ſcenoanthos. Cõpoſita ſunt alphẽdidicõ. Auic. tertia quinti, Apozima de abſinthia quarta quinti Auic. Athanaſia maior Haly. 6. antido. Ceratum hyſſopi, filiagrios hyſſopi Pauli, ſtomaticon, Meſ. ſecunda antid. electuarium de carui. Auic. de ambra Serap. electuariũ indũ de baccis lauri, gallia muſchata, infuſio hieræ Meſ. oleum de abſinthio, de mẽta, de coſto, nardinum, roſaceũ, maſticinũ, myrthinum, de citoniis, pilulæ aleophanginæ, maſticinæ de hiera cũ agarico hieræ ſimpl. Quadrumeron confectio Nic. Rob granatorum de citoniis, theodericon magnum Aui. theriaca maior,

ther.

theriaca, diateſſaron, triphera magna Nic. triphera ſaracenica Meſ. troc. de diarrhodon, de abſinthio, de roſis, vnguẽtum cardu meni Auic. ſecunda antid. zucharum roſ.

De prognoſticis doloris ſtomachi.

Auicen. 13. tracta. 2. capi. 1. Et quandoque moritur ſubitò propter aduentum doloris ad cor. Secundò, & quandoque deſcendit do lor & facit prouenire colicam. Tertiò portendit in prægnantibus præfocationem ma tricis. Quartò, timetur in illo in quo prolongatur dolor ſtomachi, quòd attrahat apoſtema ſtomachi. Quintò, Hippoc. in lib. mortis feſtinæ, Quando apparet cum dolore ſtomachi ſuper pedem dextrum quoddam ſimile veſicæ, tunc patiens moritur in vigeſimum ſeptimum diem. Et ſi habet dolorem ventris, & apparet in ſupercilio eius veſtigium & bothor ſimilis fabæ, deinde fit vlcus, tunc ipſe morietur, & huic accidit ſubet, &c.

Authores diſſentientes circa dolores ſtomachi.

1 Adſerere, ſuccum abſinthij magis conferre ſtomacho, quàm ipſius herbam.
2 Adſerere, in omnibus maximis doloribus ſectionem venæ ſemper conuenire.

Confutatio diſſentientiũ circa dolores ſtomachi.

Ad primum, Auic. 13. tertij, Quoniam ſuccus eius eſt ſeparatus à ſtypticitate reten-

ta in herba, idcirco non ita conducit ſtomacho vt ipſa herba, quæ ob partem terream in ſe manentem ſit magis ſtyptica & confortatiua, &c.

Ad ſecundum, Auic. quarta primi, Tibi quoque cauere debes à minutione in hora fortis doloris, item cauendum à phlebotomia in corporibus habentibus ſubtilitatẽ nimiam oris ſtomachi, quoniã ex ea in ſyncopin cadunt. Præterea in frigido, craſſo ac viſcoſo humore non cõpetit, igitur non ſemper competit, ſicuti etiam in dolore vires proſternente non competit, &c.

De imbecillitate hepatis.

Hepatis imbecillitas eſt alteratricis facultatis in propris affectionibus impotẽtia abſque alicuius viſceris malo manifeſto, &c.

Loci conſentientes de imbecillitate hepatis.

Gale. 8. de compoſ. med. per loc. cap. 6. ad finem, Imbecillitas hepatis eſt citra manifeſtum aliquod in viſcere malum in propriis affectionibus in potentia alterarticis facultatis. B. Intelligendus eſt hic Galen. de alteratrice facultate, & ſi ad vnguem eam non expreſſerit: nam huic attractoria & retentrix & expulſoria tanquam principaliori ſeruiunt.

Auic. 14. tract. 2. ca. 1. Hepaticus eſt ille cuius

ius est debilitas absque re manifesta in operationibus hepatis, &c. Inuenio iuxta Gale. in lib. fin. med. iecinorosos appellari, quos iecoris dolor cum tumore & duritie & corporis colore malo comitatur, & his febris ardens superuenit, & lingua arescit, quæ omnino euenire solent, quũ alteratrix facultas suo non probè fungitur officio, ad ipsam enim pertinet sanguinem generare: vnde à Gal. 5. de loc. aff. ca. 7. sanguifica speciatim alteratrix dicitur, & ab Auicen. digestiua. lege Gal. 6. de sympt. cau. cap. 2.

De causis imbecillitatis hepatis.

Causæ primitiuæ sunt casus & percussio super hepate, & quæcunque à rebus non naturalibus prouenire possunt, malè dispositis. Causæ antecedentes sunt vel per se vel per consensum: per se fiunt vel à mala intemperie sine materia, vel vt placet Auicen. cum materia absceſſum, vel erysipelã, vel œdema generante: per consensum verò vel à toto, vt in febribus, vel ab aliqua parte quæcunque sit debilitante fieri solent. Causæ coniunctæ sunt vel ipsa intẽperies, vel quid aliud facultatem alteratricem actu imbecillitans, &c.

Loci consentientes de causis imbecillitatis hepatis.

Auic. 14. tract. 2. cap. 1. Et id est aut pro-

pter malitiam complexionis singularis sine materia, aut cum materia, cuius principium est ab hepate, aut à membris aliis, sicut est fel quando non trahit choleram, aut splen quando non trahit melancholiam, aut renes, aut vesica, aut matrix propter vehemẽtiam fluxus sanguinis, & propter vehementiam retentionis menstruorum, &c. Et quãdoque non est propter malitiam complexionis solam, imò propter apostema sanguineum, erisypelam vndimiam, aut propter vlcus, &c. B. Nota an hoc loco decipiatur Auic. Nam dictum est à Gale. non solàm in descriptione iam dicta, sed etiam 8. de compos. med. per loc. cap. 6. quòd heparica peculiariter appellata citra tumorem præter naturam contingat, &c. Gal. 6. de sympt. cau. cap. 2. Intemperies quæ alteratricis facultatis imbecillitatem parit, si calidior, quàm oporteat, fuerit, interdum bilioſum, interdum melancholicum excremẽtum efficit: si frigidior, pituitosum & aquosum excrementum similiter parit. Lege insuper Galen. 5. de loc. aff. cap. vltim. ibi, Omnium facultatum essentia, &c. Item 3. de sympt. cau. & Aet. ser. 10. cap. 1. Et Paul. lib. 3. cap. 46. & Arcul. 9. almans. &c.

De indiciis imbecillitatis.

Indicia sumuntur à colore corporis, ab egest

egestione, à dolore leui, ab intemperie calida, frig. sic. & hum. à facultatibus ipsius hepatis. Si verò per consensum morbus efficiatur, ex membri læsione, à quo fit consensus. A colore cognoscitur, quia si à flaua siue pallida bile, aut à pituita fiat, tota cutis erit alba siue pallida, siue flaua: ab egestione, quia quæ egeruntur, similia carnis loturæ apparent: à dolore leui, quia sicut ex cibo ventriculus premitur, ita ex chylo iecur, vnde dolor leuis accidit: à complexione cognoscitur ex eo, quòd à suis contrariis iuuatur: à facultatibus hepatis, nam si ab alteratrice, sanguis diminutè erit concoctus, qualis est sanguis pituitosus, aut superfluè erit concoctus, qualis est bilioſus & adustus. Si ab attractoria facultate morbus fieret, tũc vix prima concoctione celebrata, chylus egreditur, quũ ad iecur attrahi nõ possit: si à retentoria, tunc id egreditur quale intrauit: si ab expulsoria, tũc id non expellitur quod est superfluum, sed admixtum sanguini cernitur: aut cognoscitur ex eo, quòd multæ ad ventriculum fluunt humiditates. Sunt & harum facultatum alia indicia: nã si sanguis corruptus sit, vel ad putredinem declinis, vel colore varius vel pituitosus, tunc alteratricem cognoscimus esse diminutam: si totius corporis adsit macies & imbecilli-

tas, tunc attractoriam vim esse imbecillem coniectamur, & sic de reliquis. At si morbus per consensum fiat, cognoscitur ex alterius membri læsione: nam si per consensum felis fieret, tunc ex colore ictérico cognoscitur: si ex consensu stomachi, ex concoctionis malitia, & sic de reliquis, &c.

Loci consentientes de indiciis imbecillitatis hepatis.

Auicen. 14. tract. 2. cap. 2. Color est ex rebus quæ significant secũdum plurimũ dispositionem hepatis, &c. Et egestio & vrina similes aquæ carnis significant debilitatem hepatis in generãdo sanguinẽ, &c. Complexiones autẽ significãtur ex radicibus prædictis, &c. Lege Iulius hunc locum, & indicia à me dicta inuenies. Gale. 5. de loc. aff. ca. 7. Igitur quũ alui sedimina aquæ, in qua mactata caro abluta est, similia esse videris, tũc efficacissimum esse affecti iecoris signum non dubites. Et paulò pòst facit mẽtionem de complexionũ signis, ibi, Calidæ intẽperies hepatis, &c. Habes tamen rem magis expeditã 8. de compos. med. per loc. cap. 6. ibi, Calida igitur intẽperie circa hepar existente, colliquationes fiunt primum humorũ, deinde carnis ipsius hepatis, &c. Similiter habes signa facultatũ hepatis 5. de loc. aff. capit. 7. ibi, Si attractrix facultas efficitur,

tur, tunc cibus in ventriculo in laccũ transmutatus relinquitur,&c. Vide 8. de compos. med. per loc. cap. 6. fusius de hac re. Item Paul. & Aet. & Arcul. &c.

De cura imbecillitatis hepatis.

Perficitur hæc cura quatuor mediis. Primo, remouendo causam imbecillitatis. Secundo, roborando hepar. Tertio, remouẽdo si quæ aduenerint symptomata. Quartò, regulando ægrum in sex rebus non naturalibus. Causa si fuerit primitiua, vt potus aquæ frigidæ, remoue eam cum calidis, vt puta cum potu vini, & abstineat se ab aqua, & sic de reliquis causis primitiuis. Si causa antecedẽs in hepate fuerit intemperies calida, remoueatur frigidis stypticis hepati conducentibus, frigida calidis aromaticis aperientibus, humida siccis, &c. Si verò fuerit apostema, vlcus, vel aliqua alia soluta continuitas, curabis per ea quæ ad apostemata, vlcera, & solutam continuitatem faciunt, vt aliâs dictum est. Si causa sit per consensum ab alio membro, tũc illius membri mala dispositio remouenda est cum euacuatione, reuulsione, ac membri roboratione, ne quid amplius ad hepar transmittatur, demum hepatis nocumentum iam impressum remoueatur, &c. 2. Robur hepatis fit decem mediis, vt ex Auic. & neotericis elicitur

tur.1.Cum leuiter calefacientibus, vt naturalis eius temperies seruetur, & hoc intelligi potest de his quæ ad penetrandum exhibentur.2.Cum leui apertione,quum semper de obstructione hepatis timor sit,& tũc vtimur physticis & absinthio.3. Cum maturatione & lenificatione,quæ cum passulis & vino granato conficitur.4. Cum abstergentibus quæ parantur cum aqua hordeacea & hydromelle.5. Cum incidentibus, vt cum vino granatorum, quod ad acetum vergit.6.Cum his quæ moderatam in se styptici tatem habent,vt scenoantho,rosis,absinthio. 7. Cum prohibentibus putredinem, vt cinnamomo, cassia lignea.8. Cum exiccantibus,vt cum spodio.9.Cum mundificãtibus,vt cum melle & vino subtili. 10. Cum his quæ à proprietate valent, vt spica, lupi hepar,limatiis,rheub.passulis.Verùm in his memoriæ interim mandandum, quænam facultas principaliter læsa sit, vt eius robori magis intendas:nam attractoria vis calidis & siccis,sed magis calidis:retentoria frigidis & siccis, sed magis siccis roboratur: alteratrix calidis & humidis, licet magis calidis: expultrix calidis & humidis, licet magis gaudeat humidis,&c. In causa igitur frigida conueniunt absinhium, rheubarbarum, troc. de rheub. diacurcuma, sy. de

absin

absinthio, de eupatorio. Item electuarium Gal. in text. Auic. descriptum, ibi, R. ligni aloës, rosarum, spicæ, nardi, cinnamomi an. ʒ.ij. &c. In calida conueniũt cichoriũ, aqua limatiarum, diarrhodon Abbatis, triasandali. T. de rosis, syr. de endiuia, de cichorea cũ rheub. 4. Cibaria nullam crassitiẽ, vel viscositatem participent, carnes sint boni nutrimenti, vnde conueniunt vitelli ouorum forbilium cum cinnamomo & pipere aromatizati. Itempassulæ limatiæ, &c. Potus sit aqua hordeacea cum aliquantulo mellis, &c.

Loci consentientes de cura imbecillitatis hepatis.

Auic. 14. T. 2. cap. 3. vt plurimum debilitas hepatis est propter frigus aliquod, aut humiditatem aut siccitatem, aut propter materias malas retentas in ipso, & propter hoc plurimùm curæ eius est cum calefactione subtili, cum apertione & maturatione & lenificatione permixta cum stypticitate confortante & prohibente putrefactionem, & fit cum medicinis aromaticis, in quibus est apertio & maturatio, vt crocus. Et quandoque indigemus propter retentionem materiæ in ipso phlebotomia & solutione veneris, &c. Gal. 8. de compos. med. per loc. cap. 6. Scopus curationis in eiusmodi affectionibus sit communis quidem iuxta intempe-

riei,

riei contrarietatem: peculiarem verò per cuiusque cõtrarium. Verùm in his siue exterius applicitis, siue intra adhibitis, semper aliquid ex adstringẽtibus miscere oportet vt iecoris robur seruetur, &c. Et 2. meth. cap. 16. Si quidem in ventriculo & iecinore robur resolui est perniciosissimum, &c. De cura facultatum hepatis laborantium habes plene iuxta Auic. loc. ibi, Si debilitas à digestiua prouenit, conforta cum stypticis aromaticis: si à retentiua, adde in confortatione de stypticitate & minus de calefactione, &c. Lege fusius, & inuenies cætera à me iampridem exarata: lege etiã Arcul. in hoc, & Marcum Cat. De cibis lege etiam ibi Auic. Et conuenientiores cibi sunt, in quibus non sunt crassitudo & viscositas, &c. lege eum fusius & Arcul. &c.

Obseruationes in curatione.

Auicen. Medicinæ hepaticæ sint apertiuæ cum leui caliditate, quarum virtus sit lenitiua & absterſiua, nec stypticitate careãt, quum hepar sit membrum latum, &c.

Nocentia & conferentia imbecillitati hepatis.

Nocent hepati aloës, assa, colocynthis, dactyli, helleborus, euphorbiũ, esula, ficus, lac, mezereon, ozymũ, serpẽtaria, serapinũ, scamonium, scebram, triphera ferruginea

Nic.

Nic. Conferunt imbecillitati, & eam roborant absinthiū, acorus, aloës boni, amygdalæ amaræ, ammonium, asarum, berberis, calamus aromaticus, cinnamomum, cortex citri, costum, cuscute, crocus, cicborium, endiuia, eupatorium, physici, fumus terræ, granata acetosa, lactuca, laudanum, lignū aloës, liquiritia, hepar lupi, macis, mastix, myrobalani, cit. nux musc. origanum, passulæ, rheubarbarum, rosa, rosmarinus, rubea, spica, spinachia, scenoanthos. Composita sunt citonia condita, conditum de citro, de succo citoniorum, de muscho, diarrhodon, dialacca, diacurcuma, diareos, lætificans Mes. el. de myrtho Mes. de camphora Auic. empl. diaphinicon, diaspermaton, gallia sebelien Mes. oleum masticinum, amygdalarum amararum, irinum, costinum, pilulæ aggregatiuæ, de rheub. stomaticæ Auic. de agarico Serap. syr. de endiuia, de cichorea cum rheub. de acetositate, diarrhodon, de fumo terræ, de absinthio, tro de ligno aloës de rosis, de aniso, de absinthio, de lacca Haly, de eupatorio, hiera Damasceni, tudiarum rosa, &c.

De prognosticis imbecillitatis hepatis.

Auic. 1. 4. tract. 2. cap. 2. Et multoties perducit ad hydropem & colicam phlegmaticam,

cam,&c.Arcul, Debilitas hepatis notabilis quum inueterata fuerit,aut difficillimè, aut ferè nunquam emendatur: lege etiam Gal. 8.de compos.med.per loc.&c.

De inflammatione iecinoris.

Inflammatio est calidi sanguinis influxus quæ in hepatis substantia, vel in eius gibbosa vel concaua parte, aut in musculis vel tunicis colligentibus, vel in venis eius accidere solet: nec inquirendum vtrum in venis mesenterij hoc accidat, quoniam si in concaua iecoris parte fuerit inflammatio, etiam in venis mesenterij necessariò erit.

Loci consentientes de inflammatione hepatis.

Auic.14.T.3.cap.1.Apostematum in partibus hepatis accidentium quædam fiunt in ipso hepate, quædam in lacertis positis super ipsum, & alia sunt quæ accidunt in meseraicis: & eorum quæ fiunt in ipso, quædam accidunt in partibus eius superioribus & ad latus gibbosum, & alia in partibus inferioribus,& ad latus concauum, & alia in velaminibus & panniculo & in venis ipsius,&c.Lege Gal.5.de loc.aff.cap.7. & 13.meth.cap.14. vbi etiam inquit. Quòd cauo iecinoris phlegmone obsesso, protinus etiam venas quæ in mesenterio sunt, vnà phlegmone laborare necesse sit. Vide

etiam

etiam Gale.in lib. de tum. præter naturam ca.2. ibi, Inflammatio est calidi, &c.

De causis inflammationis hepatis.

Causæ primitiuæ est nimius calor ex immodico motu aut ex sole ignéque acquisitus, aut acre medicamentum, aut nimius potus, vel cibus calefaciens, percussio aut torsio, &c. Causæ antecedentes vel per se sunt in hepate vel per consensum fiunt. Per se sunt intemperies calida malos humores attrahens, aut intemperies frigida quæ alteratricem & expultricem debilitat, vnde tumores fieri possunt: similiter obstructio ex qua humores retinentur, aut dolor materiam ad iecur attrahens, aut iecoris imbecillitas. Causæ coniunctæ phleginonis est sanguis copiosior quàm pars postulet, in ipso hepate contentus, &c.

Loci consentientes de causis inflamtionis hepatis.

Galen.13.meth.cap.6. Istius caloris causa aut est immodicus motus, aut ex sole & igne repor, aut acre medicamentum, &. Auic.14.tra.3.cap.1. etiam de aliis primitiuis causis loquitur, ibi, Et cibi quidem calefacientes & crassi, & qui non digeruntur valde adiuuant ad faciendum apostemata in hepate, & quandoque accidit propter per

cussionem & tortionē,&c. De causis etiam antecedentibus hic, verba facit:bi, Causæ illius sunt complevio frigida prohibens digestionē & expulsionem, aut debilitas stomachi, aut oppilatio congregans humores, & c.lege eum fusius. Gal.13. meth. ca.3. Communis omnium phlegmonum generatio ex sanguinis influxu est copiosioris, quam pars postulet.Causa verò quur influit sanguis, tum à partibus mittentibus, tum ab his quæ ad se attrahūt peruenire potest: mittunt enim partes, quum nimium copia superuacuus est,aut quū à sua qualitate molestantur:quæ verò attrahunt,ea ob morbosum calorem attrahunt,vel ob sui, vel vicinæ partis dolorem,aut ob partis recipiētis imbecillitatem, vt testatur Gal.23. meth. cap.5. Lege etiam de his Gal.13.meth. cap. 6.ibi,Dolor prouenit, vel ob intemperiem & vultus confusionem, & distorsionem,& tensionem,vel obstructionem quandā, &c. Lege etiam 14.meth.cap.1. ibi, Inflammatio fieri solet, quum sanguis copiosus in aliquam particulam procubuit, &c. Lege de his vberius Arcul.9.almans,&c.

De indiciis inflammationis hepatis.

Indicia hepatis inflammati sunt dolor inseparabilis in dextro hypochōdrio grauitas

uitas in eo maior quàm in oppillatione, forma corporis mutatur: apparet enim in facie & in aliis membris tumor siue inflatio: color tendit ad citrinum vel pallidum, nulla adest pulsatio, vt in cæteris inflammationibus, costæ nothæ vt plurimùm dolent, exigua & sicca tussicula adest, singultus quoque sequuntur, dormire non valent super latus dextrum, & super sinistrum dormire graue est, febris adest acuta. Signa quando adest in gibba parte sunt grauitas maior, quàm in concaua, singultus minor, tensio apud suspensoria manifestior fit tactui, præcipuè indebili, tussis sicca, difficultas anhelitus maior ob consensum diaphragmatis, vrina pauca cũ mordicatione, lingua est citrina, ad nigredinem decliuis. Signa quando fuerit in concaua, singultus maior, grauitas minor, eo quod à stomacho sustentatur, tussis parua, & anhelitus paruus; dolor vehementior, nausea, appetitus destructio, sitis vehemens, vomitus bilioſus, frigus extremitatũ, & nigredo linguę & syncopis, &c.

Loci consentientes de signis inflammationis hepatis.

Galen. 5. de loc. aff. cap. 7. Iecur affici declarant in dextra præcordiorum parte grauitas, dolor tota præcordia contrahens, &

ipsius vsque ad iugulum extensio, exigua tussis, linguæ color in primis ruber, deinde niger, ingens ciborum fastidium, sitis inexhausta, vomitus tum synceræ bilis, tum quæ ouorum vitellis similatur, quæ posteà æruginis colorem refert, aluus adstringitur, ti inflammatio cum eius visceris imbecillitate excitetur, spiritus adest difficultas, febris acuta, &c. Et paulò pòst, Inflammationes in simis iecoris partibus fastidium, nauseam, vomitū bilioſum, sitim ingentē, tussim atq; dolorem vsque ad dextræ partis iugulum excitant, nonnunquā vtriq; parti dolor adest, nothæ costæ cōsentiūt. In gibba verò parte inflāmatione existente, præter dicta, tumoris cumulus cōprehēsim conspicuus in superficie tactui, maximè si abdomen gracilescat, cōprehenditur, dolores circa respirationem, & tussiculæ magis intenduntur cū dolore ad iugulū extenso, vt detrahi videatur magis quàm intima parte. Si verò in rectis musculis inflammatio accidat, tumor erit præter naturā oblongus, atq; per totū ventrē extēsus, vmbilicū comprehendēs, &c. Lege de his Auic. 14. trac. 3. cap. 2. ibi, Signa communia sunt, quòd inuenit æger grauitatem sub hypochondriis inseparabilem, & inuenit illic dolorem vehementem, &c. Lege similiter Arcul. 9. almans.

mans. Item Gale.2.de loc.aff cap.9.ibi, Si incognita nobis fuerit inflammatio, iubendum est ægro, vt magnam edat respirationem,&c. Vide etiam de hac re Paul.lib.3. cap.46.& Aët.ser.10.cap.3.& Gal.2.de loc. aff.cap.8.

De cura inflammationis hepatis.

In curatione hac tota adhibenda est diligentia, ne hepatis læsio per totum corpus dispergatur. Erunt igitur intentiones curationis sex: prima erit reuulsio. 2. repercussio. 3. humoris præparatio. 4. euacuatio. 5. resolutio. 6. malæ complexionis derelictæ remotio, cum regimine sex rerum non naturalium. Reuulsio fiet cum sectione venæ basilicæ aut cephalicæ, quæ an fienda sit ex opposito, an ex eodem latere, dubitat Conciliator differentia 198. quem fusius videbis. Diuertimus etiam cum frictionibus, ligaturis, cucurbitulis circa partes extremas positis, & similibus. Repercussio fiet tum per exteriora, tum per interiora. Conueniunt extrinsecus epithemata & inunctiones ex oleo ros. de citoniis, vel ex aquis rosarum, solatri cum syndone madefacta & hepati applicita, quibus addi possunt pulueres ex sandalis rub. & al. & cit. ex rosis, corticibus & floribus granatorum, & aliquid camphoræ: sed in

materia frigida accipimus aliquid abſinthij maſticis cum oleo roſ. maſticino, &c. Intrinſecus valent ſyr. roſ. de ſucco acetoſæ plantaginis, cichorij, cap. ſine aquis, in cauſa frigida: rhodomel, ſyr. de duabus rad. oxymel cum ſyr. roſ. Et hæc faciunt etiam pro tertia intentione, vno tamen animaduerſo, quòd ſtyptica tantùm in principio, ſed cùm materia iam fluxa eſt, aliis non ſtypticis vti poſſumus, vt ſyr. acetoſ. ſimp. viol. de endiuia, de fumo terræ, &c. Euacuatio fiat rurſus peccante ſanguine, cum ſectione venæ hepaticæ, aut peccante cholera cum rheubarbari infuſione, aut cum aliis pharmacis, prout millies dictum eſt. Reſolutio fit cum his quæ reſoluunt, addendo aliquid quod nonnihil ſtypticitatis ſecum afferat: & huc ſpectant inunctiones, cataplaſmata, & epithemata cũ anetho melliloto, althæa, camomilla, roſis, abſinthio: ſimiliter cum oleo anethino, camomillino, roſ. &c. Si verò ad ſuppurationem verteretur, tunc ſuppurantibus vtendum, qualis eſt decoctio paſſullarum, caricarum althææ, maluarum, ſemen lini, fœnugræci, cum oleo amygdalarum dul. cum pinguedine gallinæ, anatis, butyro, ex quibus paramus cataplaſmata, &c. Maturata inflammatione tunc vomica, vomitu, tuſſi &

ſtern

sternutamentis, & similibus prouocanda est: deinde abstergenda, si in gibba fuerit parte, cum vrinam prouocantibus & abstergentibus, qualis est aqua hordei, cicerum rub. hydromel, hydrosaccarum, &c. Si in concaua, cum his quæ per secessum educunt, qualis est cassia, serum caprinum, tamarindi, &c. deinde consolidandum erit, siue conglutinandum cum bolo armenio & terra sigillata, &c. Quòd si abscessus ad duritiem permutetur, quanuis rarò curationem admittat, nihilominus cum emollientibus procedemus, sicuti cum althæa, maluis, &c.

Loci consentientes de cura inflammationis hepatis.

Gal. 13. meth. cap. 6. Communis omnium phlegmonum curationis indicatio est euacuatio: quæ verò adhuc in generatione sunt in iis prior euacuatione est influentis in affectum locum sanguinis inhibitio, &c. Et cap. 11. eiusdem lib. Quum iecur inflammationem patitur, tum reuellendus, tum educendus, qui ad iecur fluit, sanguis est, interna in dextro cubito insecta vena, propterea quòd è directo & ampla via cum vena, quæ caua dicitur, societatem habet, qua non apparente media secanda est: quòd si ea nec se ostendet, reliqua ac ter-

tia incidenda est,&c. Ex quibus notare debes, quòd stante virtutis robore modo κατ' ἰσθὺ, id est, è directo extrahatur sanguis:& si alia atque alia vena secetur, non multum referre, quum singulæ venæ sibi in euacuatione respondeant. Auic.14 trac. 3.cap.12. Phlebotoma igitur in primis, & non hæsites in hoc, quum non est prohibitio fortis,& extrahe sanguinem abundantem. Et scias quòd indiges in initio eius eo quod est simile in casu de repercussione & infrigidatione,&c. Gal.13.meth.cap.16. In iecinoris phlegmone, etiam si nihil affluat,reprimentibus vtendum:& reddit binam rationem: primò quia in principio parum est quod affluit, tunc magna ex parte non crassum, tum recipientis partis virtus valentior: secundò, quia nondum in afflicta parte violenter impactum est. Quum verò phlegmone in suo vigore consistit,contrario modo omnia se habent: adest enim multitudo sanguinis crassi ac impacti, tum virtus partis debilior, vt à se superuacuo emolliri non possit. De digestione lege Auic. ibi, Medicinæ conuenientes apostematibus hepatis in initio rei, quum illic est caliditas superflua, sunt aqua endiuiæ & aqua solatri cum syr. acetoso, zucharino,& aqua hordei,arnoglossæ, cuscutæ,cucume-

ris,

ris cucurbitæ,&c. De euacuatione loquitur Gal.13.meth.cap.15.ibi,Considerandum an in gibba vel in caua parte fiat inflammatio:si in caua parte,purgare per aluũ cõuenit: si in gibba,per vrinas. Lege etiam 14. caput huius,ibi, Expelli è iecinore oportet quicquid in totum atræ bilis,tum saniei ex phlegmone prouenientis iam collectũ est, &c. De regimine resolutionis loquitur etiam Auic.ibi, Quapropter indiges vt incipias à regimine resolutionis materiei in hac ęgritudine,priusquã sit tua incœptio in reliquis apostematibus, timeto lapideitatẽ & duritiem,&c. De cibo & potu habes plura ex Gal.13.meth.ca.14.ibi,Poscit ergo tũ iecur ipsum, tum os meatus, qui bilẽ transmittit, cibos & pharmaca quæ obstructa recludant, qualia sunt non lenta, sed quæ tenui consistentia sine qualitate mordente (nam à mordentibus phlegmones irritantur) non dulcia, quia à dulcibus tum iecur tum lien intumescunt. Talia igitur erunt, vt in cibis ptisana,& in pharmacis oxymel cum aqua mixtum, punica mala, & quæcunque astringunt, interdicuntur, quum bilis meatus os arctent,& bilem ipsam excerni prohibeant,& phlegmonas ipsas quæ in cauo sunt visceris irritent, magis quàm in gibbo: nam quum ad gibbũ perueniunt,

iam quæ assumuntur, mutata sunt, vt sic nec adstringant vel mordeant, &c. Auic. in fine ca. Cibus autē melior est chisch. hordei, infrigidat enim & abstergit, & non facit acquirere oppilationes, & festinat eius penetratio: panis non ex frumento, sed ex simila, & ex oleribus, lactuca & attriplices, ex fructibus granata dulcia, &c.

Obiectio.

Miror mirum in modum, mala punica, dulcia hîc ab Auic. concedi, tū quia adstringunt, tum quia ex dulcibus hepar intumescit, & aquam hordeaceam hîc cōcedi, & in altero sequenti textu renui, ibi, Et aqua hordei quanuis abstergat sine mordicatione, tamen est dulcis, & dulce facit incurrere oppilationes, &c. tamen à Raze, Serapione & Haliabbate commendatur, &c.

Responsio.

Gentilis putat Auic. tex. corruptum, & loco aquæ hordei, legi debere aquæ mellis, Vide tu commentatores Auic. & intelliges causam alterius obiectionis.

Obseruationes in cura inflammationis hepatis.

Marcus Cat. de mēte Auic. Statim, inquit, succurrendū est huic ægritudini, non tantū in iecore, sed in quocunq; membro principali, alioqui cura esset vana, &c. Galen. 13. meth.

meth.cap.8. Prohibendũ ne tumor augeatur,nec ſuppuretur,cauendo etiã ne ad ſcirrhum conuertatur:nam facilè tumor in duritiẽ euadit,&c. Auic.14.tra.3.cap.12. Nullis remediis ſuccurrendum, ni prius facta ſit ſectio venæ, aut antequàm pharmacum non cõueniente ſectione ſit exhibitũ. Nam inquit, ſi phleborotomas, & dimittis materiã in hepate,& adminiſtras ſtyptica & apocruſtica,proculdubio induratur apoſtema. Caue tamen in exhibendo pharmaco, ne nimium ſoluentibus vtaris, nam hepar vltra quòd imbecille reddunt humores, etiam commouent, vt interdum maiori copia ad locum læſum refluant,&c. Vitandum inſuper ne vrinam prouoces morbo in concaua parte exiſtente,aut ſoluas ventrem, ſi in gibba parte tumor fuerit,&c.Gal.13.meth. cap.12. Quæcunq; iecinori intrinſecus vel extrinſecus applicantur, non ſint actu frigida:nam vltra qꝑ ad locũ difficulter penetrarent,meatus etiam cutis occluderent,&c.

Obſeruationes de repellentibus & reſoluentibus.

Auic.loc.cit. Repellentia ſint in ſtipticitate remiſſa,& niſi tumoris augeatur caliditas, cum aperientibus & incidentibus miſceantur: reſoluentia citiùs in iecoris inflammationibus ſunt applicanda, quàm

in

in cæterorum membrorum rumoribus, &c.

Conferentia inflammationi hepatis.

Conferunt inflammationi hepatis agrestа attriplex, berberis, camphora, capillus Ven. acetositas citri, cucurbita, endiuia, cichoreũ, hepatica, lupuli, mercurialis, nymphea. portulaca, rheubarbarũ, rosa, sandali, semperuiua, solatrum, spodium, sumach. tamarindi, violæ. Composita sunt, confectio de acetosis Mes. electuariũ de psylio Mes. ceratum de sandalis, emplastrum de frumento Mes. de semperuiua Haly, oleum irinum rosaceum, syr. acetosus de pomis, de portulaca, triasandali Nic. triphora persica, troc. de sandalis Mes. de spodio, de cãphora, vnguen. ros. viol. hiera, siracost. Mes. papauer cum oleo rosaceo, &c.

De prognosticis inflammationis hepatis.

Auic. 14. tra. 3. cap. 1. Et apostema quod est in gibbositate est deterius eo quod est in concauitate. Et apostema hepatis siue calidum siue frigidum oppilationem facit, & non relinquit corpori nisi sanguinẽ aquosum, & cum hoc debilitat hepar in separando aquositatem, quæ si in meseraicis continetur, est causa hydropisis carnosæ & asclitis. Item quando permutatur calidum ex hepate ad splenem, est bonum: si verò

ex

ex ſplene ad hepar, malum. Et cap. 2. Interdum omnis ſpecies apoſtematum hepatis perducit ad hydropem: & ſcias quòd quum apoſtemati hepatis aſſociatur ventis ſolutio, eſt mortale. Et cap 16. Non euadit aliquis ex apoſtemate duro quieſcente & confirmato. Hippo. apho. 7. apho. 46. Quorum hepar ſuppuratur, aduritur, ſi pus purum & album fluxerit, euadunt: nam in tunica his pus continetur: ſi verò qualis amurca fluat, pereunt. B. Quia ſi pus album & purum fluat, ſignum eſt, quòd ad carnem hepatis vſque corruptio non pertingit, ſed tantùm in eius tunica fuiſſe: ſi verò vt fæx olei fluat, tunc declarat ſubbſtantiam hepatis eſſe corruptam, idcirco non ab re moriuntur. &c. Hippoc. aphor. 7. aphor. 17. In hepatis inflammationibus ſingultus malum. B. Quia ex magnitudine inflammationis ſtomachus cõpatitur, vnde fit ſingultus. Hippo. aphor. 6. aphor. 18. Veſica diſciſſa aut cerebro aut corde, aut ſepto tranſuerſo, aut aliquo ex tenuioribus inteſtinis, aut iecinore lethale eſt, &c.

Authores diſſentientes circa morbos hepatis.

1 Adſerere, aquam hordeacam non conuenire in inflammationibus hepatis.
2 Adſerere, profluuium ventris in apoſte-

mate

mate hepatis ex abundanti materia non esse mortale.

3 Adserere, nutrimentum viscosum non nocere hepati.

4 Adserere, hepati supercalefacto cerusam tanquam frigidam esse applicandam.

5 Adserere, stypticiora magis conuenire in hepatis apostematibus quã stomachi.

6 Adserere, in apostemate hepatis phlebotomiam potius in pede, quàm in brachio fiendam.

Confutatio dissentientium circa morbos hepatis.

Ad primum, aqua hordei nõ solũ ab Auicen. sed à Serapio 4. tra. cap. 2. & à Rhaze in lib. diuis. & à Gal 13. meth. vt suprà. Maximè igitur dum commendatur conuenit.

Ad secundum, Auic. Quum hepatis apostemati sociatur fluxus ventris, est mortalis; & intellexit propter materiæ exuberationem. Similiter factus ab imbecillitate hepatis est mortalis, vt volunt Auic. commentatores.

Ad tertium, Serapio, Indiget hepar cibis & potibus, & medicinis aperitiuis, non viscosis, sed subtilibus, non mordicatiuis neque dulcibus, neque stypticis & ponticis, eo quòd oppilant, &c. igitur, &c.

Ad quartum, respondet Conciliator differen

ferentia 197. quòd per se ceruſa nocet hepati, quanuis cum aliis quæ ſuam virtutem introferant, poſſit interdum iuuare, ſed melius eſſe cum aliis aromaticis operari, &c.

Ad quintum, reſpondetur per ea quæ dicta ſunt in cura. Nam Auic. 13. tra. 4. cap. 1. Quoniam ex magis ſtypticis grande nocumentum reſultat, eò quòd hepar velocius quã ſtomachus correſpõdet duritiei, quam inducunt ſtyptica, &c. & ſic non conferunt magis hepati quàm ſtomacho, &c.

Ad ſextum, Auic. alleg. cap. inquit, Phlebotoma, ſi tibi poſſibile eſt, ex baſilica: & ſi non, ex nigra: & ſi non ex cephalica: eo quòd directius hepar reſpiciũt. Et hoc etiã habes ex Galeno in cura: igitur magis in brachio, quàm in pede.

De morbo regio.

Icteritia dicta eſt ab ictero aue, quam nos galbulam ſiue ficedulam dicimus, de qua facit mentionam Martialis, dicens:

Galbula decipitur calamis, & retibus ales,
Turget adhuc viridi cum rudis vua mero.

Dicta eſt etiã Autigo à colore auri vel ar cuatus morbus, à cœleſtis arcus colore, aut morbus regius, eò q; morbo affectos apparatu regio & ludis laſciuis vti perutile eſt. Horatius,

Aut mala quẽ ſcabies aut morbus regius vrget.

Eſt

Est autem morbus regius per totum corpus bilis suffusio, quæ interdum nigra, interdum flaua est, ex qua color citrinus vel niger apparet, &c.

Loci consentientes de morbo regio.

Plin. Icteris auis à colore vocatur, quæ si spectetur ab icterico, sanari id malum tradunt, & auem mori. De deductione horum nominum lege fusius Cornel. Cel. & Aët. ser. 10. cap. 17. & neotericos omnes. Galen. lib. finit. med. Aurigo seu morbus regius arcuatúsve est bilis refusio in cutem, quo fit vt superficies tingatur, luteáque fiat, & vitietur cutis, &c. Auicen. decimaquinta tertij, cap. 3. Icteritia est coloris corporis fœda alteratio ad citrinitatem vel nigredinem tendens, ob cursum humoris citrini & nigri ad cutem sine putrefactione, &c. B. Similis definitio legitur etiam penes Concil. diff. 78. adiungit tamen Auicen. sine putrefactione: quia re vera dum bilis putresceret, non icteritiam tantùm, sed febrem tertianam produceret. Vide Aët. ser. 10. cap. 17. & Paul. lib. 3. cap. 50.

De causis morbi regij.

Causæ si extrinsecæ fuerint, tres erũt, scilicet, virtus alicuius animalis, assumptio ciborũ icteritiã efficiẽtiũ, vel bilẽ generantiũ

& ob

& obstruentium, & nimius labor in sole calido. Intrinsecæ vel fiũt ab hepate vel ab aliis membris. Si ab hepate, vel erit mala intemperies calida vel frigida cum abscessu, vel sine abscessu, aut obstructio, aut facultatis attractoriæ vel secernentis imbecillitas. Si à splene, tunc in causa est apostema, vel obstructio, vel mala complexio, vel eius facultatis imbecillitas, & sic de aliis membris intelligito. Interdum fit per morborum iudicationes, &c.

Loci consentientes de causis morbi regij.

Galen. 5. de loc. affec. cap. vlt. Morbus regius nonnunquam fieri solet iecinore nequaquã affecto per morbi iudicationem. Interdum citra morbi iudicationem, dum sanguis extranea quadam corruptione in bilem vertitur, qualis ferarum morsu fieri solet, aut assumpto veneno. Interdum fit ab obstructione, aut ab inflammatione, aut à scirrho iecinoris, aut citra hæc ab ipsa tantùm iecinoris intemperie præter naturam mutata, aut à iecinore suo munere non fungente, aut ob splenis vitia. Interdum ab attractricis folliculi fel continentis imbecillitate, aut quia folliculus est obstructus, aut quia eius facultas secretoria est imbecillior. Interdum fit etiam ob obstru-

ctis aut infirmis vasis, quæ ab ipso exorta ora sua in hepar extendunt, &c. Auicen. 15. cap. 3. ibi, Icteritia citrina aut fit multitudine generationis cholerę irrinę aut propter euacuationis eius prohibitionem, & multitudo eius generatur ab hepate propter causas calefa ientes, aut cropter apostemata in hepate, & in meatu cholerę, aut propter oppilationem retinentē choleram in felle, aut pro pter calidiratem cōplexionis choleræ, &c. Lege fusius, & tam intrinsecas, quàm extrinsecas causas icteritię intelliges. Vide & Gordoniū & Arcul. in pro prio cap. Gale. 4. Aphor. com. 62. Tres sunt affectus, quibus morbus regius solet aduenire, tumor durus, inflammatio & obstructio. B. Nam dum sanguis expurgatur, & bilis à venis ad meatus bilem recipientes transfertur, si trium alterum adfuerit, necesse est sanguinem nō expurgari, sed vnà cum ipso bilem per totum corpus differri, vnde morbus regius oritur. Vide Paul. lib. 3. cap 50. & Auic. de oppilationibus hepatis, ibi, Materia quæ generat oppilationem aut est humor oppilans propter suam crassitiem, &c. Lege eum fusius, &c.

De signis morbi regij.

Signa cōmunia sunt, pigrities & tumor ad motum grauans, dulces cibos aduersantur,

Digitized by Google

fantur, variis imaginibus vexatur, pruritus totius corporis adeſt, difficulter exſudant, alba oculorum, & faciei tempora, & malæ pallorẽ demonſtrant, &c, Signa malæ hepatis tẽperaturæ per ea quæ de imbecillitate hepatis diximus ſatis nota erunt. ſimiliter & abſceſſus ſigna per ea quæ retulimus de inflammatione hepatis, &c. Signa oppilationis ſunt grauitas, dolórque ſub dextra parte nullo tumore vel vrgente febre perceptа: item ſi egeſtio flaua non egrediatur, ſed alba. Signa imbecillitatis expulſoriæ facultatis ſunt, ſi vrina nullo colore infecta excęrnatur, etiã ſi nulla grauitas percipiatur. Cognoſcitur etiam ex attractoria facultate fieri, ſi nauſea, vomitus, amaritudo oris, nullo apparente in iecore grauitatis ſenſu adfuerit, & flauus color paulatim & nõ ſubitus fiat. Signa veneni erunt, ſi nulla prius exiſtente humorũ malitia, ſed ex homine ſano ſtatim icterus euadat: nã abſque mora virus per totum corpus diffunditur. Signa ſumpta à criſi ſunt, ſi febres præceſſerunt acutæ, & alia quæ criſim indicare ſolent. Signa quòd per conſenſum totius corporis fiat erunt ex febribus, quę tenues ſanguinis partes in bilem commutant. Signa quòd fiat à ciſti fellis ſunt quòd accidit ſubitò, & egeſtio eſt alba, adeſt amaritudo

oris & ſitis,& ſi potus, qui vadit ad ſtomachum,eſt oppilatus, tũc vrina eſt colorata, ſpiſſa,crocea,egeſtio tincta crocea,&c.

Signa quòd ex ſplene fiat,ſunt durities ſplenis, grauitas, & icteritia potius nigra quàm flaua,&c.

Loci conſentientes de ſignis morbi regij.

Aet.ſer.10.ca.17.Communiter omnibus ictericis adeſt pigrities & tumor ad motum grauans,&c. Gal.5.de loc.aff.c. vlt. Si per morbi indicium icterus fiat, indicium erit,quòd excrementa & vrinæ ſecundum naturam ſe habebunt. Si ſanguis externa corruptione in bilem vertatur,indiciũ erit totius corporis praſinus ſiue porraceus color. Si ab obſtructione folliculi fellis fiat, ſignum erit quòd citra febrem morbus regius accidit,vrgétque in dextra præcordiorum parte grauitatis quidam ſenſus. Si verò ab inflãmatione vel alio abſceſſu,tũc febris aderit cum bilioſis deiectionibus, & in dextrà præcordiorum parte dolor.Si ab intemperie heparis humorum corruptio contingat,tunc totũ corpus herbis candenti pallore infectis aſſimilatur, interdum plumbeũ aut magis fuſcum coloré refert. Si ob ſplenis vitium,tunc colores veniunt multò nigriores quàm ab hepate,&c.Lege

de his

de his 9.de compos. med. per loc.cap.1. B. Nota tamen quòd velle ex colore tantùm affectũ sedem diuinare, est malum,vt Gal. refert 5.de loc.aff.ca. cit.de Stesiano exemplum afferens,&c.Lege etiam Auic.15.tra. 1.cap.de signis icteritiæ citrinæ, Natura omnia illa nuper à me recitata habet, quæ tu latius videre poteris: si enim omnia in vnum congererem,longè à negotio res librũ excederet. Vide de his Arcul. & Gord. Paul.& cæteros practicantes. Similiter de icteritia nigra lege Gal.6.de loc.affect.ca. de affect.lienis,& Aet.serm.10.cap.17.Vide etiam Auic.de signis oppilationis hepatis, ibi,Signa oppilationis sunt,&c.

De cura morbi regij.

Morbus regius indicatoriè ex febribus perfectè solutis eueniens, visibilis ad cutem translata,si multùm crassa, balneis vel rebus discussoriis facilè curabitur, quale est balneum ex aqua dulci, vel ablutio oculorum & totius corporis cũ aceto albo calido,& succo citri, in quo bullierint flores camomillæ, &c. Verùm si crassa fuerit, in primis extenuantibus vti oportet, deinde discussoriis.Si à causis primitiuis fiat aurigo,tunc singulæ remoueãtur, vt si morsus viperarum sit in causa,curetur ad externas partes virus deducendo, & membra priu-

cipalia tuendo. Si cauſę ſint per conſenſum à toto, vt in febribus, remoueatur febris cũ euacuatione, ſectione venæ & ſoluentibus pharmacis, deinde infrigidantibus, ne ſua caliditate ſanguis in bilem conuertatur. Si verò fuerit caliditas hepatis vel alterius membri, remoue per infrigidantia, cauendo obſtructionem, & membra demum roborando.

Cura arcuati ex multitudine bilis quatuor habet intentiones: Prima eſt euacuatio, ne dum ſuperfluit bilis, ipſa ſuæ multiplicationis ſit cauſa, quæ fieri interdũ debet cum ſectione venæ, interdum cũ pharmaco, vt caſſia, mãna, rheubarbaro, electuario, de ſuc. roſ. roſ. Meſ. diaprunis ſal. &c. Secunda eſt humoris præparatio, & fit cum acetoſo ſimp. ſyr. de endiuia, viol. de cichorea, de ſuc. acetoſæ, de agreſta, de limonibus, de acetoſ. citri cũ aquis & decoctis ſimilibus Tertia intẽtio eſt diſcraſiæ mẽbri derelictæ remotio: vnde in cauſa calida cõ uenit tale epithema: Recipe, Aquę endiuiæ, lib. j. roſ. ʒ ij. ſandalorum ſpodij ana. ʒ j. aceti ʒ j. ſpicæ ϑ j. Miſce, & cum ſyndone applicetur hepati, vel fiat ceratum ſandalinum. Electuaria ſunt triaſandali, diarrhodon, troc. de camphora. Quarta intentio erit ſex rerum non naturalium ad frigidum

gidum & humidum declinantium, de quibus satis aliàs diximus,&c. Cura ictericiæ ex obstructione quatuor etiam intẽtiones requirit: prima humoris obstruentis incisio,extenuatio atque reseratio, & fit cũ syrupo bisantino, cum aceto de duabus rad. rhodomelle, oxymelle, syrupo de eupatorio,de cichorea, &c. Cum aquis fœniculi, apij,cuscutæ,& eupatorij. Consulerem tamen in hoc,vt prius stomachus cum cassia vel pilulis aleophanginis purgaretur, antequàm ista exhibeantur.Secunda erit euacuatio, quæ perficitur cum iis quæ bilem crassam & pituitæ admixtam purgant, vtputa cum rheubarbaro, agarico, diaphinicone,diaturbit,& œnæmate acri, quod ad intestina superiora pertingeret. Tertia intentio est palliditatis vel fœdi coloris ablatio, & occlusarũ viarum apertio,& fit cum rebus aperientibus & vrinam prolicientibus,vt cũ decocto apii, fœniculi,asparagi, bruscí,petroselini,aqua raphani,vel decocto marrhubii, prasii,cicerum,rub.abſinthii,centaurii minoris,cuscutæ vel cum infusione cartami in lacte in ore Auic. vel cum dialacca, diacurcuma, diacalamento, troc. de rheubarbaro, de eupatorio, &c. Quarta intentio sit circa regimen, quod calidum & aperiens & extenuans insti-

ex obstr. cura

tuatut. Curatur Aurigo, si à facultatum siue iecoris, siue folliculi fel continentis imbecillitate fiat, prout de hepatis imbecillitate iam dictum est, &c.

Loci consentientes de cura morbi regij.

Gal. 9. de compos. med. per loc. cap. 1. Icterici qui ratione indicationis febrium fiũt, curantur balneis aquarum potabilium, & olei discussorii affrictu, omniùmque rarefacientium cutẽ, quale anethinũ oleũ & camomillinũ. Qui verò regium morbum ex obturatione incurrunt, per omnia quęcunque strenuè extergẽt, etiamsi medicamentariam substantiam habeant, & calidę sint facultatis, curantur. Conueniunt ictericis ex inflammatione hepatis quæcunque inflammationes sanant. Si verò inflammatio & obturatio simul coincidant, laxantibus simúlque extergentibus opus erit: fugiẽda tamen quęcũque medicamentarię substantiæ & calidę facultatis existunt, &c. Auic. 15. tra. 1. cap. 6. Scias quòd intentio in curatione icteritiæ ad duas res tendit, quarum vna est, vt remoueatur icteritia eũ eo quod resoluit ipsam à cute & ab oculo eum medicinis lauatiuis & solutiuis educentibus materiã facientẽ icteritiam. Secũda vertitur ad causam & abscindit eam, & est aut

rectifi

rectificatio cõplexionis, aut cõfortatio virtutis, aut regimen apoſtematis, aut apertio apoſtematis, aut apertio oppilationis, aut euacuatio per phlebotomiam baſilicæ, &c. Aet. ſerm. 10. cap. 18. Secatur vena quibus copia ſanguinis vnà cũ bile in toto corpore abuudat, aut quibus dolor vel diſtenſio circa præcordia fuerit. Et de purgatione loquens dixit, Quare in principio purgare nõ oportet, priuſquã per deoppilantiã bilis attenuetur. Nanq; mali cauſam purgationes in principio datæ præbuerant, &c. Gal. 5. de loc. aff. cap. vlt. Quibus morbus regius citra febrẽ, accidit, vrgente in dextra præcordiorũ parte grauitatis cuiuſdam ſenſu, iis omnibus obſtructiones aperiens & cibis & potibus & medicamentis extenuantibus, deinde medicamentum quod bilem ducere poſſit exhibens, eorũ plurimos vna die ſanitati reſtituimus, &c. Lege de his omnibus intẽtionibus Arcul. Gordonium, Marcũ Catin. & cæteros practicãtes. De cibo & potu & de aliis ſex rebus nõ naturalibus lege Auic. 15. cap. 6. ibi: Et cibus quidem icterico rum. Et cap. 7. ibi, Cibi in omnibus illis ſint cibi leues. Vide eũ fuſius. Vide & alios ſuprà ſcriptos authores.

Obſeruationes in cura.

Auic. 15. cap. 6. Omnes qui habent icteri-

tiam ex causa calida, deuitent iram, & motum primum balneum, &c.

Conferentia morbo regio.

Conferunt icteritiæ absinthium cũ apio vel adiantho, acetosa, acorum, aphodillus, agaricum, aloës, alcacangi, assarum, attriplex, berbena, betonica, ciclamen, calamentum, chamædrys, chamepitys, camomilla, cassia, siliqua, centaurium, cartamum, curcuma, cuscutæ. helleborus, endiuia, eupatorium, epatica, fœniculum, lactuca asini, lumbrici, lupulus, marrhubium, menta, multipedum aseliuæ, nepita, origanum, pęonia, perdix, peucedanum, aqua raphani, rheubarbarum, rosmarinus, rubea tinctorum, aqua salicis, sulphur cũ ouo, scariola, scolopendria siue citrach, stercus asini pulli bibitum, tamarindi, tamariscus, vrina, vrtica, hyssopus. Composita sunt, confectio de rauedseni, de eupatorio Mes decoctum fumiterræ & coltulę, diarrhodon Nic. electuariũ de psylio rosatum Mes. diaphinicon, oleum de cartamo, de absinthio, syrupus bisantinus de fumo terræ, de absinthio, de cichorea cum rheubarbaro, oxymel scilliticũ, sotira Nicolai, theriaca, triasandali, triphera persica Mes. trifera saracenica Nic. tro. de rheub. de rosis, de eupatorio, de camphora, vinum scilliticum, pilulę Indę, de fumo terræ, &c.

De

De prognosticis morbi regij.

Hipp. Aphor. 4. Apho. 62. Quibus in febribus morbus regius ante diem septimū acciderit, malum. Et Aph 64. eiusdem lib. Quibus in febribus morbus regius septimo vel nono, vel vndecimo, vel quartodecimo superuenerit, bonum, nisi dextrū hypochondriū obdurueriti si verò nō, bonum. B. Morbum regiū in febribus accidere ante septimū, malū ex eo est, quia vel ab inflámatione, vel à duro hepatis tumore, vel ab ipsa obstructione oriri indicat: post septimū verò, bonum, nisi ex dictis quispiam affectus hepati acciderit. Vide tamen pro Aph. isto Hipp. 4. de vic. in morbo ac. com. 81. Hipp. Aph. 6. Aph. 42. Morbo regio laborantibus, si fiat hepar durum, malum est. Et Aphor. 5. Qui morbo regio laborāt, non admodū ventosi sunt. B. Quum nec ventris imbecillitate, nec pituitoso humore, à quibus fieri solet ipse flatus, ictericis laborāt, idcirco flatuosi nō esse possunt. Auic. 15. ca. de ict. In omni oppilatione in meatu hepatis ad fel, aut in meatu fellis ad intestina, quæ est ex incarnatione, aut porro, nō speratur sanitas. Et in eo qui habet ictericiam frigidā, qui nō curatur, nec resoluitur eius materia, est timor, & pluribus eorū associatur mors subita. Et quando multiplicatur

rema

remanentia vrinæ albæ cum icteritia, aut parum tinctæ, est deterius, & magis timendum ne cadat habēs eam in hydropim. Et ad summam, dum non remouetur apostema, & rectificatur dispositio, non habeas spem in euratione ipsius icteritiæ, &c.

Authores dissentientes circa morbum regium.

1 Adserere, icteritiam ante septimum apparentem, semper esse malum indicium.
2 Adserere, icteritiam post septimum apparentem absque tumore hepatis, esse bonum signum simpliciter.

Confutatio dissentientium circa morbum regium.

Ad primum respondetur esse verum, nisi icteritia cum alia euacuatione coniungatur, vtputa cum sudore vel ventris fluxu: nam tunc est bona. & hoc voluit Galen. in fine commen. 62. 4. aphor.

Ad secundum respondetur, quòd icteritia proueniens in 7. 9. & 11. non est iudicanda bona, nisi materiæ coneoctio præcesserit: & hoc voluit Auicen. vbi de signis icteritiæ determinat. Vnde, inquit, si icteritia accidat in 7. aut 9. cum signis laudabilibus, sine hepatis læsione, tunc erit bona: si minus, neutiquam. Igitur non simpliciter bona, &c.

De splenis affectibus.

Scias quòd omnia morborum genera huic membro accidere possunt, sicuti intemperies calida, frigida, humida, sicca, siue nuda, siue cum aliquali materia, qualis est imbecillitas splenis aut mala compositio, aut obstructio, quæ nihil aliud est quàm morbus in viis lienis, prohibens naturalium aut superfluarum humiditatum trãsitum, quæ per ipsum transire naturaliter consueuerunt: aut solutio continui, qualis est dolor, qui est splenis quædam tristis sensatio, non per carnem ipsam splenis, sed potius per panniculum eam contegentẽ facta. Hinc etiã abscessus plures enumerãtur species, vt dura, mollis, biliosa, sanguinea.

Loci consentientes de splenis affectibus.

Auicen. 15. tract. 2. cap. 1. Spleni accidunt omnes species ægritudinum, quæ sunt mala complexio, compositio, sicuti oppilationes, & solutio continuitatis, & similia, & apostemata cum speciebus suis, &c. Galen. 6. dé loc. affect. ca. Quũ itaque splen multa habeat accidentia cum hepate communia, illa nulla re differre videntur, nisi quòd quædam magis, quædam verò minus alterutri euenire solet, &c. Lege de aliis Arcul.

De cauſis affectuum lienis.

Cauſa imbecillitatis ſplenis eſt ipſa intemperies calida, frigida, humid. ſicca, &c. Cauſæ obſtructionis ſunt vel cibi craſſi & atrabilarii, aut aliquod apoſtema vel flatus craſſi obſtruentes. Cauſa doloris eſt ſoluta continuitas ſiue à mala intemperie, ſiue ab apoſtemate, ſiue à flatu craſſo facta. Cauſæ apoſtematũ ſplenis procatarcticæ ſunt aër craſſus, vinum craſſum, & cibi atrabilares. Cauſæ antecedentes & coniunctæ nonnullæ per ſe exiſtunt, aliæ per conſenſum. Per ſe ſunt, vel expultricis imbecillitas, vel attractoriæ fortitudo, aut alteratricis debilitas, aut obſtructio illius venæ per quam atra bilis ad os ſtomachi defertur. Materia verò efficiens apoſtema vel eſt ſanguis niger, vel alii humores quanuis raro pituita. Per conſenſum ſunt totius vt in febribus, vel partis vt in hepatis intemperie, aut in vteri menſtrua retinentis, &c.

Loci conſentientes de cauſis affectuum lienis.

Quòd intemperies ſit cauſa imbecillitatis, lege Galen 5. de loc. affect. capit. vlt. ibi, Omnium facultatum eſſentia, &c. Et 6. de ſympto. cauſ. capit 2. Auicen. 15. tract. 2. capi. 9. Oppilatio quandoque fit exventoſitate, quandoque ex apoſtemate & ab humoribus

bus,ſecundum quod ſciuiſti,&c.Gale.9.de compoſ.med per loc.capi.2.Splen à natura celerrimè indurari ſolet, ſanguine nimirum in venis obturato, & ob craſſitiem neque excerni, neque diſcuti facilè potente. Auice.15.capi.13.Dolor ſplenis aut fit proter ventoſitatem & inflationem, aut propter apoſtema magnum, aut proprer ſolutionem continuitatis, aut propter malitiã complexionis,&c.De cauſis apoſtematum lege fuſiùs Arcul.9.almanſ.Alex.lib.3.cap. 25.Oboriuntur in liene nõ rarò, vt dictum eſt, inflamamationes,quarum vniuſcuiuſque ſinguli humores poſſunt exiſtere cauſæ, vt ſanguis, bilis,&c. Similiter Auicen. loc.cita.vbi inquit: Sed phlegmaticum accidit rarò. Lege neotericos omnes præſertim Arcul.& Gord.

De ſignis affectuum lienis.

Signa temperaturæ calidæ ſunt ſitis,inflatio lienis,corruptio attractoriæ facultatis.Signa frigidę ſunt,caſus appetitus,faſtidioſa ſatietas,rugitus ac ructus copia, imbecillitáſque attractoriæ facultatis. Signa ſiccæ ſunt durities corporis, imbecillitas, craſſities ſanguinis, & color nigerrimus. Signa humidæ ſunt,corporis mollities,nigredo ad albedinem decliuis,&c.Signa obſtructionis ſunt grauitas lateris ſiniſtri,diſtentio-

ſtentio & dolor, nec adſunt ſigna alicuius abſceſſus. Signa attractoriæ facultatis ſunt totius corporis ex ſanguine purpureo nigrities & obſtructio. Signa retentricis affectæ ſunt, vomitus ſine febre vel alia occaſione. Signa inflammationum lienis cognoſcimus ex dolore, feruore, diſtentione, febre, & ex eo quod ad tumidam duritiem quæ ſcirrhus dicitur, paulò pòſt deſinit: iis etiam os fœtet, gingiuæ exeduntur, vlcera in cruribus cicatricem non recipiunt, deinde affecto iecore hydropici fiunt, &c.

Loci conſentientes de ſignis affectuum lienis.

Auicen. 15. trac. 2. cap. 2. Calidam ſignificant complexionem ſitis & inflatio in ſiniſtro, & corruptio virtutis attractiuæ. Frigidam ſignificant debilitas attractionis & caſus appetitus, & iteratio faſtidioſæ ſatietatis, &c. lege eum vlterius. De ſignis obſtructionis lege Paul. lib. 3. cap. 49. ibi, At ſi lienem grauitas & diſtentio, & etiam dolor exerceat, meatus obſtructio oſtẽditur, &c. De ſignis facultatum lienis loquitur Gale. 6. de loc. affect. cap. 1. ibi, Si alteratrix facultas imbecillis ſit, ſanguis ex iecore in vniuerſum corpus impurus tranſmittitur, quo circa color nigrior euadit. Si vomitione verò ſanguis melancholicus excernatur, qui per inferiora interdum decedere videtur,

indi

indicium est, quòd retentrix facultas imbecillis sit. At si euacuatione suppressa mœstitia melãcholica superueniat, & cibi auidissimè concupiscantur, acida maximè existente, quæ ad venticulum transfertur melancholia, expultricem laborare indicium est.

De signis apostematum lienis loquitur Paul. loc. cit. ibi, Inflammationis notæ sunt, feruor, dolor, distentio. Et paulò post, Induritiem óccalescit, hoc pressis vitio os fœtet, gingiuæ exeduntur, &c. B. Quur gingiuæ corrodantur ratio est, quia vaporis corruptio ad partes gingiuarum ascendens eas exedit. Lege de his Auicen. de signis apostematum splenis, ibi, Communicant apostemata splenis in grauedine, magnitudine, &c. Lege etiam Alexã. Tral. lib. 3. cap. 25. Item Arcul. & Gord.

De cura affectuum splenis.

Cura complexionis simplicis est alteratio & regimen contrarium, ita vt causa remoueatur. Si verò fuerit mala intemperies calida cum humoribus, tunc tres opus erunt intentiones: prima alteratio siue humoris digestio, quæ fit cum syrup. acetoso simpl. syrup. viol. de endiuia, de fumo terræ, de lupulis cum aquis endiuiæ, fumi terræ, lupulorum, cichorii, &c. Secunda

erit euacuatio, quæ fit cum rheubarbaro,manna,cassia, pilulis aureis aggregatiuis,electuario de suc.ros. &c. Tertia est resolutio debilis cum roboratione membri, ita vt mala intemperies remoueatur: & fit cum zucharo ros.viol.triasandalis,diarrhodone, vel per ea quæ extrinsecus adhibentur, inungendo cum oleo rosaceo, violaceo,&c. Temperies verò frigida curatur cum his quæ humorem pituitosum præparant,quale est oxymel simp.& compos. scilliticúmque, rhodomel, syrup. de duabus rad. bisantinus,euacuatio cum agarico,hiera Gal.diaphinicone,&c. Remouetur mala intemperies derelicta cum electuario diamusc. dul. de baccis lauri, vngendo extrinsecus cum oleo de spica,de ruta,de capparibus,&c. Cura materiæ ventosæ similiter digeritur, euacuatur ac resoluitur, & pro resolutione conueniunt diaciminum, diatrion pipereon,theriaca.Extrinsecus resoluunt,fotus ex anetho,ruta,pulegio,calamento,semine anisorum,cimini, fœniculi, similiter oleũ rutaceũ, de capparibus, &c. Cura inflammationũ, quatenus ad causam antecedentẽ attinet,euacuatione & reuulsione indiget: quatenus verò ad causam cõiunctam, tunc sicuti in aliis abscessibus in primis repellendũ, in morbi incremẽto repel

pellentibus cum aliquali resolutione vtendum, in statu & declinatione resoluendum nisi abscessus in suppurationem vertatur, quia tunc suppurantia opus sunt. Euacuatio igitur in causa antecedente, si humo is copia cum sanguine abūdet, tum à vena communi, tū ab ea quę inter annularem & minimum digitum collocatur, sectio fieri debet, vel retentis menstruis, vel hæmorrhoidibus à vena in talo pedis. Euacuantur alii humores præparata prius cum coctione eorum materia, per ea quæ millies dicta sunt. Reuulsio fiet cum œnæmate splen reficiente, aut hemorrhoidarum & menstruorum prouocatione, &c. Cura apostematis duri tres similiter requirit intentiones: Prima præparatio humorū cum syr. de epithimo, fumo terræ, oxymelle, &c. Secunda, euacuatio, quæ fit cum cōfectione hameeh, cassia, myrobalanis indis, epithymo, &c. pilulis indis, de fumo terræ, de lapide lazuli, &c. Tertia est mollificatio & resolutio, quę perficitur cum vnguentis cleratis, cataplasmate, fotu &c. de quibus plura habes iuxta Arcul. & Gord. Cura facultatum affectarum hismet remediis perficitur, si modo ouid piam austerum adiungatur, &c. Cura doloris est, vt eius causa remoueatur: quę si fuerit mala intemperies, calid. frigid. pet con-

traria remouebis: si flatuosa materia, curam habuisti: si ex inflammatione, cura earum cura, & vtere anodinis, prout aliàs in aliis doloribus dictum est Cura obstructionis splenis sit perinde ac de icteritia dictum est, &c.

Loci consentientes de cura affectuum splenis.

Galen. 13 meth. capitu. 2. Vbi lien phlegmone inuadit, in sinistra manu secanda est vena, si quidem quod euacuandum sit, communis est indicatio. Et 9. de composi. medic. per loc. capit. 2. Deinde attenuantibus opus est pharmacis, citra manifestam caliditatem, vt ne vehementer incrassescat succus crassus in ipso obturat⁹. Quòd verò actiones ipsæ conseruentur, ex austeris aliquid his admiscetur, quale etiam adstringentium genus. Ea gratia igitur amara valde medicamenta ipsi offerimus, & quædam ex austeris ipsis admiscemus. Et 13. meth. capitu. 16. Quotiens obstructio quæ in eum incidit, aut phlegmone potissimum ad scirrhum perueniunt, tum ea quæ obstructiones eximant, tum quæ dissecent valentiora exigit. Nam quale medicamentum iecori est absinthium, tale est lieni capparis cortex: & quale est iecori eupatorium, tale est spleni scolopendrium, &c. Alexand. lib. 3. capitu. 23. Calidiori & siccæ

lienis

lienis intemperaturæ contrariis medicomentorum auxiliis, frigoricis & humectantibus subueniendum est: frigidę verò & humidæ calorificis & arefaciẽtibus præsidiis succurrere expedit, &c. lege eum fusiùs: nam ibi plura ad curam facientia intelliges, & demũ omne genus eduliorum in morbis splenis congruentium etiam percipies. Lege insuper Arcul. Marc. Catin. & Paul. lib 3. cap 49. & Auicen. 15. tra. 2. cap. de cura splen. Itẽ Aet. & Gord. & omnia à me recitata intelliges.

Obseruationes in cura splenis.

Galen. 13. meth. cap. 16. Valent ora tantò magis lieni congruunt, quantò crassiori vtitur alimento, &c.

Auicennas 15. tract. 2. capit. 3 Est proxima curationibus hepatis, & indiget vt sint medicinę fortiores & penetrabiliores: penetrare verò faciunt ea, quę obseruãt virtutẽ super eos, quousque perficiunt operationes suas, &c.

Obseruationes de phlebotomia.

Auicennas loco citato, capi. 5. Et phebotomia plurima apostemat splenem, euacuãdo subtile, & remanendo crassum: idcirco Razes dixit non multum referre de vena secanda, dummodo vulnus illatum longè pateat.

Obseruationes circa localia in cura splenis.

Auic.loc.cit.ca.6.Applicanda in curatione seruent latus stypticitatis, sed cum cautela calefactionis vehementis, ne materia ad crassitiem & duritiem festinet: nam ambo viscera ad duritiem opportuna sunt, sed misceantur cum eis medicinæ, in quibus sit incisio aliqua cũ caliditate æquali. Et cap. 7.Et scias quòd res calidæ valde non sunt multùm cõueniẽtes spleni, propterea quòd indurant & exiccant, & prohibent à resolutione, &c. Itidem fatetur Paulus & Galen.

Obseruatio circa medicamenta.

Galen.13.meth.cap.17.Sanè duplex ratio est eius medicamentorum vsus, quum partes superiores positæ laborant, per ea quæ eduntur & bibũtur, inferiores per id quod fit per clysterem infusum, &c. Paul.libr.3. cap.49.Cibus competit tenuis, acris, siccus, potio pauciſſima.

Auicen.15. tract. 2. capitu.7. Omne lac, præter lac camelarum, est malum spleni. Et in administratione ciborum melius est vt administrẽtur ante eos balneationes lõgæ, deinde assumat incisiua, subtiliatiua, & facientia sitim, & sumat in potu vinum mixtum cum aqua marina & subtili, & regimen per tres dies. Lege Galen.13.meth.

cap

cap.17.ibi,Scirrho laborantibus cõuenientia medicamenta,&c.lege etiam Alexand. Tral.libr.3 cap.23. nam fusissimè de omnibus cibis ibi pertractat,&c.

Nocentia splenis.

Nocent splenis lagana, bouinę carnes, dactyli,ficus,lac,lentes,vinum dulce, crassum, nouum, aqua cruda, frigida, omnia vnctuosa, legumin,aolera, caseus antiquus salitus,aues aquaticæ,omnes fructus aquosi'omne splen,& omnis aer crassus,paludosus,autumnalis,&c.

Conferentia splenis.

Conferunt splenis affectibus frigidis, absinthium, acorus, agaricus, apium, ammoniacum, agrimonium, assa, aristologia, betonica, chamædrys, capparis, caules.cyclamen,cyperus,costus,ebulus,hedera,helleborus, epithimum,lapatium,lapis lazuli, lapis armenius,lentiscus,lilium, mel,mẽta, mercurialis,nasturtium, nux mosch. oua, origanum,passula, pastinaca,pæonia, politrichum,pulegium,prasium, pulmo vulpis, raphanus,ruta,radix capparorum,radix geneſtæ,saluia,sandaraca,sena,serpillum,stechas,scolopendrium, spica squilla, tamariscus,vrina hominis, vrtica,hyssopus, iris, vinum extinctionis auri,&c. Composita calida sunt diacurcuma,diatrion pipereon,

syrup.de calamento, de stechade, de absinthio,de fumo terrę, troc. de absinthio, & capparibus, hiera, &c. Frigida sunt simpl. acetum scilliticum,aqua chalybeata,bleta, corallus, cornu cerui vstum, lactuca asini, morus,myrobalani omnes,vitis,viola, &c.

De prognosticis affectuum splenis.

Auicen.15.tra.2.cap.1. Si spleneticus inuenit dolorem interiorē,est magis saluus, quia in ipso adhuc speratur sensus.2.Quando accidit fluxus ventris cum sanguine,est melius quia separatur cū ipso resolutio materiei splenis:si autem perseuerauerit, aduenit ei lubricitas hydropica, & morietur. 3.Qui catharthū habet,nō ei accidit splen. B.Quia humiditatis copia humidā intemperiem arguit,ex qua rarò atra bilis contingere solet.4.Qui habet dolorem in splene suo,& currit ex eo sanguis rubeus,& apparent in corpore eius vlcera alba non lædētia,morietur in die secūdo:& si nō,cadit appetitus.5.Quandoq; terminātur apostemata splenis fluxu sanguinis nariū, & propriè ex latere sinistro, & apostematibus apud aures difficilis suppurationis & apertionis propter crassitatē materiei.6.Et laudabilior vrina eorum est crassa,sanguinea, & vrina in qua est fæx viscosa: quandoque significat sanitatem splenis & destructionem

nem eius. Vltimò, inquit, apoſtemata ſplenis conuerti ad iecur, malùm: ecõtrà verò, bonum. Hippocr. aphor. 6 aphor. 43. Quicũque lienoſi difficultate inteſtinorum capiuntur, iis ſuperueniente longa difficultate inteſtinorum aqua intercutis aut leuitas inteſtinorum aduenit, & moriuntur. Et aphor. 6. aphor. 48. Lienoſis difficultas inteſtinorum ſuperueniens, bonum. Lege etiam de hac re apho. 22. tertii lib. ibi, Autũno verò, &c. lege etiam Arcul.

Authores diſſentientes circa morbos ſplenis.

1 Adſerere, materiam in ſplene poſſe educi conuenienter per vias vrinæ.
2 Adſerere, omne genus lactis in ſplenis duritie conferre.

Confutatio diſſentientium circa morbos ſplenis.

Ad primum, impugnat Gal. 13. met. capit. 17. vbi inquit, gibbũ hepatis expurgari per renes, ſed lien per inteſtina: quũ per renes euacuari, nulla lieni vacuando via pateat.

Ad ſecundũ reſpondetur, quod lac ex eo, quòd obſtructionem inducit, nequaquam conceditur: verùm quum lac camelarum à proprietate lieni conferat, idcirco laudatur ab Auic. & hanc ob cauſam non omne genus lactis conceditur, &c.

De malo habitu.

Malus habitus, quem Græci κακοχυλίαν dicunt est præuia quædam ad hydropem dispositio, ex mala hepatis concoctione proueniens &c.

Loci consentientes de malo habitu.

Paul. libr 3. capitu. 47. Principia aquarum cutem subeuntium vocare Græci κακοχυλίαν, Latini malum corporis habitum consueuerunt Aet. ser 10. cap. 19 Quum corporis habitus in aquositatem diffunditur, κακοχυλία à Græcis appellatur Auic. 14 tra. 2. apit. 3. Quum corrumpitur digestio hepatis, & cõmunicat super ipsum debilitas, in primis accidit dispositio ad hydropem antecedẽs, & voeatur cachexia &c.

De causis mali habitus.

Causæ ipsius cachexiæ sunt longitudo alicuius morbi, durities splenis vel hepatis. consuetarum excretionum prohibitio, deprauata hepatis siue stomachi alteratio: quæ si omnino corrumpatur, non amplius cachexiam, sed aliquem hydropis speciem efficiet. Denique quæcunquæ causæ hydropis esse possunt, dum leues existant, omnino cachexiam inducunt, &c.

Loci consentientes de causis mali habitus.

Aet. ser. 10. cap. 19. Hæc affectio vt plurimùm

mùm ex longo morbo congregatur, aut ex viscere quopiam in scirrhum indurato, maximè hepate, splene, aut à consueta & cohibita excretione aliqua. Auic. 14. tra. 4. cap. 3. Fit à corruptione digestionis, vel ab hepatis imbecillitate, & quandoque accidit propter congregationem aquæ in pulmone, &c. B. Hanc enet sententiam habes ex ipso capi. de signis peripneumoniæ, ibi, Et quando prolongatur tẽpus cum peripneumonia, facit incurrere ægrum in inflammationem pedum, &c.

De signis mali habitus.

Primum corpus albicat vel flaueſcit ob totius malam intemperiem, concoctiones impediuntur ob hepatis vel ventriculi imbecillitatem, remanet tamen ciborum appetentia à frigido elicita, deinde fastidium & defectus animi aceidit ob venenosam materiam ad cor exhalantem, respiratio rara ob consensum pulmonis vel diaphragmatis, extrema corporis inflantur, præsertim si anasarcam cachexia præcedat. Vrina & sudor paucus ob aquosam humiditatem retentam, quæ per consueta loca expurgari nequit, testiculi inflantur, dummodo asciten cachexia præcesserit, vlcera adsunt incurabilia ob sanguinis synceri defectum, &c.

Loci consentientes de signis mali habitus.

Aet.ser.10.cap.19.In hac affectione vniuersa corporis miscella laxior fit ac emolleſcit,corpúsque totum cum virore albicat ac inualidum est:nam inter eundum crura vacillant,concoctiones in primis,manente etiam appetitu,impediuntur,fastidium accidit,respiratio fit rara ac debilis,quæ motibus ac actionibus cõdensatur.Lege Auic. loco citato,capit.3 ibi,In primis permutatur color corporis & faciei ab albedinem & citrinitatem,& apparet inflatio in palpebris,& facie,& extremitatibus manuum ac pedum,&c.Lege fusius,& intelliges cætera à me dicta,&c.

De cura mali habitus.

Cura requirit quatuor intentiones. Prima erit circa regimen, ita vt æger in cibo & potu parcus sit, non comedat ad satietatem,nec nisi celebrata digestione: sitire ac famescere in hoc casu vtile : fugienda est ciborum multiplicitas, aqua interdicatur, nisi alia cogeret necessitas. Cibaria igitur in hoc casu sint calida, tenuia & exiccantia, præsertim in causa frigida, in calida verò econuerso.Secunda est euacuatio:vnde si à mẽstruis vel hæmorrhoidibus suppressis morbus proueniat, vel ab alia excret

cretione prohibita, fiat sectio venæ: si verò à vitiatis humoribus, tunc purgatio ex hiera vtilis est, vel ex agarico, pilulis de rheubarb. hieralogodione, electuario indo, diaphinicone, prout materia exegerit. Tertia intentio est humorum præparatio, vnde si fuerit bilis mixta, conuenit syrup. bisantinus de endiuia, cum aquis absinthii, cichorii: & in materia non valde frigida valet syr. de eupatorio acetosus simpl. & in materia crassa ac viscosa oxymel scilliticum, syrup. de absinthio, & in materia melancholica syrup. de epithymo, de hissopo, &c. Conueniunt etiam in hac intentione diacurcuma, dialacca, triasandali, diarrhodon, troc. de ros. de absinthio, &c. Quarta intentio est diuersio, quæ fieri potest per vomitum, quia extrahit ab hepate per venas meseraicas, tum quia ex infimo loco materias eradicat, tum quia à stomacho & ab adiacentibus partibus optimè auertit. Clysteres etiam laudantur, eo quòd à stomachi fundo euacuant: tum quia eductio per vētrem naturalis magis est, quàm per vomitum, &c.

Loci consentientes de cura mali habitus.

Aet. ser. 10. ca. 19 Cibi eorum sint simplices, qui facilè concoqui possint, &c. Lege eum

eum fusiùs. Auic. loc. cit. c 4. Cibus habentium cachexiã sit ex eis, in quibus est suauitas & confortatio naturæ, sicut alcubungi, id est, perdices, & sint vina eorum odorificata, cum eis quæ sunt garyophylli, cinnamomum, crocũ, &c. & ex fructibus, granata dulcia, & de citoniis parum nõ nocet, & misceantur cum cibis ea quæ sunt sicut sinapis, porrum, allia, &c Paul. lib. 3. cap. 47. Victus sit tenuis, siccus, &c. De euacuatione loquitur Aet. loco cit. ibi, Si hęc affectio ex consuetæ excretionis cohibitione contingat, excretionem irritare expedit, aut venam incidere, si nihil præpediat: si minus vena incidenda sit, conuenienti purgante pharmaco, & maximè ex hiera oportet, &c. Auicen. loco cita. Considera an humores sint cholerici, & educantur solutione ventris cum hiera picra: nam educit superfluitates absque humiditatibus innatis, &c. Lege eum fusiùs. De humorum præparatione lege Arcul. & neotericos: lege etiam Auicen. ibi, Et ex eis quæ conferunt, eis valde sunt syrup. de absinthio in ieiuno, mitridatum & diacurcuma, & dialacca, & diasperma ton. &c. De vltima inctione lege etiam Auicen. ibi, Et vtatur vomitu ante cibum: est enim regimen bonum eis in principio rei cũ rapano infuso in syru.

acetoso,& in fine cum helleboro,&c.

Obseruatio in regimine.

Auicen.14.tra.4.capite 4. Oportet quòd regimen eorum, sit superfluitates prohibens,&c. lib.3.

Obseruatio in sectione venæ.

Paul.lib.3.capi.47.Iis qui copia vitiosorum humorum laborant,vacuatio sanguinis per venam noxia est: purgatio autem ex hiera permultum vtilis. Auic loco citato, Ante venæ sectionem præcedant quæ sanguinem purifieant,qualis est hiera.

Obseruationes de solutione ventris.

Auicen.loco citato, Primùm humorum qualitates eonsiderentur & purgẽtur:quòd si nouissimè materia aggregetur, figi eam non permittas , sed reiterata purgatione educes.Secundò. cauendum ne eorum sto machi à solutiuis lædantur,quare cum soluentibus aromatica sunt admiscenda.Tertiò, sex purgationum modos enumerat. Primus,per ea quę ventrem soluunt,& obstructiones aperiunt.Secundus, per clysteria attenuantia & resoluentia. Tertius,per moderatum exercitium & per paucitatem potus.Quartus, per balnea cum aquis non calidis. Quintus, per vomitũ ante cibum. Sextus,per cibos exiccantes,a, erientes,& attenuantes cum aromaticis,&c.

Confer

Conferentia malo habitui.

Conferunt cachexiæ, ſpica, cinnamomũ, abſinthium, eupatorium, ſemẽ vrticæ, chamæpitys, vrina hominis, helleborus, ſanſucus, maiorana, cricius, handacocha. Confectio alcacangi, de rauedſeni, cõditum de bugloſſa, diacurcuma, dialacca, diacoſtum Meſ. empl. Alex. Meſ. omoruſia Auic. theodoricon magnum Haly, theriaca, diateſſaron, triphera minor, pilulæ de rheubar. de alcacangi Meſ. troc. de diarrhodon, de roſis, de rheubarb. de eupatorio, ſyr. acetoſus de diarrhodon, de abſinthio, de fumo terræ, de ſquinanto viatic. 5. &c.

De prognoſticis mali habitus.

Aet. ſer. 10. capi. 19. Senes facilè hac affectione capiuntur, maximéque liberantur: pueri verò facilè perdunt ob vitalis roboris imbecillitatem, aut ex ſuccis ob cutis raritatem facilè tranſpirantibus. Qui in vigore ſunt, rarò incidunt, faciléque inde ſe extricant: quum verò malum diutius durat, in aquam inter cutem tranſit, &c.

De hydrope.

Hydrops eſt morbus à materia intra peritoneum contenta, quæ ab hepatis imbecillitate prouenit factus, ex quo venter intumeſcit, & interdum reliqua membra. Huius tres ſunt ſpecies: prima ἀσκίτης, id eſt:

est vtricularis : secunda est τυμπανίτης, id est tympania : tertia ὑποσάρκα καὶ ἀνάσαρκα vel λευκοφλεγματία, id est, pituita alba dicitur. Ascites est morbus in quo venter & crura intumescunt, superiores autem partes gracilescunt ac marcescũt. Tympanias autem est morbus in quo plus flatuosi spiritus inuenitur, & minus humoris, ita vt si venter percutiatur, tympani modo crepitũ elidat. Anasarca verò est morbus, quo totum corpus albidum redditur atque humore circunluitur, ex quo ægris pudenda peruertuntur, & febres accidunt, &c.

Loci consentientes de hydrope.

Auicen. 14. T. 4. cap. 5. Hydrops est ægritudo materialis, cuius causa est materia exuberans frigida & ingrediens membra, &c. Aet. ser. 10. cap. 20. Hydropis differentiæ tres sunt : alius enim ascites ab vtre dicitur, alius tympanitis à tympano, tertius sarcites iuxta carnem, à Græcis λευκοφλεγματίας nominatus, &c. hoc idem sentit Paul. lib. 3. cap. 48. & Alexand. lib. 3 cap. 29. ibi, Hic morbus, &c. Gal. lib. finit. med. Hydrops, quæ anasarca, id est, per carnem dicitur, est quum totum corpus intumuit, œdemate atque humore corpus circunluitur, &c. Ascites, id est, vtricularius est in quo venter & ferorum cru-

ráque intumescunt, superiores autem partes extenuantur,&c. Similiter Tympanias est quum in ventre spiritus plus inuenitur, humoris minus,& si quis pulsauerit, sonus exauditur,&c.Lege etiam Galen.de hac re aphor.4.commen.11.

Obiectio.

Quur tres tantùm species facis, quum Theodorus lib.5.quatuor enumeret, scilicet anarsacam,hyposarcam,tympanitem & ascitem. Præterea Hippo.4. de vic. in mor. ac.tex 3.duas tantùm species esse declarat, vna quidem hyposarca, altera cum inflationibus.

Responsio.

Distinctiones interdum dãtur penes nomina rerum,interdum verò penes causam efficientẽ,interdũ penes locũ læsum.Erunt igitur quatuor ratione nominis, vt Theodorus: erũt duæ ratione loci:nam aut in omnibus mẽbris cõtinentur, aut tantùm in concauitate ventris, & sic erunt duæ species vt Hippocra. erunt tamen tres, vt diximus,quia causæ tres sunt,&c.

De causis hydropis.

Causæ efficiẽtes & primitiuę sunt omnis causa exterior,nocumẽtũ ind igestione imprimens, & imbecillitatẽ maiorẽ quàm in cachexia inducens: regimen inordinatũ in

sex

sex rebus non naturalibus, percussio, casus & offensio super hepar, &c. Causæ anteecedētes sunt mala dispositio hepatis vel aliorum membrorum, quæ prouenit vel à mala intemperie nudâ, vel humorali, vel à soluta continuitate, vel ab aliquo abscessu digestionē impediente Causæ per consensum erunt vel à toto, vt in febribus quæ caloré hepatis innatū imbecillitant, & digestionē præpediunt, vel euacuationes superfluæ caloré innatū extinguentes, sicuti euacuationes per ventrem, per vomitū, per sudorem, per mēstrua, per sanguinis fluxum, &c. Vel erunt à membris particularibus, vtputa à pulmone, diaphragmate, abscessum vel aquam patiente, vel à stomacho ob malam eius intemperiem, vel à splene ob eius magnitudinē & duritiē, &c. Causa coniuncta est materia ipsa frigida, mēbra alterans, & in tumorem attollens cum imbecillitate hepatis & digestionis eius assiduè illam materiam regenerantis, &c. In anasarca igitur erit materia pituitosa, penetrās cū sanguine per membra. In ascite erit materia aquosa citra peritonium contenta. In tympanite est materia ventosa in illas partes diffusa, &c.

Loci consentientes de causis hydropis.

De causis primitiuis lege neotericos, pre-

cipuè Arcul.& Sauonarolam,Gordonium, Platearium , & reliquos. De cauſis antecedentibus lege Auic.14.tra.4.cap.4.ibi,Cauſæ verò antecedentes ſunt omnes ægritudines hepatis complexionales,inſtrumentales,ſicut paruitas & oppilationes, & apoſtemata calida,frigida, mollia & dura, &c. Lege eum fuſius.Gal.5.de loc.aff.cap.7. In omnibus corporis partibus tum ſupernis tum inferioribus, pituitoſus ſanguis contineri conſpicitur in iis morbis, quos Græci anaſarcas & leucophlegmatias nominant:proinde conſentaneum eſt, vt ob viſceris refrigerationem eibus iam redditus in ſanguinem tranſmutari nõ poſſit,& c.Et inuenies per conſenſum etiam affici ibi,Laborans aqua inter cutem moleſtari videtur vitio exiſtente in liene , vel in ieiuno, vel pulmone, vel renibus,aut tenui inteſtino , aut meſenterio , aut vbi ſanguis plurimus per hæmorrhoidas excernitur,aut ob muliebre profluuiũ,aut quũ retinẽtur menſtrua, aut alienam ingentem vteri diſpoſitionẽ, &c. De cauſis particularibus loquitur Aet.ſer.10.cap.20.ibi Aſcites fit quũ inter pelliculã peritoneum appellatã,& inteſtina pluuima aquoſi humoris collectio fiat Tympanias , quũ flatus aëre repleti ac ſuperflui plurimam collectionẽ facit &c.

Sarc

Sarcites verò ab aquosa pituita ortum habet,&c. Hoc idem sentit Auicen.14. tra.4. cap. 4.ibi, Ascetis causa est materia aquosa effusa in spatium ventris inferioris, &c. Vide Galenum de causis hydropis 2. de naturali facult. cap.7. Item 4.aph.comm. 11. ibi,Quibus tormina,&c.Item 4 de præsag. ex pulsibus , capite de meninge affecta. Item prognost.1.tex.1. ibi, Cuiusuis aquæ intercutis genitura est, vbi sanguificationis officiũ intercidat,&c.Hippoc.aphor.7. aphor.71. A' pitùita alba aqua intercus superuenit. Vide Gal.in commẽ. Vide etiam Paul.& Alex.lib.3.cap.29.

De signis hydropis.

Signa hydropis in genere octo sunt.Primum, est vitiatus color iuxta hepatis intemperiem, vt in frigida albus & liuidus; in calida flauus vel rubeus. Secundum.est inflatio oculorum & pedum, vt in anasarca:excipitur tympanias, in quo nullus tumor nisi in ventre cernitur. Tertium, sitis inexausta, quia humor in his locis retentus salsus est & putrefactus. Quartum ciborum fastidium, scilicet in calida hydrope : nam in frigida appetitus inualescit. Quintũ, vrinæ paucitas,rubeæ, præsertim in ascite & anasarca, vbi nulla fit separatio sanguinis & bilis. Sextum, febres mi-

tes ac tepidæ. Septimum, accidunt vlcera. Octauum, nihil cruentum secerni solet, maximè in ascite & tympania, &c.

Signa particularia Ascitis, sunt grauitas sensibilis in ventre: & si percutitur, nullum sonum emittit, sed aqua à latere ad latus commota cernitur. Tactus est vtris aquæ pleni. Nulla adest membrorum magnitudo, cutis tensio, paucitas vrinæ, pulsus paruus, frequens, & ad duritiem decliuis. Signa hyposarcæ sunt inflatio totius corporis, velut in defuncto corpore impinguantur membra, & propriè facies, & cùm premitur digito, remanet fouea: nulla adest suminis inflatio aut commotio, vt in ascite & tympanite, fluxus interdum sanguinolentus, pulsus, vndosus, latus & lenis. Signa tympanitis, egreditur sumen plurimo exitu, nulla adest grauitas, sed tensio plurima, membra ad ariditatem tendunt, & percusso ventre sentitur sonus vtris flatu non aqua pleni: adest ructationis voluntas, ex qua leuius se habet: pulsus vt plurimùm velox & frequens, ad duritiem decliuis, nulla adest inflatio pedum, &c. Signa distinguentia hydropem à prægnante sunt, quia ab vmbilico infrà prægnantis venter extenditur, in hydrope verò infrà & suprà, &c.

Loci

Loci consentientes de signis hydropis.

De signis in genere hydropis lege Auic. 14.tra.4.cap.8. ibi, Omnẽ speciem hydropis sequitur corruptio coloris, &c. lege hunc locũ fusius. Gal.5.de loc.aff.cap.vlt. In anasarca per aluũ nihil cruentum, neq; in ascite, neq; in tympania excerni solet, sed spatiũ quod est inter peritoneum & partes ei subiacentes aquoso humore impletur: his verò qui ex frigidæ aquæ potu hydropici facti sunt, vehementes ciborum appetitus fiũt, &c. De signis particularibus mentionem facit Alex.lib.3.cap.29. ibi, Quum in ventre circa abdomen humores aquosi collecti fuerint, &c. Lege etiam de hac re Auic.14.c.9.ibi, Cũ ascite est grauitas sensibilis in ventre, &c. Et cap.10. loquẽs de anasarca, inquit, Apparet inflatio in corpore toto sicut accidit corpori mortuo, &c. Et cap. 11. In tympanite egreditur sumen plurimũ exitu, &c. Vide fusius Arcul. & Sauonarolã. Hipp.prognost. 2. tex. 2. ibi, Si quibus ex inani parte cõsistit hydrops, &c. Lege etiã fusius Galen. in hoc commento, &c.

De curatione hydropis.

In Ascitis cura tres tantùm intentiones insurgunt, quarũ prima versatur circa vitę regimen, ita vt sex res nõ naturales ad ca-

liditatem & ſiccitatem vergant, quũ cauſa aſcitis ſit frigida & humida. Nã hepar etſi à cauſa calida primùm moleſtetur nihilominus ex imbecillitate & ſpirituũ reſolutione tandem frigeſcit. Dięta igitur ſit tenuis, ſi vires patiãtur. Cibaria parẽtur cum pipere caryophyllis, &c. Vinum ſit ſubtile, album, paucæ quantitatis, aquam vitent, Altera intentio eſt in remouẽda cauſa coniuncta, quę perficitur cum pharmacis hydragogis, vel cum vrinam prolicientibus, vel cum his quę inſenſibiliter aquã reſoluunt, vt ſunt fomẽta, emplaſtra, ſacculi, cerata, &c. Solutiua fiũt cum rheub. agarico, cũ ſucco rad. iridis. ebuli & ſambuci, cum ſoldanella, vel eius ſucco, cũ electuario, & Mezereõ quæ laureola dicitur, cum pilulis de ſerapino. de euphorbio, &c. Diuretica ſunt ſyrup. biſantinus de duabus radicibus, oxymelle, ſyrup. de abſinthio. Fomenta fiunt cum rebus calidis reſoluentibus vt ſaluia, maiorana, roſmarino, menta, abſinthio, pulegio, camomilla, origano, foliis lauri, alumine, ſulphure, ſale, &c. Emplaſtra, quale eſt de granis lauri, de ſtercore caprino &c. Sacculi parãtur ex milio ſale, furfure. Vnguenta, quale eſt illud Agrippę, & mille alia quæ parari poſſunt. Conueniunt etiã diacurcuma, dialacca, troc. de rheub.

Tertia

Tertia intentio malam hepati disposition-
nem remouet cum his quæ hepar roborãt,
aperiunt, ac obstructiones dirimũt, extrin-
secus cũ ceratis & linimentis ex oleo rutæ
camomillino paratis, intrinsecus cũ cõfe-
ctionibus iam memoratis, &c. Quòd si per
hæc ascites non cessauerit, cute compuncta
aqua extrahatur, &c. Anasarca siue hypo-
sarca hisdẽmet intentionibus indiget: nam
præter regimen calidũ & siccum etiã cau-
sa cõiuncta remoueri debet cũ medicinis
soluentibus & aliis, vt dictum est. Verùm
hoc plus habet, vt sectionẽ venæ suppres-
sis hæmorrhoidibus, mẽstruis, vel si ab ali-
quo apostemate fieret, & humorũ præpara-
tionem requirit, quod in ascite minimè di-
ctum est: & hoc fit cum rhodomelle, syrup.
de duabus rad. de bisantio, oxymelle simp.
&c. Aduerte tamen quòd syrupos in hoc
casu simpliciter sine aquis & decoctis exhi
berem, quum aquæ apud me suspectæ sint.
Laudatur in hoc casu hiera simplex rheub.
agaricus, pilulæ de rheub. Mala autem dis-
positio hepatis, si ab apostemate, vel ab
obstructione eius proueniat, quo pacto cu-
randa sit, suprà habuisti: quæ si à mala intẽ-
perie oriatur frigida, tunc damus electua-
rium diacurcumæ, dialaccæ, rheub. hepar
lupi, absinthium, eupatoriũ: in calida, diar-

rhodon,abſ. triaſand. In cauſa mixta troc. de rheub.cũ ſpeciebus diarrhodonis Abbatis. Tympanias verò perinde ac dictum eſt curanda erit,dummodo ſoluẽtia pharmaca iam dicta flatuoſum ventũ vnà cũ aquoſo humore reſoluant: vnde laudatur diaciminum,diagalanga, diamuſcus, electuarium de baccis lauri,item fotus ex rebus calidis & ſiccis,&c.

Loci conſentientes de cura hydropum.

De regimine victus loquitur Paul. lib.3. cap.48 ibi,Cibus erit ſalſamentũ, ſinapi & albia: ex auibus ſylueſtres & ſiccæ magis. Inter olera aſparagus, porrum,ſinapi. Vinum ſit vetus & tenue, potio liberalis vitanda eſt, & aqua in totum, calidioribus acrioribuſq; cibis & auxiliis, vbi febris cũ hydrope fieret,abſtineatur,&c. Auicen.14. cap.13.Oportet comedere cum menſura, & diminuere aquam,ita vt prohibeatur à viſione aquæ,ne dicam à potu, quantum poſſibile ſit,&c. Lege Alex.de omnibus oleribus,piſcibus,volucribus,leguminibus,ſiue bellariis fuſius c.30. De curatione per hydragoga loquitur Gal.7.aph.cõmẽ.56.ibi, Curatio hydropis fit per medicamenta aquoſitatem ſoluentia, per epithemata, ac per ea quæ ciendi vrinam & in vapores

talem

talem humorem ſoluendi facultatẽ habẽt.

Item 14.meth. triplicem innuit curandi rationem: prima vt tumorem in viſcere cõtentum ſanemus.2. vt humiditatem ſoluamus.3.vt per medicamenta vrinã citemus. Habet etiam,quòd calidior & ſiccior temperies exile corpus reddat,quòd fit ex acuta exercitatione, & medicamentis attenuãtibus,& victu, & animi cogitatione, &c. Paul.lib.3. cap. 48. Curatio communis ab euacuatione incipit,verùm aſcites & tympanias medicamentum aquam educens requirit, anaſarcas ſanguinis detractionem, modò affectus ex hæmorrhoide vel menſtruis retentis oriatur,&c. Gal.4. de vic.in mor.ac.tex.3 ibi, Hydropum duæ ſunt naturæ.In eomment.Anaſarca, inquit, interdum ſanguinis detractionem,dum incipit, expoſtulat,ſi ex retentione hęmorrhoidarum vel muliebrium, vel ex quapiam quæ ita ſit plethorica cauſa inceperit: tympaniam verò & aſcitem nullus per ſanguinis miſſionẽ ſanare auſus eſt , &c. Lege Auic. 14.tra.4.cap.13. Similiter Mar.Cat.& Arcul. Gor.& Alex. de cura hydropum in particulari.Gal.3.de tẽpe.cap.3.Medicamẽ id quod cantaridas recipit, hydropicis prodeſt, tametſi cãtharis ipſa veſicã omnino vlcerat: verùm vbi per ea quæ admiſcẽtur caſtiga-

ta,

ta,corpori plurimo humore grauato offertur,& illũ & per vrinas expellit,&c. Et 14. meth.cap.13. Harum euacuationem medicamentis quæ digerant molimur, vel chirurgia in aſcite,adhibita punctione, quam paracẽteſim vocãt,&c.Lege quomodo hęc fiat punctio ex Arcul. & Gulielmo Plac. & ab aliis omnibus qui chirurgiam pertractarunt,&c.

Obſeruationes de euacuatione.

Auic.14.trac.4.cãpi.13.Primùm in aſcite aqua,in anaſarca pituita, in tympanite flatus euacuetur.2.Soluentia ita ſoluãt,vt nihil hepati & ventriculo mali inferant, ſed ſint leuia.3. Reiteretur euacuatio, ne materiæ multum congregetur,cauendo ne pro vice ita copioſa ſit,vt virtutem deiiciat 4. A ſoluentibus ſtatim hepar & ventriculum cum ſtypticitate moderatè aromatica. 5. Prouocetur vomitus vt materia in ventriculo contenta euacuetur.6. Enæmata conueniunt,dummodo cauſam antecedentem & coniunctam euacuere poſſint.

Obſeruationes de ſectione venæ.

Gal.4.de vic.in morb ac.com.3.Primum ſi expedit in principio fiat: ſecundum non eſt fienda,niſi ſui cauſa fuerit retentio ſanguinis, vel aliqua plethorica cauſa, vel inflammatio hepatis,&c.Auic.loc.cit.Sectio

venæ

venæ vitanda est quatenus sit possibile, & si tum sit consilium de phlebotomando, minue prius materias dominantes, &c.

Obseruationes in attenuantibus & incidentibus medicinis.

Auic. loc. cit. quatuor habet annotatu digna. Primò, quòd misceãtur cum rebus, hepar & ventriculũ roborantibus. Secundò, quòd varianda sunt & mutãda, eo quòd natura ab eo quod est consuetũ non patitur. Tertiũ, quòd in puluerẽ redigantur, vt citius ad partẽ hepatis gibbam perueniant. Quartò, quòd post eorũ vsum iura pinguia exhibeamus, ne vinarii meatus exhaurian tur. B. Caue tamen ex hoc textu ne decipiaris, quũ in omni specie hydropis iura sint suspecta. In puluerẽ, intellige vt Gale. crassiusculũ. De obseruationibus circa victũ, lege fusius Alexan. lib. 3. cap. 30.

Nocentia ac conferentia hydropi.

Nocent hydropi, vsus aceti assiduus, bouinæ carnes, lentes cum corticibus, mezereon, aloes, & quicquid hepatis temperiem molestat ac corrumpit. Conferunt hydropi absinthium, agaricus, anisum, apium, betonica, calamentũ, calamus aromaticus, chamæpitys, chamædrys, cantharides, electuariũ, cuscutæ, cichoriũ, succus radicis ebuli, helleborus, eupatorium, fœniculus, caricæ, fumus

fumus terræ, chebuli, lac asininum, caprinum, lactuca liniaciæ, meu, mezereon, myrobalani, myrthus, origanũ, pastinaca, perdices, petroselinum, prasium, rheubarbarum, rosmarinus, ruta, sanſucus, sambucus, sinapis scilla, scenoanthos, vrina hyericõ, hyssopus, iris. Composita sunt, vnguentum Agrippæ, confectio alcacangi, dialacca, diacurcuma, diatrion pipereon, emplastrum Aristarchi & Andromachi Mesu. pilulæ de rheubarb. de agarico, theriaca, triphera ferruginea, troc. de lacca, de rheubarbaro, de ligno aloes, vnguentũ Artanitæ mag. confectio de mezereõ, de eupatorio Mes. oleũ de cherua, de mezereon, pilulæ de mezereon, theriaca, diatessaron, &c.

De prognosticis hydropum.

Hip. aph. 3. aph. 22. Autũno plurimi æstiui morbi febres quartanæ & erraticæ, & aquæ inter cutẽ, &c. vide Gale. in commẽt. Et aph. 4. apho. 11. Quibus torminа & circa vmbilicum dolorẽs, & lumborũ dolor, qui neque à medicamento, neque aliter soluitur, in hydropem siccã firmatur. Et apho. 6. aph. 8. Aqua intercute laborantibus vlcera in corpore facta difficulter sanantur. B. Quia exiccari expostulant, sed hoc difficillimum ob humiditatis immoderantiã. Et aphor. 6. aphor. 27. Quicũque suppurati, aut

aquam

aquam intercutẽ patientes vruntur aut secantur: si pus aut aqua vniuersum affluxerit, omnes moriuntur. B. Eo quòd natura subitaneas mutationes nõ tolerat. Et aph. 6. aphorism. 35. Aqua intercute laborantibus tussis superueniens, malum. B. intellige, nisi à materia à capite in subiectas partes stillante tussis oriatur: nam si aquosa humiditas adeò excreuerit vt asperas arterias occupet, periculum de suffocatione imminet. Et aphor. 6. apho. 43. Quicunque lienosi difficultate intestinorum capiũtur, superueniente aqua intercute moriũtur. Et aphor. 7. aphor. 5. In mania dysenteria aut hydrops, vel mentis alienatio malum. Et bonũ aph. 48. eiusdem lib. Aqua intercute laborans, si à tussi habeatur, desperatus est. Et aph. 56. eiusdẽ, quibus hepar aqua plenũ in omentum eruperit, his venter aqua repletur & moriuntur. B. Quia effluere ad omentum aqua non potest, nisi aliquo modo excedatur, vnde mors sequitur, &c. Et aphor. 6. apho. 12. A diuturnis sanato hæmorrhoidibus si vrina non seruetur, periculum est aquam intercutem vel tabem aduenire. Et apho. 14. eiusdẽ lib. Ab aqua intercute habito, si aqua è venis in ventrẽ defluxerit, solui tur morbus. Et prognost. 2. cap. 1. Aqua intercus omnis si ex acuto morbo existit, malum.

lum est:non enim sedat febrē,sed dolorem admodū infert ad mortē B. Eo quòd inuenīre remedia, quæ vtriq; affectioni valida respondeāt,difficillimū est Auice.14.tra. 4. cap.3.multa habet prognostica.Primò,asci tes mālignior omnibus,deinde hyposarca, deinde tympanitis. Secundò,deterior hydrops illa est,quæ fit cum ægritudine acuta & vehementius timēda,quæ homini tēperaturæ calidæ & siccæ aduenit : non enim sine causa maxima per contrariū suæ cōplexioni ægrotat. Tertiò, hydrops ex duritie splenis magis salua est,quàm quæ à duritie hepatis prouenit. Quartò, si ex hydrope, dispnœa,& cōstrictio anhelitus cōtingat,& solutio ventris, propinquā mortē in tribus diebus significat.Quintò,dicitur ꝙ quando hyd ropico descendit sicut caro,prænūciat mortem eius.Sextò,&habenti melancholiā resoluitur melancholia,eo quòd hydrops eā humectat. Septimò & scias quòd fluxus ventris in hydrope est mortalis. Octauò,dictum est quòd quādo in facie hominis, aut in manu eius sinistra mollities, & in naso pruritus accidt in principio, quòd moritur in secunda vel tertia die.Nonò,& si fuerit apostema durum, tunc non speretur in sanatione hydropis quæ sequitur ipsum: nā etsi aqua euacuetur qualibet

eua

euacuatione, reddit tamen & replet, &c.

Authores dissentientes circa hydropem.

1. Adserere, cachexiam non præcedere hydropem quæ paulatim facta sit.
2. Adserere, tympaniam ita à frigiditate fieri, sicuti asciten.
3. Adserere hypolaream esse ascite deteriorem.
4. Adserere, in ascite hydrope semper incisionem esse opportunam.
5. Adserere, omne genus lactis in ascite nullo modo competere.
6. Adserere, tussim in hydrope semper esse signum malum.

Confutatio dissentientium circa hydropem.

Ad primum: Auic. 14. cap. 3. Quãdo corrũpitur digestio hepatis, & antecedit eius debilitas, in primis accidit dispositio ad hydropẽ antecedẽs, quæ vocatur cachexia: sed semper digestio hepatis in qualibet specie hydropis corrũpitur, & antecedit eius debilitas: igitur semper præcedit cachexia. Et hæc opinio cõfirmatur à Dino, vnde maximè decipiũtur, qui contrariũ adfirmant.

Ad secundum: Gal. aph. 4. com. 11. Videtur autem à maiori frigiditate generari, aquosus hydrops, quẽ asciten vocant, à minore

tympanias:nã humida ſubſtantia in flatuoſum aerem ſine calore aliquo tranſmutari non poteſt,& ſic iſti decipiuutur,qui oppoſitum aſtruunt,&c.

Ad tertium:Auic.14.cap.3.Aſcites eſt malignior omnibus, &c. Præterea illa ſpecies eſt deterior,quæ cauſas & ſymptomata ſequiſſima habet:ſed aſcites eſt huiuſcemodi, cùm adſit ſitis vehemens,grauitas ſuffocatio & ſyncopis:igitur erit hypoſarca deterior,&c.

Ad quartũ:Conciliator diff.199.refert ex Gale.neminem vidiſſe ex inciſione liberatum.Præterea Auic.loc.ci.de inciſione myrach, Scias,inquit,quòd parum proficit,niſi in corpore forti valde,quando potens eſt tolerare ſitim & minorationem cibi.Vnde non oportet vt audeat fieri, dum poſſibilis eſt alia cura,&c.imò, vt refert Conciliator, plerique ex hac inciſione moriuntur.

Ad quintum:Auicen.loc. cit. Non reſpicias ad illud quod dicitur in ipſo, ex hoc quòd decipiuntur ſophiſtæ,quòd natura lactis eſt contraria hydropi: imò ſcias quòd hoc medicamẽ eſt iuuatiuũ per illud quod eſt in eo de abſterſione,& eſt cõueniẽs per id quod eſt in eo de proprietate. Et paulò infrà,Et ſcias quòd lac camelarũ & caprarũ Arabicarũ eſt vehemẽtis iuuamenti, &c.

Ad

Ad sextum, Galen. apho. 6. com. 35. Neque enim quum ex alia fit occasione, in homine aquam intercutē patiēte, tussis est signum exitiale, sed quando ex ipsius morbi ratione, & sic non est pernicioſum signum

De leuitate inteſtinorum, id est lienteria.

Leuitas inteſtinorū, quæ λιεντερία à Græcis dicitur, est celerrima ciborū expulsio, in qua nulla alteratricis facultatis actio cernitur, sed tales cibi quales deuorati sunt secernuntur.

Loci consentientes de leuitate inteſtinorum.

Galen. aphor. 6. comment. 1. Leuitas inteſtinorum est velox exitus eorū quæ comeduntur ac bibuntur, quæ talia deiiciuntur, qualia deuorata fuere, quibus egredientibus nulla mutatio alteratricis facultatis inuenitur, siue in qualitate, siue cōsistentia, colore & odore, &c. Lege de hac re Gordonii definitionem & aliorū neotericorum.

De causis leuitatis inteſtinorum.

Causæ procatarcticæ ipsius lienteriæ, sunt cibi, potus, & pharmaca secundū qualitatem, quantitatē, & ordinē ventriculum infestantia, inter quæ aer quoque humidus cōnumeratur. Causæ antecedentes & coniunctæ sunt mala stomachi intēperies, hu-

mores vel nimium frigidi, vel mordaces; flatus quoque non sinens stomacho cibum inhærere, vnde putrefit & expellitur. Item vlcera abscessus, & similia dolorem stomacho inferentia, siue per se, siue per aliorum morborum consensum, ita, quòd nec vẽtriculus ciborum contactum toleret, vnde facultas expultrix ad id expellendum irritatur. Item stomachi ac intestinorum imbecillitas, ex qua retinere cõtenta ne exiguo quidem tempore possunt, sed illico, perinde ac si graue aliquod onus deponerent, ea secernunt, &c,

Loci de causis.

Galen. apho. 6. com. 1. Causa leuitatis intestinorum est triplex: quarũ prima est malà retentricis facultatis stomachi intemperies: secunda fit ab humorum mordacitate superficiem ventriculi exulcerãte: quare cibi & potus quum ad locum vlceratũ perueniunt, membrũ illos continere non potens, absq; cõcoctiõe illos deiicit. Tertia est quũ pituita in ventriculo continetur, quæ cibũ & potum extra ventriculũ & intestina lubricare facit, &c. Itidẽ adserit aphor. 4. cõment. 12. Auic. 16. tra. 1. capitu. 2. prẽter causatis assignatas enumerat etiã solutiuarum medicinarum impressionem in superficie intestinorum & stomachi. Item imbecillitatem

tatem digestionis, qua deficiēte cibus corrumpitur & expellitur. Item catarrhum cibum corrumpentē. Item ciborū malā qualitatem, quantitatē, malitiā sui ordinis, artificium, & denique ventositatem & inflationē. lege etiā Auic. 13. capit. de lubricitate stomachi. Item Gal. 6. de sympt. cau. capit. 1. Item 1 de loc. aff. capit. 3. Item 6. de sympt. cau. cap. 2 vbi de nausea loquitur. Item 6. de loc. aff. cap. 1. ibi, Sunt quædam accidentia, quæ haud absurdè intestinis & ventriculo simul affectis euenire creduntur, vt lienteria. Vide etiam Paul. libr. 3. capitu. 4. Item Marcum Cat. qui omnes causas ad octogenarium numerum reducit, capitu. de Lienteria.

De signis leuitatis intestinorum.

Signa in genere sunt exitus cibi & potus indigesti, dolor in regione stomachi, & ægritudo eius præcedens, sicut nausea, subuersio, vomitus: & hic fluxus ordinem non habet, sed quādocūque cibus sumitur, egreditur, &c. Signa si à medicamine fiat, sunt dolor & mordacitas stomachi, præcessit pharmacum, & statim sequutus est fluxus, sapor etiam testatur pharmacū, &c. Signa intemperiei frigidę & humidæ sunt albedo faciei & linguæ, paucitas sitis, tarda digestio, multido sputi, non

adeſt grauitas vel nauſea ſtomachi, & exiſtente pituita adeſt dolor ſtomachi, acetoſa eructatio, lęditut à frigidis, nauſea adeſt & vomitus. Signa intẽperiei calidæ ſunt oris amaritudo, ſitis, vomitus frequens, bilis, ſapor amarus, & humores calidi per ſeceſſum emittuntur, &c. Signa vlcerum ſunt vomitus ſaniei, eructatio, pus redolens, dolor, &c. Signa apoſtematis ſunt tumor, durities, grauitas, aſſiduus dolor, febris continua, &c. Signa flatus ſunt, quum ſentitur flatuoſus motus, dolor modò vnam, modò alteram ſtomachi partem moleſtat, iuuantur ſi crepitum vel ructum emittant. Signa imbecillitatis facultatũ ſunt, ſi imbecillis ſit digeſtiua, egreditur cibus ſine digeſtione, ſi retentrix vel expultrix, egreditur velociter. Signa interſtinguẽtia liẽteriam ſtomachi & inteſtinorum ſunt, quia lienteria inteſtinorum, id eſt cœliaca paſſio habet cibum ſatis bene eductum, dolor eſt in inteſtinis, & præceſſit ęgritudo inteſtinorũ: & econuerſo, ſi fuerit ſtomachi, &c.

Loci conſentientes de ſignis leuitatis inteſtinorum.

Pau. lib. 3. capi. 40. Verùm in vtroque leuitatis genere celerius quàm in cœliacis, quæ aſſumpta egerũtur, tamque intenſa eſt cruditas, vt alimenti aſſumpti genus cognoſ

groſcatur,&c. Lege de his ſignis Auic. 16. tra. 1. cap. 3. ibi, Fluxus ſtomachicus nō habet ordinem neque horas, in quibus per ſeipſum creſcat, immò eſt ſecundum regimen: nam ſi digeſtiua eſt debilis, egreditur ſine digeſtione: ſi retētiua & expulſiua debilis, egreditur velociter, &c. lege eum fuſius de aliis ſignis. Item Arcul. & Gord. & Mar. Cat. qui breuiter omnia lienteriæ ſigna exponit: lege etiam alios neotericos.

De cura leuitatis inteſtinorum.

Conſideranda eſt in primis à qua cauſa hic morbus proueniat: nam ſi ex parte cibi corrupti, tunc ventrem ſoluere vel vomitum prouocare vtile eſt. Si verò ex nimia cibi quantitate aſſumpta fiat, tunc facta euacuatione paucus cibus exhibeatur, deinde mala ſtomachi cōplexio corrigatur: ſi autem cauſa fuerit nimia humiditas in ventriculo contenta; tunc medendi inſurgunt quatuor intentiones. Prima erit circa victum: nam cibandi ſunt ex chondro, oriza & pane, cum aliquibus adſtringentibus, vt malis punicis, pyris, maliis cydoniis, vel diacitonite: conueniunt etiam teſtes gallinacei & piſces ſaxatiles, &c 2. Intentio eſt humoris frigidi præparatio cum rhodomelle, ſyr. de menta, de abſinthio, cum decoctis vel aquis mentæ, abſinthii.

3. Intentio est euacuatio, quæ fit per solutionem ventris, ac per vomitum, maximè materia in suprema parte ventriculi contenta, cum pilulis aleophanginis, masticinis, & de hiera simpl. diaphinicone & diacitonite solutiuo 4. Intentio est ventriculi roboratio, ac discrasiæ derelictæ oblatio: & perficitur cum exterioribus vnguentis calefacientibus, ac stypticitatem in se habentibus, quale est oleum de spica, de absinthio, de mastice, de menta, de citoniis, item cum emplastris & ceratis eãdem vim seruantibus, ex menta, absinthio, rosis, scenoantho, spica, balustiis, galanga, cipero, &c. Roboramus etiam cum interioribus electuariis adbibitis, quale est aromaticũ ros diaciminum, diagalanga, diacitoniten cũ speciebus & zacharo. Si verò causa fuerit materia calida, victus & regimen declinet ad frigidum: digestio fiat cum syr. ros. de granatis, de cydoniis, de myrtho. Euacuatio, cum rheubar. aloe lota, hiera simpl. Robur denique indimus, ac malam derelictam intemperiem remouemus cum zucharo rol. diarrhodone Abb. cõfectione de tribus sandalis, &c. Si verò causa fuerit vlcus, primò oportet abstergere, deinde consolidare, vtputa cum rhodomelle, abstergere & conglutinare cũ bolo armeno, &c.

Si cau

Si causa fuerit ventositas, primùm fiat euacuatio ac digestio, præsertim si materia fouens sit, deinde resoluatur cum electuario de baccis lauri, vel fomento, vel vnguentis & emplastris ex rebus calidis stomacho conferentibus, &c.

Loci consentientes de cura leuitatis intestinorum.

Mar. Cat. Cura variatur secundũ varietatem causarum, &c.

Gal. 8. meth. cap. 5. Cibandi sunt fluente adhuc ventre ex polenta & pane, quẽ Græci oxylipe vocãt, qui minimũ aceti habeat: inspergere tamen polentam debebis, vbi scilicet vẽter adhuc plus iusto excernit, vel mali punici, vel pyrorum, vel malorũ succo citoniorum: si amplius venter non excernit, sufficit alica ad modum ptisanæ præparata, hoc est, aceti habens pauxillum similiter gallinacei testiculi, saxatiles ex albo iure pisces, & fructuum aliquis ex his qui adstringunt. Lege de his cibis Paul. Aeg. libr. 3 capitu. 40. ibi, Si bilioſa sit deiectio, &c.

Lege etiam Auic. 13. tra. 5. cap. 7. ibi, Et sit cibus, &c. Vide etiam Galen. in libr. de san. tuenda, &c. De cura malæ complexionis plura habes etiam ex ipso Auic. in loc. cit. ibi, Quod si causa fuerit ex frigore, cum

calefactiuis curentur ebibitis:& si illic fuerit materia,euacuetur,& administretur vomitus in omni septimana : & si fuerit malitia cõplexionis calidæ cum materia, oportet vt educatur humor cũ facilitate, &c. lege fusius,& omnem curam intelliges.Lege etiam Arcul.9.almans,& ipsum Aet. libr.9. cap.51.Itẽ Auic.16.tra.2.cap.2.de fluxu stomachi lubricatiuo,&c.

Obseruationes in cura.

Marc.Cat.cap.de lien.Medicinę soluentes sint quæ à lõginquo nõ attrahant.Auic. 16.tra.2.cap.2.In quibus nõ sunt vlcera,fac vt permisceas styptica fortis stypticitatis, cum medicinis calefactiuis in potu & in emplastris, & vtantur medicinis naturam iuuantibus & confortantibus spiritum, vt theriaca magna,&c.

Conferentia leuitati intestinorum.

Conferunt lienteriæ fotus ex balaustiis, radix bedegar,castanea,cupressus,aqua vel vinum extinctionis ferri,fæx vini cum aqua myrthi : cataplasmetur fraxinus, charabe,licium, lini semen, margaritæ, ossifraga,anisum,polygonum,hypocystis, zingiber. Comp.athanasia Nic. diacitoniten Nic.mitridatum Nic. cum decocto balaustiarum, myua, michleta, pilulæ stypticæ

Nic.

Nic.electuarium inuentionis noſtræ,Meſ. electuariũ de myrtho,Meſu.ſuffu. de myrto Meſ. confectio de ſeminibus Meſ. pede conſtringere , manus in feruentem aquam mittere.

De prognoſticis leuitatis inteſtinorum.

Hippoc.aphor.4.aphor.12.Quorum alui inteſtinorum leuitate laborant , hyberno tempore ſuprà purgari malum,&c.

Et aphoriſ.6.aphor.1.In longis leuitatibus inteſtinorum ſi ructus acidus fiat , qui prius non erat,ſignum bonum.

Auic.16.tra.1.capi.de cauſis fluxus,Lienteria quæ fit propter complexionem frigidam & humidam eſt ducens ſua longitudine ad hydropem , & eſt in ſummo difficilis curationis, quũ confirmatur.2. Facta à virtute medicinarum ſoluentium interdum perducit ad dyſenteriam & vlcera inteſtinorum.3.Inquit Hippocr. quòd omnis fluxus ventris poſt ægritudinem ſubitò eſt malus , ſignificans mortem propinquam. 4.Et ſingultus cùm accidit habentibus fluxum ventris , eſt ſignificatio mala, ſignificans ſiccitatem facientem arefactionem 5. Et Hippoc.dixit,quòd habentibus lubricitatem inteſtinorum vomitus eſt malus , & iudicium occultã habet cauſam , &c.Herculus

culus cap.de lien. Succedens fluxibus antiquis,& ad chronicas ægritudines mortalis. Et perseuerans ex debilitate contentiuę perducit ad hydropem siccam, & tandem ad mortem &c.

Authores dissentientes circa leuitatem intestinorum.

1 Adserere, cum Erasistrato, muscosa & sanguinolenta eum crudis excrementis excerni.

2 Adserere, non posse inueniri lienteriæ speciẽ,in qua semper adsint acidi ructus.

Confutatio dissentientium circa leuitatem intestinorum.

Ad primum:Galen.aphor 6.comment.1. Hæc Erasistratus inquit,nescio qua ductus opinione,adiiciens crudis excremẽtis muscosa ac sanguinolenta: hoc enim nullus apposuit,neque eorum qui eius ætate claruerunt medicorum,neque eorum qui posterius fuerunt,&c.

Ad secundũ:Gal.eodem commen. Quęcunque à pituita ventriculum refrigerante fiunt leuitates intestinorum, semper cum ipsis sunt acidi ructus, vt casus quidam,& sic species lienteriæ inuenitur, in qua adsunt isti ructus acidi.

De dysenteria.

Quæ à Græcis δυσεντερία dicitur, Latini diffi

difficultatem inteſtinorum, ſeu tormina vocant. Eſt autem dyſenteria fluxus ventris ſanguinolentus cum excoriatione & vlcere inteſtinorum, &c.

Loci conſentientes de dyſenteria.

Gale. lib. fin. med. Dyſenteria eſt inteſtinorum vlceratio cum phlegmone & cruẽtorum fæcíque ſimilium ſtrimgmentorum ſecretione, non ſine alui inteſtinorúmque morſu ac cruciatu. Lege etiam Gale. 6. de loc. aff. cap. 1. ibi, Sanè in præſentia nomen dyſenteriæ, &c. Paul. lib. 3 capit. 4. δυσεντερία ἐκ τοῦ ἔντερον. Lege etiam Aet. ſer. 9. cap. 43.

De cauſis dyſenteriæ.

Hic affectus vel per ſe, vel per conſenſum fieri poteſt. Per ſe vel ab externa vel ab interna cauſa orietur. Ab externa, ſicut à frigiditate, ardore, venenatorum pharmacorũ potu, & ab acribus cibis, &c. Ab interna, ſicut ab humoribus acribus paulatim erodentibus, ſicut à bile, pituita ſalſa, ab atra bile, exuſta, vel ab aliquo abſceſſũ abrupto. Per conſenſum fit totius, vt in fine febriũ, vel partis, ſicut à craſſioribus inteſtinis, à meſeraicis, à gracilioribus hepate, &c.

Loci conſentientes de cauſis dyſenteriæ.

Auic. 16. tra. 1. cap. 2 Et excoriatio eſt dolor abraſionis ex ſuperficie inteſtinorum, quæ

quæ aut est à materia cholerica, vel sanguinea acuta, aut virulenta, aut sanioſa, &c. lege fusius hunc locũ Gal. aphor. 6. cõment. 3. Difficultates inteſtinorũ fiunt ex húmoribus acribus inteſtinorum, ſumma primum infeſtantibus, deinde progreſſu temporis ſe profundentibus, ita vt vlcera putrilagini obnoxia, ventriculo etiam compatiente efficiãtur, &c. Vide etiam Gale. 5. de lo. aff. cap. vlt. Item 1. de loc aff. cap. 2. Vbi demonſtrat quòd affectus à quapiam cauſa ortus, non ſemper remota cauſa remoueatur, ſed permanentẽ habeat diſpoſitionem, afferẽs de dyſenteria exemplum. Hippoc. aphoriſ. 4. aphor. 11. Quibus tormina & circa vmbilicum dolores, &c. Galenus tormina fieri inquit, vel propter morſum vehementem vel ſpiritum flatuoſum qui non habet exitum. B. Nota tamen quòd tormina ſiue στροφοὶ non ſemper pro dyſenteria accipiuntur, ſed pro inteſtinorum torminibus qui à mordacitate humorum, vel à ſpiritu flatuoſo fieri ſolent, vt teſtatur Gal. apho. 5. comment. 41.

De ſignis dyſenteriæ.

Signa dyſenteriæ ſunt dolor ventris, punctio, & frequens aſſellatio, in qua fruſta inteſtinorum cernuntur. Signa vlceris ſunt ſanies exiens, excoriatio, & fœtidus odor

odor. Locus vlceris pluribus modis cognoscitur: primùm ex dolore sūpra vel infra vmbilicum existente: nam in superioribus dolor magis vehemens est, quàm in inferioribus: præterea vomitus, nausea, & singultus interdum ventriculo ex consensu patiente fiunt. Cognoscitur etiam ex corticibus intestinorum exeuntibus: nam tenues & parui ex gracilibus, crassi verò & lati ex crassis intestinis descendūt. Cognoscitur etiam ex tempore: nam quum inter doloré & assellationem prolixum est tempus, tunc ex gracilibus, si breue, ex crassis. Cognoscitur etiam ex qualitate eius quod egreditur: nam à superioribus proueniens est magis fœtidum, & sæpenumero loturæ carnis simile. At quod ab inferioribus intestinis prouenit, ex dolore infra vmbilicum, & ex sanguine, & sanie ante fæces exeunte cognoscitur. Vlcus plurimæ sordis esse deprehenditur à longa ægritudine, & à quantitate eius quod egeritur, & ex dolore non sensato. Vlcus sordidum à corrosiuo secernitur ex virulentia, aquositate albida, odore graui: ac corrosiuū est vehemē tis doloris fœtoríſq;, colore ad nigredinē vergente. Signa vlceris profundi sunt sanguis plurimus exiens post abrasionem intestinorum, item ægritudo vehemens, &c.

Loci

Loci consentientes de signis dysenteriæ.

Gal.6.de loc.aff.cap.1.Dysenteria nõ statim fieri solet,sed protinus ab ipsius initio bilis mordax secernitur,quũ deinde interaneorũ abrasiones sequuntur,posteà paulũlum cruoris simul excerni videtur, quãdo affectus ipse in dysenteria esse censetur. Considerandũ insuper nũ per se solæ abrasiones exeant, aut simul cũ quopiã pingui excernãtur,quia tunc indicium est in crassis intestinis vlcus cõsistere,&c. Lege hunc locũ fusiùs,& omnia signa intelliges.Lege etiam Gale.primo dè loc.aff.capi.1.vbi pro exemplo,inquit, Quum intestini tunicam per dysenteriam deiectam cõspexeris, &c. Vide etiã Gal.5.de loc.aff.ca.vlt.Item lege Auicen.16.cap.3.ibi,Communia signa sunt dolor, punctura & alchurati, & quòd vlcera cognoscuntur per excoriationem, odorem fœtidum,& per alchurati,id est, abrasiones intestinarum, &c.Lege fusiùs hunc locũ,& inuenies quæcunque à me sub breuitate recitata sunt. lege etiã Arcul.& Aet. ser.9.cap.43.ibi,Si circa intestina crassa vlceratio contingat,&c.

De cura dysenteriæ.

Requiruntur in cura dysenterię quatuor intentiones: prima circa regimen, vnde si vlcer-

vlceratio inteſtinorum à cauſa calida pendeat cibaria & aer ad frigidum alteranda erunt: vnde comedũtur oua ſorbilia, hepar gallinarum, ſorbitiones frumentaceæ, (& permittentibus febribus etiam lac, oriza, dulciarij panes, amylum, & quæcunq; humores obducunt & ſpiſſant, & quæ corpora laxata & rarefacta adſtringunt & ſiccant, vt pultes ex alica, ex oriza, milio, &c. conce ditur interdum ob ſtomachi imbecillitatẽ vinum, cæterùm aqua pluuialis frigida aliâs cõuenit. Secunda intenſio verſatur circa cauſam excoriationis, quæ ſi fuerit à bilioſa materia, primum humores, deinde abraſiones, demum ſanguinem educente, ſtatim nõ expectata digeſtione, euacuanda erit, cũ myrobalanis citrinis & rheubarbaro nõ vſto vt aliqui, & facta aliquali euacuatione, tunc materiã præparamus cũ ſyr. roſ. de citoniis, de endiuia, myrthino cum aquis endiuiæ, plantaginis, acetoſæ roſaceæ &c. & facta digeſtione iterũ euacuamus cum rheub. Et pro roborando hepate epithema paramus cum ſandalis, roſis, aqua endiuiæ, roſarum, ſpodio, &c. Deinde ſtyptica exhibenda ſunt. Si verò cauſa fuerit ſanguis vltra iam prædicta, vena ſecetur. Tertia intentio eſt circa excoriationem: quæ ſi fuerit ſine vlcere, tunc lauare & conglutinare

opus est. Lauamus cum aqua hordei, vitellis ouorũ, & zaccharo rubeo per clysterem infusis. Conglutinamus quotiensçunque in profundo non est immersa excoriatio, sed tantùm superiores partes attingit: & hoc fit cũ albumine ouorum, gummi Arabico, adipe renũ caprarum, oleo rosaceo, cũ bolo armenio, dragacantho, brodio pingui, vel cum aqua hordei, si lauare simul ac conglutinare quærimus, omnia per clysterem infusa. Si verò excoriatio cũ vlcere iuncta sit, tunc duplex erit intentio, quarũ prima erit abstergere ac mundificare, secunda consolidare. Mundificamus cum decocto furfurum frumenti, vel aqua mellis, iure cicerũ rub. aqua lactis, vrina, lixiuio dulci, vino rub. rhodomelle, vel decocto piscium salitorum & oliuarũ, demum cũ decocto, troc. de arsenico, &c. Consolidamus posteà cum rebus stypticis, quale est decoctum lentium, rosarũ, balaustiarum, cort. granatorum, sumach, coriandrorum: & addimus boli armenij, sanguinis draconis, terræ sigillatæ, thuris ana ʒ j. ouorum binos vitellos, vt clystere magis intestinis adhæreat. Quarta intentio est fluxus cohibitio, ne ex superfluo fluxu virtus prosternatur. Idcirco intrinsecus conueniunt syru. ros. de citoniis, de granatis, troc. de spodio cũ semine acetosæ,

toſæ, zucharum roſ. triaſandali, myua citoniorum cum corallis, ſpodio, ſandalis, &c. Quæ niſi profuerint, ad narcotica procedendum, vt cum athanaſia, phylonio Romano, vel cũ ſuppoſitorio ex licitio, quod filo complicandum eſt, vt cùm lubeat, poſſit extrahi. Extrinſecus autem proſunt linimenta ex oleo myrtheo maſticino, vel de citonii s, cum aliquo puluere ſtyptico, vel emplaſtro de diaphinicone Meſ. Proderit etiam ſuffumigium ſiue lauacrum ex vino rub. in quo ſtyptica aliqua incocta ſint, lauando manus & pedes, vel fumum in ferro recipiendum, ferro continuè in dicto vino excandeſcente, &c.

Loci conſentientes de cura dyſenteriæ.

Paul. libr. 3. cap. 42. Alimentum erit per initia, oua ex lacte, ſorbitiones frumentaceæ per ſe & cum lacte, lac mediocriter coctum, olera non ſunt neceſſaria, guſtare tamen poſſunt endiuiam coctam, intybum & arnogloſſum, &c. Poma adſtringentia, dummodo carnes reiiciãtur, cruda eſui danda, & aqua potioni frigida, ſitque cœleſtis, & læſo ſtomacho vinum propinandum, &c. B. Lege Auic. 16 tra. 1. cap. 4. ibi, Ex cibariis eligat frigida & facientia conglutinationem, &c. & 16. tract. 2. cap. 7.

ibi, Et cùm volueris cibare, &c. Lege etiam fusius Aet. ser. 9. cap 43. & intelliges sigillatim quæcunque ad victum pertinent, &c. De secunda intentione loquitur Auic. 16. tract. 2. cap. 7. ibi, Oportet te considerare quæ sit dispositio causæ facientis excoriationem & vlcera intestinorum, & an fiat vel facta sit à ruptura, à repletione, ab apostemate: si fiat, præpara in abscindendo eam & constringendo ipsam: & si fuerit necessaria euacuatio propter malitiam humoris fluentis, fac eam cum timore & cautela, &c. Galen. 12. met. cap. 2. At sanguinis missio, quæ scilicet vires non deiicit, symptoma spectantis medici opus non est, sed eius qui totum affectum adimere studet. B. Intellige, si in toto fuerit repletio, aut si in causa fuerit iecur sanguinem multiplicans, vel sanguis hæmorrhoidarum vel menstruorum retentus, &c. Auic. loc. cit. Et rheubarbaro inest proprietas mirabilis vlceribus intestinorum, & fluxu excoriatiuo, & propriè quando datur in potu cum aqua arnoglossæ & pauco vino, &c. Lege Auic. loc. cit. cap. 3. de cura vlcerosi, ibi, Et multotiens sanat, &c. & habebis multa pro secunda intentione. Gal. 6. de loc. aff. cap. 1. Si in superioribus intestinis fuerit vlcus, ab epotis medicamentis petendum est præ-

sidium : si verò in humilioribus, clysterem submittere magis conuenit. B. Hoc idem sentit Auic. loc. cit. ibi, Oportet vt cures id quod est in superioribus intestinis, &c. De tertia intentione loquitur fusius Auicen. 16. tra. 2. cap. 7. ibi, Et non cures in corrosione nisi de medicinis conferentibus corrosioni, vt sunt mundificatiua, absterſiua cum exiccatione & stypticitate : & quum sciueris quòd vlcera sunt sordida, mundifica cum eis quæ sunt aqua mellis, & fortior aqua salis, aqua oliuarum salita : & si necesse fuerit, administra tro. de arsenico, &c. Lege Gale. 5. meth. cap. 1. vbi methodum sanandi vlcera demonstrat, quàm inutile foret, si ad hũc locum transferres. Vide etiam 12. meth. cap. 1. vbi habet duplicem curandi viam, quarum altera vacat symptomati, altera penitus morbo: lege locum fusius, lege etiam de hac re Arcul. & Sauo.

De 4. intentione loquitur Auicen. eodem in loco, ibi, Et quando non cessat dolor, tunc sedeat infirmus in tinna, in cuius decocta aqua sint styptica cũ aliquãto anethi, fœnugræci & altheæ : & si adeò fortis fiat, vt appropinquet syncopis, non erit excusatio narcoticorum, &c. Lege de his Marc. Cat. Gord. & Matthæum de Gradó, &c.

Obseruationes circa victum.

Auic.16.tract.1.cap.4.In cibis eorum oportet vt nõ sit mordicatio,nec salsedo plurima,nec acetositas plurimanociua quæ virtutem expulsiuam moueant, quantitas cibi sit pauca.Secundò, cibaria sint actu frigida, non sumat in potu nisi infrigidatum : nam frigidum constringit , tepidum verò resoluit.Tertiò, & rectius est, vt non comedant cibos plurium specierum. Quartò , & scias quòd dormire est ex rebus magis iuuatiuis.Quintò,& si cum fluxu fuerit tussis, dimittat id in quo est acetositas vehemens & stypticitas,&c.

Obseruationes circa pharmaca & syrupos.

Marcus Cat. Non exhibeantur solutiua quæ noceant loco vlcerato, vt scammoniata. Auic. loc.cit. Cúmque administras medicinas , tunc incipe cum singularibus : siverò non valent , tunc tende ad composita. Et sint restrictiuæ,aut exiccatiuæ,aut constipatiuæ , aut infrigidatiuæ , aut conglutinatiuæ,&c. Et non oportet vt sit superfluitas in assatione eorum , ne liquefiat eorum virtus.B. Ex his intellige , quòd noua non sit opinio de non vrendo rheubarbaro,sicuti plures existimarunt , sed Auicennæ,&c.

Obser

Obseruationes circa narcotica.

Auic loc.cit. In narcoticis est timor, licet quãdoque accidat, vt sint necessaria, & non oportet vt administrentur, quandiu ab eis excusatio esse potest. Et quando necessaria est administratio, non exhibeantur eis quorum infrigidatur corpus, & debilitatur virtus, & id apparet in pulsu, &c. Hoc idem adserit Alexa. lib. 3 .cap. 10. vbi de præpostero medicorum imperitorum iudicio facit mentionem Auic. Et ex regimine clysteriorum est, vt clyster fiat paulatim per vices, & pinguia clysteria sedant dolorem vlceris corrosiui, sed non sanant.

Obseruationes circa curationem.

Auic. 17. cap. 15. Nullus creticus fluxus cohibendus est, nisi superfluus fuerit, quia tunc à natura non regulatur, sed à multitudine humorum, vel ab eorum acredine prouenit. Item nullus fluxus est constringẽdus, ni primùm materiam peccantem euacuaueris, vel saltem minoraueris. Item fluxus diuersorum colorũ nunquã cohibendus, quia multitudinem humorum ac diuersitatem significat, si virtus toleraverit. Item infirmus non adeat sedem, quotiens molestatur, sed retineat, &c.

Conferentia dysenteriæ.

Simplicia frigida ad dysenteriam confe-

rentia ſunt, acatia, hypocyſtis, balauſtia, galla, gummi Arab. lutum armenum, ſpodiũ, granata, ſumach, berberis aceroſa, portulacæ ſemẽ, coriandrũ, plãtago, roſa, myrthus, mora immatura, citonium, glans, aqua chalybeata, camphora, lithargyrium, panicum, miliũ, phlomos, nenuphar, cornu cerui vſtum, pyra pontica, papauer, lapis hæmatites, ſanguis draconis, charabæ, agreſta, bleta nigra, corallus, corigiola, dragacantum, lactuca, licium, lentes, meſpila, hordeũ, opium, partes animalium, ſemperuiua, &c. Compoſita frigida ſunt rob de ribes, de berberis, de citoniis, troc. de charabe, de terra ſigillata, de ſpodio, emplaſtrum diaphiniconis Meſ. electuarium de ſorbis, michletæ, diacitonites, diarrhodon Nic. zacharum roſ. triaſandali, manuſchriſti, parlatum, &c. Simplicia calida ſunt vinum nigrum, ſtypticum, chalybeatum, thus, ciminum, aniſum, cortex citri, colophonia, laudanum, caſeus, coagula, nuclei dactylorum, oriza, acorus, althea, aqua piſciũ ſalſorum, butyrum, bitumẽ Iudaicum, caro leporis, charta combuſta in clyſteri, cypreſſus, fœnugræcum, lignum aloës, maſtix, rheubarbarũ, adeps caprina, hircina, arietina. Compoſita ſunt theriaca antiqua, & phylonium, athanaſia magna Meſ. & Nic. troc. de eupatorio, &c.

De

De prognosticis dysenteriæ.

Hipp. Aph. 4. Aph. 24. Difficultas intestinorum si ab atra bile inceperit, lethalis est. B. Quia nihil ab vlcerato cancro differt, vel quia nullum pharmacũ illi continuò adhærere potest. Pro expositione Aphor. huius lege 22. Aphor. ibi, Deiectiones nigræ, &c. vsque ad 24. Et Aphor. 4. Aphor. 26. A difficultate intestinorum habito si veluti carunculæ exeant, lethale est. B. Quia carnem in his concrescere vel cicatricem induci non speramus. Nota tamen, quòd dysenteria habet triplicem differentiã. Prima, quum pinguia quędam corpora excernũtur. 2. quũ ex superficie intestinorum interiore quædam ramenta exeunt. 3. quũ intestinorum substãtia abraditur, & hæc est incurabilis, &c. Hipp. Apho. 6. Aph. 3. In longis difficultatibus intestinorũ inedia ex fastidio malum, & cum febre peius. B. Intellige si accidat in processu morbi: nam dictum est Aph. 7. Aph. 6. In morbo diuturno fastidium cibi malum. Et Aph. 6. Aph. 43. Quicunque lienosi difficultate intestinorum capiuntur, iis superueniente longa difficultate intestinorum, aut aqua intercute, aut leuitate intestinorum, moriuntur. Et Apho. 2. Aph. 14. In profluuiis alui mutationes excremenrorum iunãt, nisi ad mala mutatio fiat, &c. Et Aph. 5.

gultus & conturbatio rationis post dysenteriam, mortem significant. Quartum, in libr. Hippocr. Qui habet dysenteriam, & apparet post eius aurem sinistram veluti res nigra similis orobo cum vehementi siti, moritur in decima, & non tardatur, nec euadit, &c.

Authores dissentientes circa dysenteriam.

1 Adserere, omnem vehementem fluxum in principio morbi factum, esse compescendum.

2 Adserere, dysenteriam à sanguine deterioris esse curæ, quàm à bile.

3 Adserere, dysenteriam ab atra bile semper esse lethalem.

Confutatio dissentientium circa dysenteriam.

Ad primum, Damascenus in Aphoris. Si quis per multum tempus neque vomitum neque solutionem ventris habuit, & ei subitò eueniet, videndum ne restringere festines, quia huic corpus prauis expurgatur humoribus, vnde Auic. 16. tertij dixit, fluxum fluxu curari: verùm si imbecillitas virium ex fluxu fieret, esset restringendus. vnde Concil. differ. 200.

Ad secundum dicimus, quòd deterioris curæ est dysenteria ab atra bile: nam Gale. 4. aphoris. comment. 24. Quæ ab atra bile fit, insanabilis est: deinde quæ à bile & à pituita

pituita salsa, deinde quæ à sanguine.

Obiectio.

Auicen. ponit deteriorem esse, quæ est per aduſtionem choleræ amaræ, quàm nigræ: itidem Haly Abb. in sua praxi, Quomodo igitur deteriorem dicis, quæ ab atra bile fit?

Responsio.

Dico quòd ratione subitæ impressionis deterior est quę à bile aduſta fit, sed ratione eradicationis deterior est quę fit ab atra bile. De hac re lege Concil. differentia 101.

Ad tertium respondet Galen. aphoris. 6. comment. 43. quòd qui durum habent lienem, iis superueniens dysenteria soluit dispositionem. Quare si atra bilis aliunde prouenerit, nec fixam ac permanentem causam in inteſtinis habuerit, salubris est & non lethalis: & hanc solutionem habes ab Auicen. 3. can. capit. de solutione ventris omnium modorum, & sic non est semper lethalis.

De fluxibus hepaticis.

Omnis fluxus, qui vitio hepatis accidit, hepaticus solet appellari, & eius species sunt nouem, vt chyloſa, pituitoſa, bilioſa, atrobilaris, sanguinea, lotiua, fœtida, virulenta, & vltima, quando caro hepatis nigra & craſſa expellitur. Chyloſa est, quando

pars

pars chyli vel totus chylus egreditur,& hoc vitio hepatis & non ventriculi.Pituitosa duplex : altera à crassiori pituita, altera ab aquosa.Bilioſa verò etiam varia & multiplex est iuxta bilis species, sicut flaua, vitellina, prasina,ęruginosa,&c. Attrabilaris similiter fluxus niger est,sicuti sanguis niger, aut nigri vini fæx, aut melancholiæ per adustionem bilis genitæ, aut melancholiæ naturalis,vel per adustionem præter naturam genitæ.Sanguinea, quam cruentam vocat Gale. interdum retinet proprium colorem , interdum niger est sanguis, interdum paucus aut multus , interdum continuus & interpolatus.Lotiua verò est fluxus rei aquosæ , quæ tendit ad colorem rubeum,& est sicuti carnis recentis lotura.Fœtida est fluxus rei fœtentis,siue sit humor, siue sanies,siue hepatis substantia corrupta. Virulenta est fluxus rei subtilis,tendentis ad citrinitatem aut rubedinem ad modum virulentiæ.Vltimus est fluxus,ex quo res nigra non facilè diuisibilis egreditur , & est substantia hepatis per putrefactionem vel adustionem separata.

Loci consentientes de fluxibus hepaticis.

Quod tot sint species fluxuum hepatis, quot nuper recitauimus , lege Arcul. & Sauonarolam,& maximè Auicen. vbi agit de

solu.

ſolutione ventris omnium modorum, & de expulſionibus rerum ex hepate & ſplene. Galen. 6. de loc. affect. capit. 1. Nonnulli antiquorum præter hanc, quæ ab vlceratione inteſtinorum fit, dyſenteriam, aliam quoque cruentam ob excretorum ſpeciem nominarunt, in qua ſyncerus interdum & plurimus ſanguis, interdum veluti limus & fæces ipſius non paruæ quantitatis excernitur, &c Lege etiam Galen. 2 de loc. affect. capit. 5.

De cauſis fluxuum hepaticorum.

Cauſæ chyloſi fluxus ſunt quinque. Prima, quum chylus eſt pluris quantitatis, quàm pro nutriendo corpore deceat. 2. eſt paruitas hepatis copiam chyli continere non valentis. 3. eſt abſceſſus in meſeraicis, vel in concauo hepatis. 4. eſt obſtructio attenuatoria aut carnoſa, aut coarctatoria harum partium. 5. eſt imbecillitas attractricis ſiue retentricis facultatis, &c. Cauſa pituitoſi fluxus eſt mala complexio frigida hepatis, deſtruens alteratricem ſiue digeſtiuam facultatem. Cauſa aquoſi fluxus eſt corruptio alteratricis facultatis, & fortitudo expulſatoriæ facultatis Cauſa bilioſi fluxus eſt copia bilis genita ab intemperie hepatis calida, vel regimen calidum, qualis eſt vſus ciborum acrium, amarorum & ſalſo-

rum

rum: item ira, & motus in sole, febres ardentes, abscessus calidi obstructiones cysti fellei, & quæcunque possunt sanguinem adurere & bilem gignere, &c.

Causæ fluxus melancholici sunt sex: mala intemperies hepatis calida adurens, aut frigida congelans. Secunda, vlcus in substantia hepatis emittens pus nigrum. Tertia, obstructio hepatis, qua patefacta exeũt denigratæ materiæ, iandiu retentæ. Quarta, fortitudo virtutis tales fæces separantis ac expellentis. Quinta, imbecillitas facultatis retentoriæ & alteratricis fecalem fluxum inducentes, &c. Causæ sanguinei fluxus vel est sciſſura venæ, vel copiosa eius multitudo, aut obstructio venæ chyli, aut abscessus, aut imbecillitas attractricis facultatis. Causa lotiui fluxus, vel est imbecillitas concoctricis facultatis, aut retentoriæ, quæ non adeousque chylum retiner, vt perfectè digeri possit: aut est imbecillitas secernentis facultatis, non separans aquositatem à sanguine ob hepatis imbecillitatem Causæ harum imbecillitatum sunt interdum mala intemperies aut abscessus aut obstructio. Causæ fœtidi fiuxus sunt longa mora humoris retenti in loco præternaturali, vel vlcus, vel apostema, à quibus sanies malè olens secernitur, interdum ipsius he-

patis

patis putrefactio. Causæ fluxus virulenti est facultas expulsoria humores creticè vel symptomaticè expellens, vel sanguinis ex aliquo apostemate in hepate aut meseraicis rupto resudatio. Causæ fluxus substantiæ hepatis sunt putredines, adustiones, vlcera corrodentia substantiam hepatis.

Loci consentientes de causis fluxuum.

Vide in alios neotericos Arcul. de his fusissimè differentem. Galen. in art. med. cap. 88. de signis hepatis patientis. Item de diff. eorum quæ excernuntur multa habet, quæ ad hunc locum adduci possunt. Paul. libr. 3. cap. 42. Iecoraria dysenteria fieri solet, quia iecur alimentum distributum non probè conficit, & retentrix eius facultas vel alteratrix imbecillis est. Galen. 1. de nat. hum. text. 41. Fieri, inquit, frequentissimè à multa sanguinis copia in venis contenta, quæ à natura per venas perinde excernitur, ac in mulieribus per vterum, & aliis per nares vel mariscas: vide etiam Galen. 9. de composi. med per loc. cap. 5 Item 2. de loc. affec. capit. 5. Vide insuper Alexand. lib. 3, de Iecoraria dysenteria. Item Gord. & alios neotericos.

De signis fluxuum hepaticorum.

Signa fluxus chylosi sunt nota illis qui chylum cognoscunt, & est albus subtilis,

vt

vt ptisana hordeacea. Signa quum fit à paruitate hepatis sunt, quia à generatione contractum est hepar, & quod iuuatur à paucitate cibi. Signa quòd fiant ab apostemate siue ab obstructione, sunt satis nota per ea quæ dicta sunt de imbecillitate hepatis. Signa fluxus bilioſi cognoscuntur per colorem & substantiam eius quod egreditur. Signa fluxus pituitoſi aquoſi, cognoscuntur ex præcedenti regimine, vt ex commestione fructuum, ex potu aquæ superfluo. Signa malæ complexionis hepatis & apostematis, & obstructionis patent ex supradictis. Signa fluxus humoris melancholici cognoscuntur ex colore nigro tendente in rubeum, & interdum est veluti fæx vini, vel sanguinis nigri congelati. Si est à caliditate humor magis lucet, magísq; fœtet, & præcedit liquefactio humorum, & fluxus ventris virulentus & febres, &c. Quando fit à frigiditate, adsunt signa in contrarium, &c. Si proueniat ab apostemate rupto, primo præcesserint signa apostematis, sicuti grauitas, dolor, & febris continua. Si ab obstructione, præcesserunt signa obstructionis. Signa sanguinei fluxus ex hepate, sunt hepatis nocumẽta præcedẽtia. Si à ruptura venæ præcessit casus vel percussio hepatis sangui-

níſq; copia egreditur, quę nec facilè, nec ſtatim ſupprimi poteſt. Sanguis acutus cognoſcitur ex ciborum acredine, & ex eo quod per loca dum tranſit, mordicat. Obſtructio hepatis cognoſcitur ex grauitate, tumore, &c. Signa lotiui fluxus cognoſcuntur à chylo non probe digeſto exeunte ſimili loturæ carnis. Cognoſcitur ab imbecillitate retentricis vel digeſtiuæ, ex caliditate & frigiditate in hepate contenta: nam à frigiditate debilitatur digeſtiua ſiue alteratrix, à caliditate retentrix virtus. Signa fluxus fœtidi ſunt ipſe fœtor rei egredientis. Signa virulenti, ſunt ſigna hepatis calidi ſub cute ſubtili & ſigna inflammationis hepatis liquefacientis. Signa ſubſtantiæ hepatis exeuntis ſunt nota, quoties res exiens ſimilis eſt hepati, quod nil aliud eſt quàm ſanguinis coagulum, nec diuidi poteſt, nec in aqua ſolui ſicut fruſtum ſanguinis concreti, &c.

Loci conſentientes de ſignis.

Arcul. omnia hæc ſigna habet, & multò plura quàm dixerim. 9. almanſ. capit. proprio. Gale. 6. de loc. affect. capit. 1. Diſcernitur hæc à vera dyſenteria, quia ab initio tenuis ſanies ſanguinis ab hepate reiicitur: deinde aucto malo craſſus humor fœcibus vini haud abſimilis. Prætereà in iecinoris

noris excremẽtis nihil abrasum expellitur, & interim per duos vel tres dies euacuatio supprimitur, sed rursus redeunte malo excrementa prioribus multò peiora excernuntur, quod in intestinorum vlceribus haudquaquam apparet, &c. Paulus libr. 3. capit. 42. Si retentrix vel alteratrix imbecillis est sæpe eiusmodi descendunt, vt recens in eis caro lota esse videatur. Lege Aetium de hac re, & Alex. Gord. & alios neotericos.

De cura fluxuum hepaticorum.

Fluxus chylosus, si à nimia quantitate chyli proueniat, cibus detur in minori quãtitate. Si fuerit nimium crassus vel viscosus, dentur attenuantia & incidentia, sicuti ius cicerum & decoctiones apertiuæ cum radic. fœniculi, petroselini, &c. Si fiat ab hepatis paruitate, cibari debet frequentius cum cibis tenuibus, boni nutrimenti & paucarum superfluitatũ, sed parum pro vice. Si fiat ab apostemate, tunc fiat diuersio & euacuatio cum sectione venæ, deinde topica suis temporibus congruentia adhibeantur. Si verò fiat ab obstructione vel ex debilitate attractoriæ facultatis, tunc tres opus sunt intentiones: prima digestio, quæ fit cum syrup. de duabus radicibus, bisantino, oximelle simpl. syrupo de eupatorio, de cichorea cum Rheubarb. cum aquis

aperientibus, qualis est aqua absinthij, fœniculi, cuscutæ, cichorij: quibus etiam interdum adhibemus syrupũ de endiuia, ros. &c. Secũda est euacuatio, quæ fieri poterit cum rheubarbaro, agarico, pilulis de rheubarbaro, de eupatorio. Tertia est malæ complexionis derelictæ in hepate ablatio, quæ perficitur cum confectionibus & electuariis, qualia sunt, diacalamentũ, diacinnamomũ, theriaca, diacurcuma. Troc. de lacca, dè rheubarbaro, de eupatorio. Et in causa calida, diarrhodon, triasandali cum seminibus frigidis aperientibus, &c. Omnis præterea fluxus hepaticus siue à caliditate, siue à frigiditate productus, quatuor intentionibus curari debet. Primò regimine vitæ, secundò remouẽdo causam ipsius fluxus, tertiò roborando omnes hepatis facultates, quartò corrigendo symptomata. Regimen in fluxu chylloso erit ex calidis vel frigidis prout hepatis discrasia requiret: vt plurimũ tamen ad siccum cum stypticitate aliqua temperata victus tendat. In fluxu bilioso regimen sit frigidum & humidum cum temperata stypticitate. In fluxu melancholico interdum ad frigidum, interdum ad calidum, interdum ad tenuitatem, interdum ad crassitiem, iuxta longitudinem & breuitatem morbi victus ordinetur, cum virtutis

robo

robore. In fluxu lotiuo sit ex his victus qui nutrimentum bonum paucarum superfluitatum inferat, facilísq; digestionis, spargatúrque vices. Causa fluxus remouetur in pituitoso fluxu, euacuãdo primum humorem pituitosum cum decocto iridis & myrobalanorum chebulorum, & educendo per vrinam cum dialacca & vino albo, &c. In fluxu cholerico euacuetur per cholagoga cũ decocto prunorum, tamarindorum, myrobalanorum cit. rheubarb. &c. In fluxu melancholico cum myrobalanis Indis, epithimo, sena, in sero decoctis cum confectione hamech. Et si multitudo sanguinis adfuerit, fiat sectio venæ, & aperiantur hæmorrhoides & menstrua prouocentur: in fluxu lotiuo educatur aquositas multiplicata per secessum, per vrinam, per sudorem. In fluxu fœtido procedatur, primùm cũ mundificantibus & solutiuis, prout humor corruptus exegerit, vtputa cũ decocto hordei aut hydromelle, oxymelle, &c. Similiter in virulento mundificetur virus cum decocto prunorũ, tamarindorũ, myrobalanorũ cit. &c. Roborantur facultates hepatis, & discrasia frigida aufertur cum calidis temperatis, quales sunt passulæ, phistici, auellanæ, cinnamomum, hepar lupi, caro limatiarũ, crocum, &c. In causa calida cũ endiuia, cicho-

rio semine sandalis, vino granatorum, aqua plantaginis, portulacæ, cum camphora, &c. In melancholico cum syrupo de absinthio, de eupatorio, de epithimo, cum diagalanga, diacalamẽto, theriaca, mithrydato, &c. In lotiuo, cum electuar o de passulis Auic. & quibuscunque in capite debilitatis hepatis dictis. Corriguntur accidentia, vt si adsit excoriatio, cum mundificantibus ac abstergentibus, vt puta cum aqua hordei, adipe renum capræ, albumine oui, & vitello, oleo violaceo, &c. Dolor auferatur cùm clysteriis modò abstergentibus, modò anodinis, modò stupefacientibus, prout opportunum videbitur, &c.

Loci consentientes de cura fluxuum hepaticorum.

Auicen. 16. tra. 2. cap 1. Iam sciuisti causas fluxus hepatici, & sciuisti curam cuiuscunque causæ: oportet igitur vt redeas ad id, & cures malitiam complexionis eius, & apostemata, & debilitatem, & oppilationem, & repletionem eius, scilicet vnumquodque cum eo, quod dicitur in capitulo suo: & cùm hæc feceris, iam curasti. Lege Arcul. Gordon. Marcum Cat. Actium & Paul. Aegin. & intelliges omnia.

Obseruationes in euacuatione.

Marcus Catin. Oportet cauere ne euacuem

cuemus cum rebus nocentibus hepati, ideo vtimur rheubarbaro in infusione.

Obseruationes in topicis agendis.

Auic. 16 tra. 2. cap. de cur. fluxus hepatici, Et multoties linit insipiens hepar in hac assellatione cum inspissantibus sanguinem & extinguẽtibus hepar, per hoc quòd sunt frigida: & in hoc est mors & præparatio ad putrefactionem, &c.

Conferentia fluxui hepatico.

Conferunt fluxui hepatico bolum cyprium potum, vel per clysterem iinpositum emplastrum diaphiniconis, Mes. & quæcunque suprà recitauimus, &c.

De prognosticis fluxuum hepaticorum.

De fluxu chylosolloquitur Arcul. sic: Fluxus chylosus nisi pendeat ab apostemate, vt plurimùm curatur. Hippo. apho. 7. apho. 56. Quibus hepar aqua plenum in omentum eruperit, iis venter aqua repletur & moriuntur. Arcul. Fluxus cholericus perducit ad excoriationem & vlcera intestinorum, prout cholera erit magis vel minus acuta ac adusta, & curatur, nisi ab apostemate ortum habuerit. De fluxu melancholico lege aphor. 4. aphor. 21. ibi, Deiectiones nigræ, qualis est sanguis niger, spontè venientes, siue cum febre, siue sine febre, pessimæ, &c. Et aphor. 4. aphoris. 22.

Morbis quibuslibet incipientibus si atra bilis vel suprà vel infrà exierit, lethale. Et apho.4.apho.23.Quibuscunque ex morbis acutis aut diuturnis, vel ex vulneribus, siue quouis alio modo extenuatis, nigra bilis, siue vti sanguis niger desubter exierit, postridie moriuntur. Et apho.4.apho 24.Difficultas intestinorum si ab atra bile inceperit, lethalis, Et aphor.4.apho.25. Sanguis quidem suprà, qualiscunque fuerit malus, infrà autem bonus est. Arcul. Fluxus sanguinis nigri fœtentis & sanguinis rubei est deterior, quàm fluxus nigri: alij verò fluxus si ab humoribus ortum habeant, vt plurimùm curantur, si ab apostemate vel vlcere, nunquam aut difficulter sanantur.

Authores dissentientes circa fluxum hepaticum.

1 Adserere, in omni fluxu hepatico conuenire styptica.

2 Adserere, in fluxu hepatico tenuem victum non esse exhibendum.

3 Adserere fluxum hepaticum esse facilis curationis.

Confutatio dissentientium circa fluxum hepaticum.

Impugnat primùm Auic.16.tertij, de cura eius, vbi inquit: Illud quod cadit de errore in hoc est, vt dentur illi qui habet fluxum

xum hepaticum oppilatiuum, medicinæ conſtipatiuæ addentes in oppilationem, ipſam confortantes vt ſtringant materiam, & id ad errorem maximum perducit.

Ad ſecundum reſpondet Conciliator differentia 202. dicens: Sunt quidam modernorum qui in hac paſſione præcipiunt non eſſe diætam tenuem exhibendã, cuius contrarium indicat Auicen. dicens, In aſſumptione aſſellationis hepaticę plurimum eſt, vt non appropinquet panis, quia hepar non recipit ipſum, imò rectius eſt, vt ſit contentus aqua ſauic bis in die, &c. Igitur iuxta Conciliatorem & Auic. tenuis victus conuenit, & non econtrà, &c.

Ad tertium Haly abbas 7. practicæ, Dyſenteriæ hepaticæ modela perdifficilis eſt, & perpauci liberãtur ab ea. & ſubdit, Multi enim parum cognoſcunt hepatis debilitatem & eius cauſam. Galenus 5. de loc. aff. quoſdam cognouiſſe ait, quibus fluxus hepaticus acciderat ex debilitate hepatis, & periiſſe ex pauca curatione. Prætereà authores ſuccinctam huius morbi cauſam idcirco ſcribunt, quia parum fidunt de eius ſalute, & ſic potius eſt incurabilis, quàm curabilis, &c.

De tineſmo, id eſt, inteſtinali fluxu.

Tineſmus, eſt mala recti inteſtini diſpo-

sitio, in qua egerendi prompta quædam cupiditas cum gemitu ac conatu ægri adest, paucis admodum sequentibus excrementis muscosis ac sanguineis. Hic duplex est, verus & mendosus. Verus, quum causam sui recto intestino affixam tenet. Mendosus, quum causa non est fixa, sed aliunde veniens eum producit, sicuti materia fluens per intestina ad anum, &c.

Loci consentientes de tinesmo.

Galenus lib. finit. med. Tinesmus est dispositio recti intestini ad partes inferiores pertinens, in qua impetus cupiditatésque desidendi plures, sed paucæ excretiones sequuntur, &c. Aët. ser. 9. capite 43. Tinesmus est egerendi promptitudo, quæ differri ac deuitari non potest, nihil tamen præterquám pauca cruentum aspectum habentia propellens, &c. Lege de hac re Paul. lib. 3. cap. 41. Et Galen. 6. de loc. affect. cap. 1. ibi, At vlcera quæ recto intestino oriuntur, &c. Lege etiam Mar. Cat. & Arcul. Auicen. 16. tra. 2. c. 16. Primùm oportet te scire indispositionem tinesmi, an sit tinesmus verus, an tinesmus mendosus, &c.

De causis tinesmi.

In genere considerandum, num casu in longanone existat vel à supernis partibus descendat. Si causa erit fixa in recto intestino,

ſtino, tunc erit vel inflammatio, vel vlcus corrodens, vel fiſtula, vel occultæ hæmorrhoides, vel ragadiæ, vel abſceſſus durus. S verò à ſupernis partibus defluat, vel erit humor impactus pungens ac ſtimulans, vt pituitoſus, ſalſus, bilioſus, aut atrabilaris aduſtus: vel erunt cibi acuti, ſalſi, viſcoſi, vel pharmacum acutum mordax, aut ſuppoſitorium acre, vel mala intemperies frigida abſque alio complexu, &c.

Loci conſentientes de cauſis tineſmi.

Paulus libro 3. cap. 41. Cauſa tineſmi eſt inflammatio in longanone facta cũ molli ac laxo tumore, quod œdema vocant, quæ ſtercoris inſidentis ſuſpicionem præbet, quod exitum quærat. Auicennas 16. tra. 1. Et cauſa Zair, id eſt, tineſmi, aut eſt apoſtema calidum aut durum, aut mollificatio lacerti, aut tenſio, ex qua lacertus impeditur ab operatione ſua, aut ſuperfluitas ſalſa, aut baurachia, aut chylus groſſus, aut cholera ingrediens, aut frigus adueniens, aut longitudo ſeſſionis ſuper durum, aut craſſities fæcis, aut eius durities, aut hæmorrhoides, aut fiſtula, aut ragadiæ, aut rugitus, aut corroſio, aut grauitas ſenſata, &c. Lege etiam Arcul. & alios, &c.

De ſignis tineſmi.

Signa quòd adſit tineſmus ſunt deſiden-

di

di cupiditas cum conatu ad excernendum, vbi primum pingue, deinde muſcoſum & cruentum egeritur. Signa inflammationis vel abſceſſus ſunt, grauitas, dolórque continuus, qui nec emiſſione ſtercoris remouetur, excrementáq; difficulter excernuntur, mollientia & anodina valde conferunt, aliis in contrarium lædentibus. Signa vlceris ſumuntur à præcedentibus rebus, vt ab humoribus vlcerantibus, ſicut in dyſenteria: aut à fluxu flauo, praſino, & nigro præcedente, aut ex abſceſſu ad vomicã deuenien-te, aut ex pharmaco exulcerante iam aſſumpto. Signa fiſtulæ & hæmorrhoidarum vel ragadiarum cognoſcentur ex his quæ ſuis in locis dicẽtur. Signa humorum ſunt, quia ſi à bile efficiatur tineſmus, cognoſcetur ex victu præcedente, bilẽ multiplicãt, & ex aliis bilẽ indicãtibus, ſicut ex punctione in recto inteſtino, ex flauis excrementis, & q̃ à calidis lædítur, &c. Si pituita, cognoſcitur à pituitoſis excrementis, à pruritu in inteſtino recto, & ab aliis pituitam indicantibus. Si ab intẽperie frigida abſq; alio cõplexu, aderit deſidendi voluntas & conatus ad excernendum, ſed nihil egreditur, à calidis deinceps iuuatur. Si à flatu incluſo, tũc indicium erit, quòd emiſſo flatu ſtatim tineſmus ceſſat, & retento augetur, &c.

Loci

Loci consentientes de signis tinesmi.

Aëtius ser. 9. cap. 43. In principio si grauis distensionis sensus circa imum ventrem fiat, & maximè circa partem dextram, conijectare oportet stercorum multitudinem in cæco intestino insitam esse, &c. Galenus nulla alia signa ponit præter quædam communia, quæ sunt desidendi cupiditas cum conatu ad excernendum, vbi primò pingue, deinde cruentum egeritur, &c. Auicennas 16. cap. 3. multa signa affert, ibi: Tinesmi autem diuisiones significant id quod egreditur, &c. Vide in hoc Razen 8. comment. & Arcul. 9. Alman.

De curatione tinesmi.

Si causa tinesmi fuerit bilis vel pituita salsa, tunc clysteriis lauatiuis indiget: sed primùm prohibeatur causa antecedēs cum diuersionibus & euacuationibus, deinde causa coniuncta remoueatur cum clystere ex aqua hordeacea, zuch. & vitellis ouorū in causa calida parato, aut in frigida, cum rhodomelle, aqua cicerum, sero caprino, &c. Quòd si ab inflammatione vel ab alio abscessu fieret tinesmus, considerandum num per viam defluxus fiat, & tunc fluxus causam euacuatione & diuersione, si opus fuerit, amputabimus. Euacuatio

fiet

fiet per sectionem venæ vel cum pharmaco leniente. Diuersio fiet cum vrinam vel sudorem prouocantibus, cum cucurbitulis, frictionibus, &c. In causa coniuncta si fuerit calida, in principio repellendum cum anodinis, vt cum oleo rosaceo, myrthino: & in causa frigida, cum oleo camomillino, anethino, syſamino. In augmento repellentibus calida resoluentia & emollientia addantur, quale est oleum liliorum alborum, adeps reuum capræ, bdellium, butyrum. Quòd si ab vlcere fiat tinesmus, tunc eductis primùm si quæ fuerint fæcibus, vlcus abstergatur cum hydromelle, vel rhodomelle: vel si putredo cogat, addatur aqua salsa, vel decoctio aluminis, quibus interdum addi potest vnguenti Aegyptiaci vncia vna: quo deinde repurgato, tunc his, quæ ad cicatricem perducunt, opus erit. Si verò fiat à fæcibus siccis, curetur cum emollientibus sæpe reiteratis. Si à mala intemperie frigida, cum calefacientibus tam in victu, quàm in medicamine exhibitis. Si ab intemperie calida, cum refrigerantibus anodinis. Si à flatu, per ea quæ flatum resoluunt. Quòd si dolor magis vrgeat, nec per anodina cessare velit, tunc vrgente necessitate ad soporifera veniendum, inter quæ laudatur suppositorium

rium de licio, filo tamen appensum, vt ad libitum possit remoueri, item anathasiæ Nicolai ℥ j. &c.

Loci consentientes de cura tinesmi.

Aëtius serm. 9. cap. 43. Si impacta fuerit stercorum multitudo in cæco intestino, tollenda erit cum emollientibus clysteribus, vt furfurum decocto, fœnugræci, melle, oleo, &c. lege eum fusiùs. Auicen. 16. tra. 2. cap. 16. Si fuerit fæx sicca, cura cum clysteribus lenitiuis. Si fuerit caliditas, indigebis eis quæ sunt cassia, fistula, & syrupus violaceus. Si fuerit causa frigus adueniens, cum potionibus & clysteribus calidis, &c. Et si fuerit causa apostema calidum, stude in retinendo id quod currit ad apostema, & curetur in principio sui cum phlebotomia, & cum minoratione cibi, &c. lege eum fusiùs: lege etiam Arcul. 9. Almans. & Marc. Catin & reliquos practicantes. Serapio, Cura tenasmonis vertitur ad causam & ad morbum. Ad causam triplex intentio: Prima, prohibitio materiæ imbibitæ in intestino. Secunda, eius resolutio. Tertia, est sedatio acuitatis materiæ, & æquatio malæ complexionis eius, &c. Razes lib. diuis. cap. 72. In fine, inquit, iuuantur habentes tenasmonem suppositione collyrij plusquam reliquis curationibus, &c.

Obser

Obſeruationes in curatione.

Areul.9.Alm.Clyſteria communiter debent eſſe paucæ quantitatis, vt decem vel duodecim vnciis:nõ enim oportet vt trãſeãt vltra inteſtinum rectum,&cum hoc meliùs retinentur. Item collyria ſint vſq; ad digitos ſeptẽ. Auic.16.tra.2.c.16. Et ſcias quòd frigus facit tenaſmum in pluribus horis.B. Quia materiam frigidam ſiue calidam impingi illic cogit.Arc.Sint omnia cibaria humida,inſipida, paucæ dulcedinis, vitentur ſicca.amara,acria,ſalſa,acetoſa,& quæcunque fæcem exiccant & exaſperant. Vide Auic.ibi,Et quum eum cibas,&c.

Inducentia ac conferentia tineſmo.

Inducunt tineſmum, colocynthis, euphorbium,ſarcocolla,ſcamonium. Conferunt tineſmo adeps porci, capræ clyſterizatus, balauſtia, bdellia, braſſica, cauda equina, colophoniæ ſuffumigiũ, fœnugræcum, ferruginis cum aceto ſuffumigium, gummi Arab.ius galli veteris,piſcium,charabe,lacaſini,litium,lini ſemen coctũ cum oleo roſ.malua,meu, eneaſma,naſturtium, myrrha cũ olibano & croco,,oleũ perſicorum,origanum,pini cortex, porrum, pſylium, ſauina, ſpica ſtoracis, ſuffumigium phlomos,therebentina, ruta,confectio de ſtorace Meſ.electuarium nigrum Haly 16.

ant

ant. Micleta Auicen. 4. 5. Troc. de Almezereon, de balaustij Auic. 8. quinti, &c.

De prognosticis tinesmi.

Razes 8. commen. Tinesmus plurimum fit post dysenteriam, & quod non fit post dysenteriam est leuioris curæ: idem adserit. Auic. dicens: Facilius est id quod nõ succedit dysenteriæ. Hipp. aph. 1. ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ τενεσμὸς ἐγγενόμενος ἔκτρωσιν ποιέει. id est, Mulierem in vtero habentem tinesmus innatus abortire facit, qui aphor. tantũ in translatione Constantini inuenitur, nulla nec à Theodoro, nec à Leoniceno facta mẽtione. Auic. 16. tract. 1. cap. 2. Et singultus quum actidit habentibus fluxum ventris, & propriè habentibus tinesmum, est significatio mala, significans siccitatem facientem are factionem, &c.

De doloribus in genere.

Altius nũc exordiar de doloribus in genere aliquid demonstrans: deinde ad morbum colicum me conferam. Dolor est tristis sensatio à subita ac violẽta mutatione facta, & tantũmodò ad tactũ, & non ad aliũ sensum. Dolorum igitur differẽtię sumuntur à loco, vt si dolor sit in omnibus intestinis, vel in eorum parte. Si verò sit in omnibus tunc erit vel cũ motu, vel cũ quiete. Si cum motu, erit tertiò: si cum quiete,

vocabitur nomine generis, dolor. At si sit in parte, vel erit remissus, & vocatur ab Auicen. punctio, vel intensus, & in crassis intestinis, & erit colica dispositio. Si in gracilibus, erit ileus siue voluolus. Rursus dolorum species sunt sex, scilicet punctoria, grauis, stimulans, extensiua, pulsatilis, & vlcerosa Punctorius dolor circa membranas potissimùm consistit. Grauis circa hepar, lien, renes. Stimulans circa partem ossibus vicinam, & in cute fieri potest. Extensiuus pertinet ad partes, quibus nullæ sunt arteriæ, vt membranæ, cutis, adenes, quibus nullæ insunt arteriæ: nam inflammatæ extensiuo tantùm dolore vexantur. Pulsatilis circa ipsas arterias vel in partibus ipsas continentibus, & in inflammationibus consistit. Vlcerosus non solùm ad cutem sed ad imas quoque partes velut ad ossa extenditur.

Causæ horum sunt, quia punctorius, vlcerosus & stimulans fiunt à bilioso vel pituitoso humore salso, aut à corrupto sanguine, aut à vermibus suis aculeis pungentibus, aut à quopiã vlcere. Grauis vero extensiuus ac pulsatorius à materia pituitosa, crassa, vel ab atra bile grauante & extendente, vel à flatu incluso, aut à copia alicuius materiæ extendentis, &c.

Loci

Loci consentientes de doloribus in genere.

De diff. doloris lege Gal. 12. meth. cap. 7. Item de elementis primo. Itẽ in lib. de placitis Hippoc. & Platonis. Quod ad sensum pertineat, lege Gal. in lib. de cõst. art. med. cap. 8. Item de inæquali intemperie cap. 3. Item 3. de sympt. diff. cap. 3. De diff. dolorum Auic. Arcul. & plerosque alios practicantes. De speciebus dolorum, lege Gal. 2. de loc. aff. cap. 3. 7. & 8. vbi loquitur de morbo colico.

De dolore colico.

Morbus intestini plenioris, quem Græci colicon vocant, nihil aliud est quàm dolor satis intensus in intestinis crassis, maximéque in colo vocato, cum quo ea quæ à natura ad inferiora expelluntur, difficulter exeunt, vt sunt humores, excrementa, vermes, flatus.

Loci consentientes de dolore colico.

Gal. lib. finit. med. Colica dispositio est cõstitutio plenioris intestini diuturna, in qua spatiis temporis interiectis cruciatus intolerabiles, difficultates spirandi, sudores, perfrictionésque adoriuntur. Auicen. 16. Tract. 3. cap. 6. Colica est passio integra, intestinalis, dolorosa, cum qua

sit difficilis exitus eius quod egreditur per naturam, &c.

De causis doloris.

Causæ vel per se, vel per cõsensum fiunt. Per se binæ sunt, altera mala intemperie cal. frig. sicca non autem humida, quum per se dolorem non efficiat: altera à soluta continuitate. Intemperies calida duplicíter colicam efficit, vel nimis calefaciendo, vel nimis resoluendo & fæces exiccando. frigida vel obstruendo, vel facultatem expulsoriam imbecillem reddendo. Soluta continuitas fit ab incisione, exesione, fractione, tensione, & tunc vel ab humore acri, vel multo, vel flatu, vermibus & abscessu. Causæ per consensum fiunt vel à ventriculo humores vel flatus aggregante, vel ab hepate, vel liene, materias ad intestina expellente, vel à renibus lapidem patientibus, vel à vesica, aut vtero abscessum patiente, aut à toto, sicut in febribus, quum ex venis ad intestina humores extruduntur, &c.

Loci consentientes de causis doloris colici.

Gal. 12. meth. cap. 7. Porrò naturalis notitia nos docet, vitiũ id corporis ex quo fit dolor turũ aut cõtinuitatis diuisionem esse, aut alteratione aliquam. Primũ illud *spe-*

culab

culabimur, cuiusnam naturæ esse debeat, quod continuitatē soluit: necesse igitur est quod sit vel ructio, vel contusio, vel erosio, &c. Et in art. med. cap. de sig. Thorac. Dolor quencunque obsederit locum aut continuitatis solutionem, aut subitam alterationem ostendit, soluitur cōtinuitas incisione, exesione, fractione, tensione: alteratur substantia à caliditate, frigiditate, &c. lege etiam Gal. 2. de loc. aff. c. 5. Paul. lib. 3. cap. 47. Dolores grauissimi fiunt plures ob causas: vel enim à crasso & pituitoso humore intra venas subsidente, vel à spiritu crassiori, flatuosóq; exitū non habente, aut ab intestini inflāmatione, vel ab vlceribus ac mordacibus succis infestantibus, &c. Lege de his Galen. 4. de loc. aff. cap. 7. ibi, Plures sunt dispositiones, quas per vehemētes mōtus dolor comitatur, &c. Et Auic. 16. tra. 3. cap. 8. quas causas etiā enumerat, & multi- facit obstructionem, ex qua fieri colicam asserit. Vide illum fusius. Vide etiam de causis spiritus flatuosi. Gale. 12. meth. cap. vlt. vbi à duplici causa fieri inquit, &c. flatus Cp 14. met. 7.

De signis doloris colici.

Indicia incipientis colicæ sunt, quia primū minimū quid excernitur, cōsuetudóq; excernendi variatur, appetitus minuitur: quū verò ad incrementum tendit, dolores

crescũt, aluus siccior euadit, ita vt flatus ne quidem egredi possit. Vigiliæ sitísque multiplicantur, & si quid excernitur, simile bubulo stercori cernitur: quum verò ad salutem tendit, excrementa ac flatus exire incipiũt, dolor de loco ad locũ mutatur, nec adeò frequens est, sed per enæmata remittitur. Si verò ad mortẽ tendat, dolor est intensissimus, non minuitur, non remittitur, nil excernitur, vomitus ad vomitum succedit, sudor frigidus apparet, &c. Signa distinguentia colicam à nephrit. sumuntur à quantitate, à loco, à motu, ab exeuntibus, à causis præcedentibus, à quãtitate: quoniã nephriticus dolor paruũ occupat spacium, colicus quàm maximum: nam totum ventrem & stomachũ obtinet. A loco, quoniã nephriticus in renibus, colicus paulò altiori loco continetur. A motu, quoniam colicus ad plures partes mouetur, nephriticus fixus ac immobilis permanet. Ab exeuntibus, quoniam in colico fæces retinentur, sed non in nephritico, verùm arenosa materia in vrinis apparet. A causis præcedentibus, quia in colico deiicitur appetitus, nausea & vomitus fiunt grauiores, sed in nephritico non ita, sed præcessit vrina arenosa vel crassa. Signa interstinguentia colicum à dolore vteri sunt, quia ad inferiora,

ra, velut ad pubē & coxas dolor vteri, sed colicus ad superiora magis tendit, item in dolore vteri præcesserunt mensiū suppressiones,& si aluus leniatur, ac fęces educantur, nō cessat: at colicus habita sede placatur. Item in dolore vteri mulieres suffocari videntur ex vaporibus eleuatis, quod colicæ non accidit,&c. Signa humorū colicæ sumuntur ab ætate, regione, tempore, victu præcedente & similibus Signa pituitosæ colicæ habentur,si victus pituitam generās,si senilis vel puerilis ætas,si hyems, si regio frigida & humida præcesserunt, si satietas, cruditas, ocium, si adsit grauitas, si obtusus dolor, si longioris moræ absque dubio colicā pituitosam esse cōiicies.Caue tamen ne interdum ex siti & inflammatione & vrina rubea decipiaris, tanquam colicam calidā putās, vt inquit Auic. quoniam illud commune est omnibus colicis.Signa flatuosæ colicæ sunt, quia præcesserūt causæ flatus,sicut potus aquæ frigidæ,holera, fructus,ructus, extensio, nulla adest grauitas sicut in pituitosa. Interdum etiam inflatio manu percipitur, nec egredientibus humoribus dolor mitescit, eò quòd in tunicis crassus flatus retinetur. Signa colicæ ab inflāmatione sunt,tumor, durities tēsiua,dolor cōtinuus extendēs,grauis perma-

nans ac pulsans, febris acuta, sitis, vigilia, & interdum vrinæ retentio: similiter cum stercore ob absceſſum vias comprimente.

Loci consentientes de signis doloris colici.

Gal.2.de loc.aff.cap.5. Protinus affecto colo inflatio quædam & extensio, & flatus complures, & tormina, & excrementa flatibus plena videbuntur, quæ stercori bubulo similentur: quinetiã cibi tum cupiditas, tum concoctio deterior euadit, &c. Lege Auic.16. tract.3.cap.7. vbi de signis colicæ absolutæ agit, & inuenies quæcũque à me sub breuitate enarrata sunt .Lege etiã Razen in 9.almanſ.cap. de doloribus ventris, & ibi etiam Arcul.Gal.6.de loc.aff. cap. 1. & 2. ponit signa interstinguentia colicum à nephritico,ibi, Primùm vomitus & nauſea vrgent, ſed grauiores, & magis assidui dolente colo,&c. Lege etiam Auic.16. tract. 3. cap.10. Paul. lib.3. cap. 43. Qui ex humore pituitoſo laborant per totum abdomen, ac ſi perrunderetur colon, in aluo excruciantur,adſunt tormina, ructus, nauſea, vomitus potiſſimùm pituitæ,aluus retinetur: præceſſit continuus ciborum frigidorum craſsíque ſucci vſus,ſatietas, cruditas,ocium,&c.Lege Auic.16.tract.3. cap. 11.ibi, Quãdoq; ſignificat colicã phlegma

antec

anteceſſio cauſarum phlegmatis ex ſatietate nauſeatiua, & ex ſpeciebus ciborum, & ætas,& regio,& hora &c.Lege Gale. 12. meth. cap. vlt.nam multa indicia declarat, dum curam aggreditur.

De cura doloris colici.

Omnis dolor in genere curam admittit duę liciter:primò remouendo eius cauſam, qua ablata dolor euaneſcit, ſed quia in ablatione cauſæ plura requiruntur,vt ſunt humorum præparatio, reuulſio, reſolutio, & euacuatio, quæ moram ad lõgum tempus trahunt, idcirco alia inſurgit curandi intentio,quæ eſt doloris remotio cum anodinis ex caliditate ac humiditate temperata conſtantibus,ex quibus plerunq; mala intẽperies illius mẽbri aufertur, quibus etiã non proficiẽtibus tertia medẽdi intẽtio oritur,quæ dolorẽ cũ narcoticis mẽbra ſtupefaciẽdo remouet,aliis præſertim nõ iuuantibus.Si igitur inducias dederit dolor, ab ablatione cauſæ incipiemus: ſi minus, ſed intẽſiſſimè,ęgrũ cruciet,cũ ſecũda intẽtione procedemus,ſcilicet cũ anodinis dolorẽ mitigãtibus, quæ tũ intrinſecus tũ extrinſecus applicari poſſunt: in quorũ numero laudantur enęmata anodina & lenitiua,ſicut ex decocto camomillæ,anethi, mellilo ti,ſemine lini,fœnugræci,maluę,althea cũ

vncia cassię extractę,& tantundem zucha-
ri cũ oleo de semine lini,butyro,&c. Cõue
niunt etiã iura pinguia cũ croco, aqua de-
coctionis camomillę,&c Extrinsecus con-
ueniũt inũctiones,cataplasmata,fotus,bal-
nea, quæ parari possunt ex oleis camomil-
læ,anethi, &c. cataplasmata ex rebus ano-
dinis, &c. quę omnia nisi contuleriut, ad
narcotica transeundum,inter quę debilior
est egethea,quę stupefacit & resoluit, parũ
validior athanasia, valentius est philoniũ.
A proprietate curant colicam, stercus lupi,
ossa mespilorum, castoreũ, lumbrici terre-
stres puluerizati. Cura colicæ pituitosæ
quinq; intentiones requirit:prima est ven
tris lenitio, secunda est humorũ digestio,
tertia est euacuatio, quarta residui resolu-
tio ac mẽbrorũ roboratio,quę intentiones
non solùm in pituitosa, sed etiã in bilioſa
& melancholica cõducãt. Vẽtris igitur le-
nitio perficitur per leniẽtia,qualia sunt cly
steria cum cassia,zu. haro,hiera simpl. &c.
Digestio fieri potest cum syru. de duabus
rad. bisantino, oximeile simpl. & rhodo-
melle, modò materia sit viscosa ac crassa.
Euacuatio perficitur cum hiera simpl.cum
diaphinicone, &c. Et nota quòd materia
in viis ductuum existens, absque alia prę-
paratione euacuari debet, iuxta duo car-
mina

mina à Iacobo Foroiulienſi poſita, quæ ſunt,

Synocha cum colica phreneſi ſquinantis & anthrax,

Materias crudas euacuare iubent.

Reſolutio reſidui fit cum oleis rutæ, liliorum alborum, camomillæ, in quibus concocta ſint cyminum, fœniculum, abrotanum, pulegium, aniſum, &c. vel fiat cũ electuariis calidis, vt cum diamuſco, electuario de baccis lauri, aromatico roſ. diagalãga, diacymino, &c. Cibaria ſint in colica lenientia ac roborantia ob appetitus imbecillitatẽ, ſintque calidiora & ſiccciora in frigidis doloribus, qualia ſunt porra & allia: ſed ab initio morbi ieiunare oportet: in ſequentibus diebus cibaria ſint boni ſucci, vitenturcruditas & ſatietas. In doloribus à materia acri, victus ſit humidior & frigidior, vitentur acria tam in cibo quã in potu, vitentur etiam in genere omnia holera, legumina, graueolentia, &c. Cõueniunt aqua carnis, vitelli ouorum, medulla panis in vino, caricæ & paſſulæ, &c. Cura fæcum ſiccarum perficitur cum lubricantibus ac mollientibus, vt cum clyſteribus ex camomilla, anetho, althea, violis, fœnugræco, cum oleo amygd. dulcium, butyro, & c. vel cũ iure galli, in quo coquantur tamarindi,

ſebeſt

sebestẽ,&c. Cura inflammationis in colica est, vt primùm sanguis mittatur à vena cubiti:secundò considerandum,nũ inflammatio ad suppurationem vel ad resolutionem tendat.Si ad resolutionem,in primis repercutientia in incremento,resoluentia cũ repercussiuis & mollientibus,in flatu,discutientia cũ mollientibus cõueniũt.Si ad suppurationem, tunc suppuratio adiuuanda, deinde ad vomitum irritanda. Quæ rupta abstergentibus primò, & lenientibus,deinde conglutinatione indiget.

Cura flatuosæ colicæ consistit tantùm in resoluentibus flatum, qui si habeat materiam fouentem, frigidam, obstruentem, primò abstergentibus lenientibúsque clysteriis,deinde incidentibus ac attenuantibus :& de obstruentibus indiget, quibus peractis educatur materia fouens , deinde resoluatur flatus.

Loci consentientes de cura doloris colici.

De cura in genere lege Arcul. & Marc. Cat. de cura pituitosæ colicæ lege Galen. 12.meth.cap.8.ibi, Dolores igitur,quos humor crassus excitauit, &c.Et de cura biliosæ, ibi, Sin mordens humor sit qui affligit,&c.Et de cura ex inflammatione facta, ibi in eodem loco, Si sanguinis abundan-

tia

tia sit,quòd distendat, veluti in phlegmone fierit solet, protinus vbi vires ægri valentes fuerint, sanguis mittendus est, &c. Et de cura flatuosæ etiam mentionẽ facit, ibi,Pari ratione qui ex flatuoso spiritu, &c. Auic.16.tra.4.capi.2. etiam curã habet ibi, Curatio vera est incisio causæ, &c. Lege Paul.& Aet. fusius de hac re.De cibariis loquitur Auic.16.tra.4.capi.28.& 27.ibi,Colici indigent cibo leniente & roborãte ob imbecillitatem appetitus,&c. Lege etiam Paul.lib.3.capit.43.ibi, In doloribus frigidis victus sit calidior & siccior, & per initia morbi àcibo abstinendum:deinde acria assumantur,vt porra & allia, in sequẽtibus sint boni succi, concoctu facilia, &c. lege Aet.ser.9.cap.30.particularem de victu mẽtionem facientem. Lege etiam Razem in diuis.ibi,Quum sedatur dolor,&c.

Obseruationes in victu.

Auic.16.tra.4.capi.1.In regimine colicæ interdicatur repletio, & si qua sit,per vomitum expellatur, item sitis toleretur, aut si abstinere nequeat,bibat parum,&c.

Obseruationes in curatione.

Marc.Cat.Oportet aduertere ne differatur cura colicæ, quia est dolor intentissimus,citò virtutem prosternens,&c.

Obser

Obseruationes de soluentibus pharmacis.

Auic.loc.cit. Cauendum ne in principio pharmacum valde solutiuum exhibeatur: nam humores & schibalæ sunt plures, & fortè penetrare non possunt, sed incipiendũ à lenientibus ac lubricantibus, &c. 2. In tribus casibus medicamenta valde soluentia exhiberi debent. Primus, si materia antecedens in coniunctam causam transeat, vt si à venis ad intestina. Secundus, si humores adeò crassi existant, qui nec clysteriis, vel leui pharmaco educi possint. Tertius, si vsque adeò vehemens sit obstructio, vt nullo pacto per prædicta aperiri possit: item nullo modo hierę addatur agaricus, nam facit eam retineri & profundari, &c.

Obseruationes in clysteribus.

Auice.loc.cit. Debemus esse contenti de clysteribus, quoniam à longinquis partibus non attrahunt, nec humores commouent, nec febrem excitant, sicut pharmaca solutiua: prætereà clysteres absque nocumento reiterari possunt. 2. Si clysteres acuti non soluunt, supersedendum donec concocta sit materia: quandoque enim hepati, cordi & capiti sua acredine nocent. 3. Non fiant clysteres, si quid crudi fuerit in vẽtriculo, ne ad inferiora trahatur; & hoc aduer

te-

te propter eos, qui in omni colica & in omnibus horis enæmata imponī iubent. Mar. Cat. Si in inteſtinis cauſetur excoriatio, nō debemus fortia & acuta clyſteria adminiſtrare, ſed loco eorū lauatiua, & dolorem ſedantia. 2. Quòd æger ſe taliter debet ſituare, vt clyſteria declinent ad locum doloris. 3. Quòd reiteranda ſunt pluries. 4. Quòd ſuppoſitoria debent eſſe longa ad menſuram ſeptem digitorum, vt virtus eorum poſſit longius communicari, &c.

Obſeruationes de narcoticis.

Marc. Catin. Non debemus narcotica à principio approximare, ſed quādo alia non ſufficiunt: quia ex his materia infrigidatur ac incraſſatur, ſi fuerit frigida, ſi oppilatiua, magis oppilabitur, ſi ventoſitas, magis incraſſabitur. Hoc idē ſenſit Gale. 12. meth. capi. 8. ibi, Cauendus eſt magnopere in affectibus qui à craſſis & glutinoſis humoribus fiunt, &c. Item dixit quòd extrinſecus hæc adhibentur, & ſi intrinſecus præbeantur, ſint bene rectificata, &c.

Obſeruationes de balneis & fomentis.

Auic. 16. tra. 4. cap. 1. Cauendum ne caput vapores balneorum & fomentationū ſuſcipiat, & hoc cū frigidis applicitis. Mar. Cat. Non debemus vti fortibus calefactiuis, neque

neque fortibus resoluentibus, vbi stet repletio materierum: nam augent dolorem, & materias crassas subtiliant, & in ventositatem conuertũt, nec competit remedium de allio à Gale. 7. meth. cap. 15. descriptum, nisi sit minorata materia.

Nocentia & conferentia dolori colico.

Inducunt colicam aqua aluminosa, capita animalium, caseus, vsus citri, citonia pontica, cucurbita, faba, fungi, granatũ syluestre, lac omne, melones, menta, hordeũ, pyra, tubera, &c. Conferunt ad colicã amygdalę amaræ & dulces, apium, betonica, calamentum, chamæleonta, cartamus, catapotia, cassia, fistula, centaurea, colocynthis, enula, esula, euphorbium, galanga, galerita, auis carduelis, gith, ius galli decrepiti, hyosciamus, laurus, limaciæ, matricatia, myrobalani, chebuli, nasturtium, ozimum, cyclamen, polypodium, radix piperis, ruta, sagapenum, sisamũs, stercus canis, capræ, columbi, lupi, porci, vrtica, aqua mellis ferrea, diaphinicon, electuarium de baccis lauri, diaprasium Nic. diacitoniten laxatiuum diaciminũ, electuarium indum, elescoph, phylonium Rom. oleum de cartha. no, laurinum, rutaceum, de piperibus, nardinum, liliorum, pilulæ iliacæ almans. fœtidæ maiores

iores Mes. sagenea Auic. theodoricon magnum Auic. theriaca magna, troc. de violis, troc. de epithimo.

De prognostitis doloris colici.

Hippoc. prognost. 2. capi. 13. Dolores qui cum febre affligunt circa lumbos & inferas sedes, si præcordia attigerint, inferas sedes relinquentes, exitiales admodũ sunt: sed considerandа sunt alia signa: nã si quod horũ prauum fuerit, desperandus est æger. B. Intellige de his quæ symptomaticè mouentur ab vna parte ad aliã. Hippoc. apho. 1. apho. 6. Quicunque dolẽtes parte aliqua corporis dolorem non sentiunt, iis mens ægrotat. B. Id est, quicunque dolet, & doloris qualitatem non sentit, hic sensu ægrotat: non refert si sensum vel γνόμην, vel animam dixeris. Et aphor. 6. aphor 7. Dolores ventris sublimes, leuiores: qui verò non sublimes, fortiores. B. Nota non secundum corporis longitudinem intelligi Hippoc. sed secundum profunditatem, id est, nõ secũdum infimã & supremam corporis partem, sed secundum exteriorem & interiorem, &c. Et aphor. 6. apho. 40. Quibus dolor circa præcordia fit absque inflammatione, iis febris superueniens morbum soluit. Et aphor. 7. aphor. 26. In forti dolore vẽtris

partium extremarum frigiditas, malum.B. Frigiditas fit vel ab inflammatione, vel ob caloris innati defectum (deficit calor vel quia extinguitur, vel quia à multitudine suffocatur) vel ob dolorem vehementē medias corporis partes occupantem, ad quem natura contracta cū sanguine partes extremas tanquā exangues relinquit. Et apho.7. apho.22. A ventris dolore diuturno suppuratio. Et aphor.4 aphor.11. Quibus tormina & circa vmbilicū labores & lumborū dolor, qui neque medicamento, neque aliter soluitur, in aquā intercutem siccam firmatur siue ἰσχύτης. Galen.12.meth.cap.vlt. Colica quæ à siccitate contingit, insanabilis est: cuius rationem posteà ipse reddit: lege eum. Auic.16.tra3.capit.8.& 9. Si colica erit in columis retentio, non erit vehemēs, & dolor mutabitur, & patiens in administratione clysteriorum ob exitum flatus & excrementi quietem inueniet. Si verò fuerit mortalis, aderunt fortitudo doloris, vomitus ad vomitum, sudor frigidus, extremitatū frigus, rationis turbatio, spasmus & retentio excrementorum: & si vestigium nigrū, vel bothor apparuerint, postridie moriuntur, &c.

De ileos.

Ileos, qnem Latini voluulum vocant, est

, tenui

tenuium inteſtinorum dolor vehementiſſimus, cùm quo excrementorum per ſeceſſum difficilis fit exitus, &c.

Loci conſentientes de ileos.

Gal. aph. 6. com. 44. Ileos eſt inteſtinorũ tenuium paſſio, in qua ob intercluſam inferiorem viam nulla excrementa inferius excernuntur. Aet. ſer. 9. Voluulus eſt inteſtinorum affectio lethalem dolorem inferẽs. Gal. 6. de loc. aff. ca. 1. Hunc ileon, id eſt, voluulum vocant, nonnulli etiam chordapſon; quum ſcilicet tumor aliquis eminet in tenuiũ inteſtinorũ parte, vt videatur inteſtinum chordarũ ſimilitudine conuolutum. B. Chordapſon ab Aet. exponitur inteſtinorum emollitio, quę fieri dicitur, quoties admota manu durities tractui ſuccumbit: ſed quoniam emollitio, ſi durities adſit, intelligere nequeo, Galeni expoſitio mihi magis placet. Vocatur etiam hic morbus à Celſo chordios.

De cauſa ileos.

Cauſa ileos eſt inteſtinorum vel obſtructio, vel retentricis facultatis fortitudo & attractricis, vel potio frigida, vel inteſtinorum deſcenſus in ſcrotum. Obſtructio deinde fit vel ab inflammatione, vel à tumore duro, vel ab alio quopiam abſceſſu, vel ab excrementis ſiccis, vel ab alia inteſtino

rum compressione facta, aut à veneni cuiuspiam potione, &c.

Loci consentientes de causis ileos.

Gal.apho.6.cõment.44. Visum est antiquioribus medicis, vel ab inflationibus, vel ab aridi stercoris obstructione huiuscemodi tenuiũ intestinorũ affectus oriri. Itidem ait 6.de loc.aff.cap.1. Vide etiam Gale.6.de sympt.cau.ca.2.ibi. Fit etiã ab humoribus præter naturam adeò intestina obstipantibus, &c. Paul.lib.3.cap.44.& Aet.ser.9.cap. 28. Fieri voluulum dicunt intestinis vnà cũ stercore in scrotum descendentibus: itẽ ex plagis quibusdam, ex frigore vehementi, & ex aceruata frigidæ potione. Auic. 16.tr. 4.cap.29. Et quandoque accidit propter potionem venenorum facientiũ ileos. Interdum fit ex fortitudine virtutis retentricis, nam gracilia intestina ob suam gracilitatem magis ad retinendũ sunt parata, quàm crassa. Vide Gal.6.de sympto.cau.cap.2 ibi, Quẽadmodum stercus per lethales voluulos, &c. Et Auic.loc. cit. vult quòd ileos ab hisdẽmet causis fiat, ac dictum est in colica. Haly Abbas lib.9. ca.de col. enumerat primùm apostema calidum, obstructionem ex fimo siccó vel ex humore crasso, rupturam abdominis, priuationem ciborum, & potum

tum lethiferi medicamenti,&c.

De signis ilei.

Signa ilei sunt dolor supra vmbilicũ, nihil ex fæcibus ad inferiora descẽdit: Vomitus interdum fæcum, humorum & vermiũ: ructus inanes, fœtor oris & totius corporis, sequũtur etiã mala symptomata, qualis est tremor cordis, vigiliæ, animi defectus, frigus extremarũ partiũ, sudor frigidus, vrinæ difficultas. Signa veneni, sunt imbecillitas virium, mollificatio & tremor cordis, nec ab alia causa ista fiunt. Signa inflãmationis sunt dolor, duricies fæcis, tumor, febris, &c. Signa interstinguéria ileum à colicá sunt. 1. dolor vehementior quàm in colica. 2. locus ilei supremã vmbilici partem occupat, colici infimam. 3. ileus magis tendit ad vomitum quàm colica, quũ sit stomacho propinquior. Ileus non iuuatur à clysteribus & suppositoriis, sicut colica. 5. In ileo maiora sunt & grauiora symptomata, quã in colica, sicuti syncopis, tristitia, &c.

Loci consentientes de signis ilei.

Gal. aph. 7. com. 10. Primùm nihil in ileis ad inferiora descẽdit, & hoc est proprium & inseparabile indicium: vomitus nõ semper adest, nisi quando exitiales sunt, si vehementius distorqueantur, ascendit eis ster-

cus & singultiunt,quidam desipiunt & cõuelluutur cõpatiente neruorum principio passioni ventriculi. Et 6.de loc.aff.ca.1.Dolores vehementissimi in sublimioribus intestinotũ partibus eueniũt grauiter vomitionibus cruciantes,&c.Aet.ser.9.ca 28. In principio adest dolor circunuolutus, vẽtriculi humiditas multa,exolutio,ructus inanes & nihil alleuiantes, murmura intestinorum,stercoris & flatus perfecta cohibitio:in vigore morbi,omnia sursum feruntur, adest vomitus bilis & pituitæ, totius corporis frigiditas,spirandi difficultas, &c. De signis distinguentibus inter colicam & ileum lege Auic.16.tra.4.capit.30.ibi, Amplius signa distinctionum colicę cũ signis ileos sumuntur &c,Lege etiã de signis apostematum,ibi,Et factũ ex apostemate, &c. Et nota hîc in Auic. quod dicit, Et illic febris non erit,& tamen Galen.apho.6.comment.44.inquit,Quanto maior ac grauior euadit,tanto maiorem febrem effici contingit,&c.

De curatione ileos.

Cura perficitur,vt dictũ est in colica, per quatuor intentiones.Prima cum regimine vitæ. 2. cum eius causæ ablatione. 3. cum euacuatione.4.cum resolutione & roboratione. Victus igitur sit tenuior quàm qui dict

dictus est in colica, sitque boni succi, &c. Ablatio causæ ita erit, vt si venenum sit, dãda erit opera vt vomitus prouocetur propinato calẽte oleo, vel aliquo iure pingui, demum theriaca exhibeatur, vel quidpiam aliud, prout species veneni magis requirit. Si verò in causa fuerit obstructio, procedatur tunc cum dissecantibus ac attenuantibus pharmacis, deinde purgante pharmaco aluus soluatur. Si fuerit inflammatio, eadem erit cura ac dictum est in colica. Si causa sit descensus intestinorum in scrotũ, tunc intestina ad suum locum compellantur, & resupinato patiente fascia constringatur. Interim sectione venæ opus est, tum ob venarum meseraicarum copiam, tum ob vehementissimum dolorem: cætera fiãt ac dictum est suprà.

Loci consentientes de cura ilei.

De prima intentione loquitur Aet. ser. 9. cap. 28. ibi, Cibi sint boni succi, &c. De secunda intẽtione loquitur Paul. lib. 3. ca 44. ibi, Qui veneni causa ileon patiũtur, compellendi sunt vt aquæ calidæ potu euomãt, deinde oleo calente propinato, vel iure aliquo pingui, deinde interpositis aliquibus diebus theriaca exhibeatur. Quòd si obstructio discutiatur purgante aliquo pharmaco, aluum inanire cõfert. Si ex intestini

in ſcrotum deſcenſu ileus accidat, in inguina inteſtinum compelletur, & faſcia ſupinato patiente ligabitur. Auic. 16. tract. 4. ca. 31. tria notat: primùm quòd ileos eſt colica fortior, idcirco in cura properandum, iuxta illud Hippo. Extremis morbis extrema ſunt opportuna remedia. 2. quòd id quod bibitur magis iuuat in ileo, quàm in colica: nec multùm referre, an à bibitis vel à ſuppoſitis inchoetur. 3. quòd in ileo magis ſectio venæ conuenit quàm in colica, &c.

Nocentia ac conferentia ileo.

Inducunt ileon argentum viuum & caro porcina. Conferunt ileo abſinthium, acorus, agaricus, allium, betonica, chamedrys, chamæpitys, camomilla, centaurea, cyperus, eupatorium, paſtinaca, ruta, ſauiba, ſtechas, turbit. Compoſita ſunt, vng. alabaſtri, aragon, aureum vng. Nic. vng. laxatiuum Nic. martiaton Nic. oleum lilii bibitũ, oleum de cherua, confectio phar. Auic. 1. lib 5. confectio Hermetis Auic. diacitoniten Nic. electuarium ducis Nic. phylonium catarcticum imperiale Nic. ſtomaticum calidum Nic. theriaca magna, pilulæ ſine quibus & fœtidæ, &c.

De prognoſticis ilei.

Hippoc. aphor. 6. aphor. 44. Quibus ex ſtillicidio vrinæ ileos ſuperuenerit, in ſeptem

ptem diebus pereunt, nisi febre superueniente satis vrina fluxerit. B. Quoniã adulterinum ac spurium vocauit aphor. Gal. idcirco damnatur ab Auic. eo quòd causam aphor. ignoraret, quasi id nõ legerit Auic. quod in fine commenti inquit Galen. quòd scilicet si veritatem debet habere aphor. oportet multitudinem humorum crudorũ vnà cum multa frigiditate causa arbitrari, quam febris superueniens liquefaciat ac dissoluat, & per viam vrinæ dissolutam natura emittat, &c. Et aphor. 7. aphor. 10. Ab ileo vomitus, singultus, desipientia vel conuulsio, malum. B. Quia intestina cogũtur tandem ex se cum molestia contra naturam vidẽtis materiam molestantem extrudere, vnde singultus, vomitus, &c. proueniunt. Aet. ser. 9 cap. 28. Familiaris ileos est puerulis, sed naturalis beneficio humiditatis euadunt: senibus verò si accidit, nũ quã conualescunt, in chordoso vocato subitum instat periculum, vt plerunque 3. vel 4. horã non excedat. In inflammatione verò si suppuratio vel longa mora contingat, periculo non vacat, quanquam sint ex eis qui seruati sint. Auic. 16. cap. 29. Et deterior ileos est, in quo expellitur per superiora stercus, deinde in quo est sudor fœtidus habens fœtorem stercoris: deinde in quo est

anhelitus fœtidus & eructatio fœtida, &c.

Authores dissentientes circa ileon & colicam.

1 Adserere in colicæ principio conuenire narcotica.

2 Adserere, theriacam nouam esse venenosam, & non esse exhibendam.

3 Adserere, cum Auic. ileon posse generari ex stranguria.

4 Adserere, ileon curari non posse per fluxum vrinæ, mediante febre.

Confutatio dissentientium circa colicam & ileon.

Ad primum respondet Conciliator differentia 204. per plures differẽtias. Prima, sumitur à morbo vel ab accidente, vel à virium robore: vnde nisi symptoma superet morbum stante virium robore, quòd nullo modo conueniunt. 2. diff. sumitur à causa morbi, vel à cõplexione morbi: vnde permanente virium robore, & causa existente frigida cum dolore remisso, non conueniunt narcotica, sed adhibenda sunt anodina: verùm si symptoma esset vehementissimum, & causa esset calida, vbi esset timor de casu virtutis, tunc posset sed magna cum cautela exhiberi.

Ad secundum, Gal 5. meth. cap 13. Mulieri cùm dormitura esset dedi theriacã quatuor

tuor menſes antè confectam: habet enim id ætatis adhuc prævalentē papaueris ſuccum, qui in antiquatis ignauus redditur: igitur non eſt venenoſa,& poteſt exhiberi.

Ad 3.Gale.aphor.6.comment 44. Aiunt enim quòd vesica inflammata anguſtia loci facta ex compreſſione in inteſtinis paſſionem affert,quę ileos nominatur.Ego verò multos me puto in tota vidiſſe vita,non nullos tantum periclitantes, non paucos etiam mortuos, nō potētes mingere, quorum nullus factus eſt ileoſus: & ſic tenet quòd ileos non generetur ex ſtranguria.

Ad quartum, reſpondetur per id quod dictum eſt ex Gal.in eodem aphor. ſuprà cōtra Auic. ibi,Multitudinem humorum,&c.

De renum & veſicæ calculo.

Morbus calculoſus, qui à Græcis dicitur, eſt lapidis generatio ex humoribus viſcidis & immenſo calore orta, in qua vrinæ excretio retinetur. Id tamen notum eſt, quod plerique medici atteſtati ſunt, quòd non ſolùm in veſica & renibus,ſed & in colo,pulmone,fellis folliculo,iuncturis, ſtomacho & inguinibus lapides oriantur: vnde lapides inter ſe differunt magnitudine,duritie,aſperitate,colore, numero,loco & materia agente, de quibus ſatis copioſè infrà mentionem faciemus.

Loci

Loci consentientes de renum & vesicæ calculo.

Galen. lib. finit. Med Lithiasis, id est, calcularis morbus, est calculi generatio in renibus & vesica, ex qua vrinę excretio prohibetur. Quòd calculi in partibus enumeratis gignentur, lege Galen. 6. de loc. cap. 1. ibi, Nonnulli à fortì excernendi conatu, &c. Et 4. de loc. aff. capitu. vlt. ibi, Quidam diuturna tussi vexatus frustum quoddam paruo grandinis grano, &c. Deinde se vidisse lapidem in fellis folliculo attestatur Gentilis, & in iuncturis & stomacho quidam Gilbertus, & in inguinibus Arcul. Aet. ser. 2. capit. 4. Consistunt lapides in renibus iuxta ipsorum ventriculos aut parui aut maiores, interdum plures & pauciores magnitudine, forma, calore, asperitate, & multitudine inter se differentes, &c.

De causis renum & vesicæ calculorum.

Causę initiatrices sunt cibus potúsque crassus ac viscidus : causæ coniunctæ sunt binæ, quarum altera erit materialis, altera efficiens. Materialis à crasso terreóque humore conficitur. Efficiens est ignea renum aut vesicæ caliditas, quæ tum naturalis, tum aduentitia esse potest, vt quæ ab aliqua re calida renibus adnata proueniat.

Causæ

Causæ verò humores in renibus tardantes erunt, vel expultricis imbecillitas, vel obstructio, quæ tum attenuatoria à superflua ac viscosa materia, tum carnosa ab aliqua carne innata vel ab apostemate prouenit, &c.

Loci de causis renum & vesicæ calculorum.

Gale. 2. de natura humana, text. 13. Plerique pueri qui plurimùm voraces sunt humorem non modicum aggregant, quem crudum propriè vocamus qui calculo gignendo in primis opportunus est, accedente calore, tanquam causa effectrice. Itidem asserit 3. aphor. comment 26. ibi, Lapis est propria passio puerorum, qui ob edacitatem non paucos humores crudos coaceruant, &c. Auic. 18. cap. 16. tres causas calculi assignat, materiam scilicet quæ est humiditas viscosa & crassa, virtutem agentem, sicut est caliditas ab æqualitate egressa, & materiæ retentorem, qui est expultricis imbecillitas, quæ ab intemperie vel ab inflammatione & vlceribus oritur, &c.

Gale. 14. meth. cap. 4. Similiter & calculi generantur in renibus, asso scilicet in his crasso glutinosóque succo: prouenit enim hæc affectio ex ciborum crassorum succo-

si quis liberalius his vtatur, &c.

Obiectio.

Quur non omnibus hoc vitium contingit, quum vtraque causa sit omnibus parata?

Responsio

Dilucidatur hæc tua dubitatio à Gal. 4. meth cap. 16, ibi, Siquidem credendum est quibusdam esse densos admodum renes, vel per augusta in iocinore ora, &c. lege eum, & rem intelliges, &c.

De signis rerum & vesicæ calculorum.

Signa generationis calculi sunt vrina exiens pura & aquosa, in qua non excernuntur arenosa iam prius visa, sed retinentur. Signa iam generati lapidis sunt dolor, grauitas, vrinæ suppressio, maximè si in vtrisque renibus lapis extiterit,

Signa motus lapidis sunt dolor vehemens vsque ad inguina communicans ad scrotum & testes. Vehemens inquam ob loci angustiam & sensibilitatem, sed quũ iam in vesica lapis fuerit, dolor mitigatur & tãdẽ mingitur. Signa lapidis in vesica sunt pruritus pudendi, ex cuius contractione penis intenditur vrina supprimitur, nec nisi magna cum difficultate & conamine emittitur. Sunt qui duos longiores digitos ano

introm

intromittant eleuatis prius ſurſum verſus cruribus, & aluo ab excrementis purgata, vt lapidem manifeſtè adeſſe ſentiant. Arena inſuper quæ ſubſidet, ſi rubra vel flaua fuerit, è renibus deſcendit: ſi alba & cineritia, ex veſica. Egreditur autem arena, dum confirmari & diſſolui lapidem contingit: quo confirmato, & obſtructione completa, nõ amplius arena exit, &c. Item lapis renũ eſt rotundus, veſicæ eſt oblongus, &c.

Loci conſentientes de ſignis calculorum.

De his ſignis lege Auic. 18. tra. 2. cap. 17. Signorum lapidis in renibus primum eſt vrina craſſa, quæ deinde incipit cõuerti ad tenuitatem propter retentionem turbidi, &c. lege locum fuſius. Gale. 1. de loc. aff. cap. 1. Indicia lapidis in veſica ſunt aquæ ſimilis vrina, in qua ſubſident ſabuloſa quædam, laborantes aſſiduè, pudendum ſcalpunt, ídque vel laxum vel intentum prę̃ter modum, poſteà derepentè vrina ſupprimitur. Vide Galen. 6. de locis affectis, ca. 1. ibi, Nephritici dolores eodem in loco ſtabiles permanẽt, &c. Lege fuſius Aetium ſermone 2. cap. 4. ibi, Adeſt loci dolor abſque tumore foris apparente, & plura de ſignis annotatu digna inuenies. Lege etiam Arcul. 9. almanſ. plura enarrantem. Item

Galen.

Galen 6.de locis affectis,cap.1.vbi Hippocratem damnat in illo aphorismo, Quibus in vrinis arenosa subsistunt,iis vesica laborat calculo.Vide insuper Alexan.Tra. lib 3. cap.34. Item Gord.& alios.

De cura calculorum renum & vesicæ.

Corpora quæ parata sunt ad calculum præseruatiuam curationem expostulant, at quæ actu ægrotant, curatiua indigent, Præseruatio igitur has in se intentiones requirit: prima, vt materia quæ lapidem generat, nullo pacto efficiatur:secunda, vt si quæ facta sit,ne ad renes vel vesicã fluat, sed ad intestina mittatur, hoc efficit: tertia, vt si quid ex hac materia ad renes casu euenerit, ne illic figi ac retineri permittit: quarta, calorem renum qui est causa efficiens, remissiorem efficit. Prima igitur intentio prohibet omnia crassa & viscosa tam in cibo quàm in potu, vnde panes azymi, caseus, & animalium extremitates, & lacticina procul absint, similiter vitentur satietates & cruditates, sed attenuatoria sit diæta, vrinam ciens, vitentur etiam dulcia,&c. Secunda,qua ex renibus ad intestina materiam diducimus, completur per pharmaca lenientia, scilicet cum cassia vel decocto glycyrrhizæ, semine alchechengi, vel per enœmata lubricantia ventrem,

vel

vel per terebinthū assumptum: nam valde iuuat. Tertia non permittit figi materiam in renibus, sed eam expellit cum diureticis, vt cum brodio cicerum rubrorum, cum decocto glycyrrhizæ, in iure galli decrepiti, cum paritaria in sero lactis decocta, vel cū eius succo, &c. Quarta remouet, ac calorem intensum mitigat cum oleo violaceo, nenupharino, amygdallino, dulci, vitando ea quæ euidenter adstringunt, &c. Curatiua verò ratio concretum in vesica vel renibus lapidem auferre intendit: primò lubricādo vias cū cassia, & minuēdo materiā per ea quæ frangunt lapidē, & vrinā proritant & ora venarū referūt, facta in primis sectione venæ, si sanguinis multitudo ob acutos dolores ad partē læsam se cōtulerit. Cōminuunt igitur lapidem quædam à proprietate occulta, quædam verò à manifesta qualitate. Quæ igitur hoc à manifesta qualitate efficiunt, sunt pulegiū, calamentum, origanū, saxifragia, radix graminis, amygdal. amar. Item radices petroselini, asparagi, bruscī, fœniculi, apij, decoctum cicerum rubr. cor. fabarū & rad. maluarum, &c. Frangunt à proprietate occulta lapis Iudaicus, puluis leporis cōbusti, vitrum multoties in aqua saxifragiæ extinctum, puluis lapidum cancrorū, limaciarū, & mandibularum lucii,

piſcis. Item languis hircinus, cortex lauri, & inter compoſita laudatur Iuſtinianum litontiphron dialacea, &c. Competunt etiam clyſteres ex decocto maluarum, parietariæ, camomillæ, melliloti, fœnugræci cum butyro, oleo ſcorpionũ, benedicta, caſſia, zucharo, vel cum oleo amygdalarum dulciũ, Extrinſecus conueniunt omnia mollientia, qualia ſunt vnguenta ex oleo amygdalino dulci, pinguedine gallinæ, butyro, oleo, de ſcorpionibus, &c. Similiter & brodia pinguia exhibeantũr, &c. Ad roborationẽ ſtomachi, qui plerunque imbecillitatem in hoc morbo ſuſcipit, iſta conferunt, ſcilicet oleũ de abſinthio, de menta, vnguentum de abſinthio, &c. Si qua verò opus fuerit digeſtione, perficietur cum oximelle ſimpl. vel compoſito, cum aquis ſaxifragiæ, parietariæ, granorũ iuniperi, &c. Quòd ſi delatus ex renibus lapis circa colum veſicæ detineatur, tunc ſupinatus æger, eleuatíſque ſurſum coxis, adeò concutiatur, donec ex ipſo meatu lapis excidat: deinde ſi minus per vrinam exierit, tunc per cautherem inſtrumentũ, vel per ea quæ calculos confringunt, amoueatur: quòd ſi minus per hæc curatio ad vota ſucceſſerit, tũc per inciſionem inter anum & teſtes in veſicæ colo factum adunco ferro euelletur lapis.

Loci

Loci de cura calculorum renum & vesicæ.

De primis intentionibus lege Auic. 18. trac. 2. cap. 18. ibi, Intentiones in curatione sunt abscissio materiæ & prohibitio generationis ipsius, cum abscissione causæ & rectificatio eius, deinde mũdificatio & comminutio, & fractio, & cõpressio, & eradicatio eius, quæ omnia lõgo satis sermone explicat. De victus ratione lege Aet. ser. 11. cap. 6. ibi, Deligant cibos, è quibus neque satietates, neque cruditates cõtingunt, &c. Gale. 10. de comp. med. per loc. cap. 1. Quæ calculosis auxiliant vnica facultate indigent, quæ siccare & extergere cũ manifesta caliditate possunt: sunt autem talia ferè omnia amara, &c. Paul. lib. 3. ca. 45. Medicamentis vti oportet, quæ confringere siue siccare calculos possunt absque manifesta caliditate: sic enim Græcè habet, αὐθ τῆ θερμαίνειν ὑπαρχῆς. Vnde vereor ne menda sit in Paulo, nam quæcunque ab eo in hoc affectu recitantur, sunt manifestè calidà, sicut & in Gale. qui vtitur pipere, myrrha, aniso, dauco, apio, &c. Aet. ser. 11. cap. 5. Si timor adsit, ne multitudo sanguinis ob acutos dolores materias ad affectam partẽ aduocet, secanda est vena cubiti à latere affecto, nec copia extrahenda, quum ex hoc fu-

turum nõ fit, vt à renibus lapis excidat, &c. Gal. 1. de loc. aff cap 1. Itaque supinato ægro vt crura reliquo corpore sint sublimiora, multifariam ipsum concuties, vt lapis ex meatu recedat, deinde iube vt æger vrinã reddere tentet: quòd si vrina supprimitur: rursus vehementius concute, & si sic permanserit, demissa fistula ænea lapidem à ceruice vesicæ repelles, &c.

Generantia ac curantia calculos.

Inducunt ac efficiunt lapidem, amylum, caseus, camphora, condrus, farina cũ lacte, lac coctũ. lagana, porcinæ carnes, triticum coctum. Curant lapidem radix acetosæ, acorus, amygdala amara, anisum, vrina porci, apium montanum, abrotanum, aqua mellis & cicerum rubrorũ, batheca, cap. Ven. betonica, chamæleonta, cancer fluuialis cũ myrrha, cardui agrestæ, cinis radicis caulis, cicada, ciminũ, cinis testarum, cochlearum, cyperus, condrilli, cordumeni, cotula, cubebe, daucus, fion, id est, cresconi, fœniculum syluestre, lac ficus, genista, gumæ ceraforum, prunorum cum vino, graminis semen & radix lapatiũ, lauri cortex & radix, renes leporis, lumbrici terreni, malua matricaria, semen mellonum, millepeda, stercus muris cũ aqua mellis, nigella, polium montanum, porri semen, succus raphani,

phani, ruous, saxifragia, sauina, senation, sagapenum, serpillum, scolopendria, cinis scorpionum, scenoanthos. fimus turturis & ius, tribulus, vitis aqua cadens. vitrū vstum tritum, succus vrticæ, iringi, vsnea. hypericon, agaricus. Composita sunt, Adrianum confectio Nic. antidotum hæmagogum, Camerina confectio Haly, confectio conabaris Auic. 1. semen, dialacca magna Mes. diasulphur Mes. diapiretrum Nic. diaprasium Nic. electuarium Ducis Nic. electuarium cabadij Haly, phylonium Rom. iustirium confectio Nic. Imperialis confectio Auicen. 1. semen litontriphon Nic. milium solis cum myrtho sylueſtri, Nephrocatarcticum Nic. oleum benedictum Nic. oleum de granis citri, oleum de cerasis Mes. de piperibus, de scorpionibus, oleum alchechēgi, de sauina, petroleum, syn. maior Nic. Theodoricum magnum, theriaca magna, vnguentum laxatiuum Nic. Zeneliten confectio Auic. Prȩseruant à generatione lapidis aqua mellis, cassia syringa, genista, grana pini maioris comesta.

De prognosticis calculorum reuum & vesicæ.

Auic. 18. tra. 2. ca. 16. In illo in quo est sedimen arenosum non aggregatur lapis, quoniā materia nō est coarctata. Et scias quòd

parum accidit puellis & mulieribus, quoniam meatus veſicæ earum ad exteriora breuior ac latior eſt & paucorũ anfractuum &c. Et ſcias quòd lapis renum & veſicæ eſt ex iis quæ hæreditantur, &c. B. Quod dicit, mulieribus non accidere lapidem, mihi non placet: nam ſua ratio potius ad facilem expulſionem, quàm ad lapidis generationem pertinet: ſed fortè ratio potior eſt, quia mulieres calorem non vſque adeò vehementem habent, vt materia in lapidem verti poſſit, vel quia ex menſtruis omnia ſuperflua expurgantur, &c. Hippoc. Apho. 6. Apho. 6 Renum & veſicæ vitia in ſenioribus difficulter ſanantur. B. Quia in motu ſemper ſunt, dum contrahuntur & dilatantur, vel quia in ſenibus ob calorem innatum imbecillem, nec aliæ ægritudines longè curantur, &c.

Authores diſſentientes circa calculum.

1 Adſerere, calculum generari poſſe à calido temperato.

2 Adſerere, calculoſis dormire ſuper dorſum valde nocere.

3 Adſerere, lapidem renum curari poſſe per inciſionem.

4 Adſerere, diuretica in principio calculi conuenire, nulla facta euacuatione.

Confi-

Digitiz

Confutatio.

Primum impugnat Gal. Aph 3. comm. 26. dicens, quòd materia craſſa, cui vehementia caliditatis accedit, eſt cauſa generationis lapidum, & Auic. inquit, Virtus verò augens eſt caliditas quum egreſſa eſt ab æqualitate, vbi inquit Gentilis, non niſi ab excellenti caliditate lapidem poſſe generari.

Ad ſecundum, Auic 18. cap. 16. Et dormire ſuper dorſum eſt ex eis quæ lapidi conferunt: nam ad reſolutionem materiæ confert: & ſic non ſemper nocet, imò plerunque iuuat, &c.

Ad tertium, Auic. loc. cit. Et ſunt quidam qui laborant extrahere ipſum per inciſionẽ ilij & per dorſum, ſed eſt timor magnus in eo qui rationẽ non haber, quoniam oportet penetrare per muſculos, per dorſum, per oſſa magna, per neruos & arterias, & venas magnas, in quo caſu accidit ſyncopis, & mors, & ſic cura eſt potius impoſſibilis quàm fieri poſſe putetur.

Ad quartum reſpondet Conciliator diff. 205. quòd diuretica non conueniunt in corpore cacochymo vel plethorico, niſi facta euacuatione & digeſtione. Item nec conueniunt in vlcere recenti, nec vbi fuerit obſtructio: nam vt ipſa calida reſoluunt ac putrificant. Præterea in ardore vrinæ non

sunt adhibenda, eo quòd ad locum læsum materias ducunt, & plus ad mingendum stimulant, ex quo dolor augetur, &c.

De inflammatione, abscessu, & vlceratione renum.

Dictũ est sæpius, quid inflammatio, quíd ue abscessus & vlceratio, quare nõ est vt toties à nobis repetatur. Cõtinet in se omnes hos affectus nomen nephritis iuxta. Galen. 10. de compos. med. per loc. cap. 1. Vnde Nephritis lib. fi. med. ita describitur, Nephritis est renum phlegmone cum dolore vehementi, interdum cum meiendi difficultate, ac fibrosis vel arenosis excrementis cum modico sanguine, &c. Variant deinde abscessus tum ab efficiente materia, tum ex parte locorum, pro quibus vide Auicen. 18. capit. 1.

De causis horum affectuum.

Causæ inflammationum renum extrinsecæ sunt, equitationes, percussiones, attritiones, plagæ, pharmacorum potiones, &c. Causæ intrinsecæ sunt vel repletio totius corporis vel membrorum consentientium, vel sanguinis mala qualitas, vel excoriatio lapidis, vel vrinæ retentio renes extendens: causa coniuncta est sanguinis calidi influxus. Causæ aliorum abscessuum sunt aliorum humorum influxus, vel multitudo

vapor

vaporoſorum ſpirituum Cauſæ vlcerũ ſunt quæcunque ſunt cauſæ ſolutionis continui, ſicuti apoſtema diſruptum, vel humores erodentes, bilioſi, acres, vel lapis egrediens, & quicquid ſcindere vel aperire vel erodere has partes poteſt, &c.

Loci conſentientes de cauſis horum affectuum.

Aet ſe.2.cap.16 Renum inflammationes non ſolùm humores corrupti, ſed & plagæ, & pharmacorum potiones, & attritiones, & præſertim continuæ, aquilonares. Auic. 18. cap.1. Cauſæ apoſtematis renum ſunt repletio in toto corpore, aut in membris cõmunicantibus, aut qualitas & quantitas ſanguinis, aut excoriatio lapidis, aut retentio vrinæ apud renes extendens. Galen. Aphori 4. comment. 75. Fit magna ex parte à lapide acuto, vel admodum aſpero, aut à dirupto aliquo abſceſſu. Et in libr. de tumorib. ca. 2. Et 2. ad Glauc. ca. 6. Abſceſſus fiunt ab aliorum humorum influxu, & à multitudine vaporoſorum ſpirituum, &c. Auic. loc. cit. Cauſæ vlcerum ſunt cauſæ continuitatis ſolutæ & apertionis, &c.

De ſignis Nephritidum.

Inflammationis renum & veſicæ indicia ſunt, loci affecti ardor, & cum grauitate dolor, febris continua, mentis alienatio, bilis

syncerae vomitus, mingendi impotentia, præsertim existente in vesica inflammatione. At si circa ilia dolores fuerint, & horror inæqualis, & febris inordinata, abscessus in renibus cum loci cruciatu testantur. Signa vlcerum renum vel vesicæ sunt vrina crassa cum exiguis carũculis. Dolor in affecto rene interdum exiguum pus mingitur, interdum sanguis & ramenta. Item furfuracea vrina, squamulæ & grauis odor, cum mictu sanguinis & puris, vlcerationem vesicæ denotant. Cognoscitur affectus esse in renibus vel in vesica per dolorem qui in differentibus locis accidit. Nam si vlcus sit in vesica, dolor erit in pube: si in ilijs & dorso, erit in renibus: si in vrinæ meatibus, erit in media regione, &c.

Loci consentientes de signis.

Hipp. Apho. 3. Aphor. 36. Quibus autem morbo renali laborantibus prædicta accidunt signa, doloréque circa spinæ musculos fiunt, siquidem circa exteriora fient, abscessus quoque exterius futuros expecta: si verò dolores magis circa interiora loca fiant, etiam abscessus interius futuros expecta. Lege Galen. 6. de loc. aff. cap 2. ibi, Renum affectum esse cognosces, si dolores cum horrore interpellato varióque infesta

infestare videantur. Hipp. aphor. 4. Aphor. 76. Quibus in vrina crassa existente caruncułę paruæ aut veluti capilli vnà exeunt, his à renibus excernitur, &c. Et aphor. 4. aphor. 77. Quibus in vrina crassa furfurea quædã simul exeunt, iis vesica scabie laborat. Et aph. 4. apho. 75. Si sanguinem aut pus mingat, aut renum aut vesicæ exulcerationem significat. B. Disce in comment. Gal. quomodo renum affectus & vesicæ inter se distinguantur. Vide etiam Auicen. 18. tra. 2. capit. 2. ibi. Signa vlcerum. Et Hippoc. Aphoris. 4. aphor. 81. Si sanguinem aut pus minxerit, aut squamulas, & grauis dolor adsit, vesicæ exulcerationẽ significat. Vide de his signis Arcul. 9. almans.

De curatione nephritidis.

Cura inflammationis renum & vesicæ consistit in ablatione causæ. Causa autẽ est influxus sanguinis, qui si adhuc influit, prohibendum est ne influat, diuertendo cum sectione venarum, quæ in cruribus circa poplitem consistunt, & cum cucurbitulis, frictionibus, &c. Quòd si quidpiam iam fluxum est, per euacuationem sanguinis in cubito, deinde inflammationi ipsi per catapla smata & fotus medendum: ita tamẽ vt si ad resolutionem tendat, cum his quæ pluries dicta sunt, sicut in principio cum reprimentibus

mentibus, in vigore cum mixtis, in decremento cum resoluētibus, &c. Cura vlcerum etiam in abstergentibus ac mundificantibus consistit, deinde cum his quæ cicatricem inducunt ac consolidant, &c.

Loci consentientes de cura nephritidis.

Aet. ser. 11. cap. 16. Si inflammationis acumen non remittatur, sed vehementior exurgat dolor, vena cubiti secanda, sanguinis detractione repetita: & si quid inflammationis relinquatur, ad cataplasmata procedendum, &c. Lege eum fusius. Auicen. 18. tra. 2. capit. 3. Initio curationis est abscissio causæ per phlebotomiam ex basilica, si sanguis est vincens: interdum fit incuruatura poplitis, vel ea non apparente, in saphena: & si sint cum sanguine humores acuti, calidi, per solutionem ventris, cum cassia fistula & aqua casei. Et de cura vlcerum lege eum fusius. 18. cap. 12. ibi, In curatione vlcerum renum, &c. Lege de hac re Gord. & Arcul. ibi, Causæ antecedenti hæc conueniunt, digestio, euacuatio, & diuersio, sed coniunctæ, quæcunque à me dicta sunt.

Obseruationes circa victum in inflammatione.

Auic. loc. cit. Oportet vt detur in potu aqua dulcis frgida, sed non ita frigida vt

prohi

prohibeas maturationē. 2. Abstineat à carne & dulcibus, aqua calida, & omne calidū nocet eis, & aqua plurima non euacuetur, quin laborare faciat renes suos incessu & motu. 3. Et non est vlceribus & apostematibus aliquid magis congruum quàm quies. 4. Et balnea conueniunt eis, nisi in declinatione apostematum calidorum, &c.

Obseruationes circa medicamenta.

Gal. 10. de composi. medi. per loc. capit. 1. Quæ ad inflammatas & vlceratas affectiones medicamenta componuntur, medicamentis mitigatoriis opus habent. Quum verò impossibile sit hæc citò ad regiones renum peruenire, ob id ipsis pharmaca vrinam cientia miscemus, &c. Itidem ait 4. meth. capit. 7. ibi, Quoties in vesica, &c. Galen. 13. meth. capit. 6. Ne quum circa sedem vel aliam huic vicinam partem initium phlegmones incidit, aluum deiicies, neque cùm in vesica vel colo vel renibus est cœpta, pharmaca quæ vrinam prouocent, bibenda dabis. Itidem ait 13. meth. capit. 11. ibi, Si quum in renibus, &c. Et 13. meth. capit. 16. Calida quoque vitanda sunt, quum renes facillimè in duritiem occallescant, &c.

Aetius sermone 2. capit. 16. notat non esse exhibendum pharmacum purgatiuum

sed

sed per clysterem aluum esse leniendam, nec multam clysteris copiam infundendam, ne repleta intestina renes comprimant, &c.

Obseruationes circa topica.

Auic 19. tract. 1. cap. 10. Reprimentia frigida non longo tempore applicanda: nam illud nociuum est, & indurant apostemata velociter. 2. statim, si fieri potest, sedandus est dolor, cum vesica sit membrum neruosum. 3. quòd simus soliciti in prouocanda vrina, quum frequentius retineatur in apostemate vesicæ, &c.

De prognosticis nephriticorum.

Hippocr. aphor. 6. aphor. 2. Arra bile vexatis & renum passionibus hæmorrhoides superuenientes, bonum. B. Ob id quòd mala qualitas humorum euacuatur, &c. Auic. 18. tract. 2. capit. 1. Omnia renum apostemata velocia sunt ad hoc, vt in lapidē conuertantur. Et quando apostema calidum est in rene, & non fit vacuum à febre, deinde accidat commixtio rationis, tunc est mortale. Et capit. 10. loquens de vlceribus inquit, Quòd multoties ex vlceribus renum proueniunt fistulæ, quæ nullo modo sanantur, & ille cuius lien distumpitur, moritur. Et fen 19. capit. de vlcerib. vesicæ, inquit, quòd difficiliora sunt quàm renum,

&

& ille cuius vesica disrumpitur, moritur secundum plurimum: quòd si scindatur, non incarnatur, nisi in parte carnosa, &c.

De Diabete.

Hunc affectum vocant quidam hydropē matellæ, alij vrinæ fluorem, alij dipsacon ab inexplebili siti, alij diabetē, qui nihil aliud est quàm renum affectio, in qua potio statim qualis assumpta est per vrinam reiicitur, & rarò accidere solet, &c.

Loci consentientes de diabete

Galen. 6. de loc. affect. cap. 2. Diabetes est proprius renum affectus, qui caninæ in ore ventriculi cupiditati proportione respondet, a cedente præterea à retentricis facultatis imbecillitate. Paul. libr. 3. capitu. 43. ὁ διαβήτης κακχεῖα τῶν νεφρῶν ἐστὶ διέξοδος ὑγρῶν τοιούτων οἷα ἐπόθη. διὸ καὶ διψῶσιν ἀμέτρως ἔθεν καὶ δίψαις ἐκλήθη τὸ πάθος. &c. Auicen. 19. tracta. 1. capit. 17. Est vt egrediatur aqua sicuti bibitur tempore breui, & proportione respondet ad lubricitatem stomachi.

De causis diabetis.

Causæ sunt: vel retentricis facultatis imbecillitas, vel facultatis attractoriæ vehementia. Prima fit à mala intemperie frigida intrinsecus vel extrinsecus aduenient: secunda fit à vehementi renum calore nu-

do ob

do vel complexo, attrahens à venis emulgentibus, & ex eis ad hepar extenditur, & ex hepate ad stomachum, & ad omnia mẽbra, vnde humiditates membra irrorantes attrahit, & fit sitis vehemens, quæ potu non sedatur, διψακὸς dictus est, id est siticulus morbus, &c. Fit etiam à resolutione lacertorum colli vesicæ, &c.

Loci consentientes de causis diabetis.

Auic. 19. cap. 17. Causa diabetis est dispositio renum ob imbecillitarem accidentem & dilatantem orificia meatuum, quare fit vt aquositas non figatur in renibus. Et quandoque fit ex frigore, toto corpori vel renibus dominante, aut à potu aquæ frigidæ, aut propter vehementiam attractiuæ, &c. Lege eum fusius. Galen. 6. de loc. affec. cap. 2. Fit hic affectus à retentricis facultatis imbecillitate, &c. Vide eum fusius, & plura intelliges.

De signis diabetis.

1. Signa quando fit ex caliditate sunt lumborum caliditas, vrina multa in principio, sicut lotura carnis recentis, minus tamen infecta & rubea, ac si defectu hepatis id proueniret: deinde processu temporis, in qualitate & colore potus egreditur. Si fuerit à frigiditate, tunc circa lumbos percipi

pitur frigus, & vrina in principio est quantitatis consuetæ: deinde multiplicatur, & erit sicuti lotura carnis, sed minus tincta, quàm in fortitudine attractricis facultatis. Adest semper sitis, nec ex bibitis satiatur, sed quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ, &c..

Loci consentientes de signis diabetis.

Aet. ser. II. capit. 1. Comitatur sitis pertinax, ex qua nulla ex potu satietas contingit, quare assiduè bibere coguntur, &c. Vide de hac re Galen. 6. de loc. affect. capi. 2. Auicen. nullam de signis diabetis mentionem facit, lege tamen fusius Mar. Cat. cap. de inuoluntario exitu vrinæ, ibi, Adest sitis intensissima, &c.

De curatione diabetis.

Cura in duabus intentionibus consistit, quarum altera ad ablationem causæ studet, altera ad membrorum vrinæ roborationem. Si causa igitur fuerit acritudo humorum, euacuatione demitur, deinde renes intrinsecè & extrinsecè cum succo granatorum & limonum infrigidentur. Si causa fuerit frigiditas, ex qua retētrix imbecillis sit, roboranda erit cum calidis stypticis, sicut cum decocto myrthi, sumach, balaustiarum, absinthij, cũ vino chalybeato, aut cum puluere tali.

Recipe, Cupularũ glandiũ ʒ j. thuris myrrhæ ana ʒ ß. pelliculæ ſtomachorum gallinarum ʒ iij. Miſce, & fiat puluis. Conueniũt etiã Tro. de ſpon. cum ſemine acetoſæ T. de terra ſigillata, de balauſtiis cum vino vel aqua abſinthij. Si cauſa fuerit vehementia attractoriæ facultatis à ſuperflua caliditate innata, tunc expedit infrigidare & ſtypticare, qua ratione conueniunt ſyrup. de agreſta, de acetoſitate citri, cum aquis portulacæ, lactucæ, & vng. ſandalinum comitiſſæ infrig. Galen. Si cauſa eſſet relaxatio muſculorum coli veſicæ, conueniuntquæcunque de paralitide ſcripta ſunt, qualis eſt diacorus, acorus conditus, &c. Sitis remouetur, ſi dato potu euomatur, & rurſus frigidiore dato iterum reuomatur, donec ſitis extinguatur, & aquoſitas à renibus diuertatur. Somnus etiam hac in re commendatur. Quòd ſi prædicta morbum omnino non abſtulerint, non erit præterrem, ſi ſtuporem inducentibus vtamur, ſicuti lactuca, papauere, vel ceratarũ ex ſucco papauere admota.

Loci conſentientes de cura diabetis.

Auicen. 19. tract. 2. capitu. 18. Diabetes vtplurimùm accidit ex caliditate ignea: quapropter plurimum curationis eius eſt infri

Digitized by

infrigidatio & humectatio., &c. lege eum fusius.

Aet.ser.11.capit.1.Scopus medendi est vt humorum acredinem auferamus, sanguinémque, ac cum eo permixtum humorem serosum ad tardiorem motum reddamus, & renum intemperiem reuocemus. Vide etiam Aet.ibi, Victus sit boni succi mordacitate carens, vt sunt oua sorbilia, alica, carnes porcinæ, vinum rufum crassius, frigidũ, dilutum, item caseus recens sine sale. Vide etiam Paulum & Marc.Cat.

Obseruationes in cura diabetis.

Auicen.19.tract.2.capi.18. Quæ oportet ipsum vitare est labor dorsi, & assumptio diureticorum, &c.

Obseruationes in euacuatione.

Galen.7 meth cap.13. inquit, quòd euacuatio est renum, thoracis, arteriarum & venarum, & cordis, & vtriusque vesicæ commune quoddam opus, sit tamen euacuatio leniens vt Auicen.

Conferentia diabeti.

Infrigidant renes, ac diabeti conferunt, camphora illinita vel bibita, cassia, siliqua, cucurbitæ conditæ, oleum cucurbitæ, plumbum, &c.

De prognosticis diabetis.

Aet.ser.11.cap.1. Si amplius mordens cali

ditas in viſceribus augeatur, venter ſuperior corrugatur, & venæ in ipſo eleuantur, vniuerſúmque habent gracilem habitum, & tabes totius corporis accedit: qui verò non mingunt, nec ex eis potus tranſpirat ob potus ſatietatem & humoris inundationem & veſicæ circuntenſionem, aceruatim ventre rumpuntur. Si quis Aet. intelligere voluerit, ſupponere habet duas diabetis differentias: alteram, in qua talis potio, qualis aſſumpta eſt, per vrinam reiicitur: alterã in qua nihil penitus mingitur, nec potus per alia loca tranſpirat. Qui igitur primo diabete laborant, incurrunt maraſmum vel tabem, conſumpta ſcilicet omni venarum humiditate, vnde gracilis habitus oritur & tandem mors. Qui verò non mingunt, nec per alia loca potum excernunt, dum bibere non deſinant, ventre rumpuntur. Vide Galen. 6. de loc. affect. capit 2 ad finem, & Auicen. 19. cap. 17. Quandoque perducit ad liquefactionem & ad ethicam, &c.

De vrinæ ſtillicidio & eius difficultate.

Mingendi actio bifariam læditur in emittendo ſcilicet vrinam, & in retinendo. Actio emittẽdi vrinam, vel abolita eſt, vel imbecillis, vel deprauata: ſi abolita, tunc ἰσχουρία dicitur, & eſt quũ nullo pacto æger min

mingere poteſt. Si verò imbecillis fuerit, tunc δυσουρία à Græcis dicitur, à Latinis difficultas vrinæ, quæ nil aliud eſt, quàm meiendi deſiderium cum vrinæ difficultate, & trifariam conſideratur: primò, quum tenuiter mingitur: ſecundò, quum in mingendo patiens longam moram occupat: tertiò quum mingere incipit, & in mingẽdo perſeuerare non poteſt, ſed plerunque intercipitur. Si verò actio mingendi fuerit depraua ta, tunc excretio vrinæ non niſi guttatim deſtillabit, & vocatur στραγγουρία à Græcis, à Latinis verò vrinæ ſtillicidium, & eſt excretio vrinæ guttatim ſtillantis.

Loci conſentientes de ſtillicidio vrinæ & diff.

Gale. 6. de ſympt. cau. cap. 2. At huiuſcemodi ambo veſicæ morbi vnum commune ſymptoma, iſchuriam, id eſt, vrinæ ſuppreſſionem. Eſt & aliud ſymptoma, quum nihil penitus vrinæ in veſicam delabitur, abolita nimirum renum actione, &c. Et aphor. 5. comment. 58. Quando aliquis parum & frequenter mingit, hæc paſſio vrinæ ſtillicidium nominatur, &c. Vide hac de re Alexand. lib. 3. capit. 38. Item Arcul. 9. Almanſ.

De cauſis ſtillicidij & difficultatis vrinæ.

Cauſæ primitiuæ vel ſunt extrinſecæ, qualis eſt caſus, percuſſio, & læſio inſtru-

mentorum vrinæ: vel non extrinsecæ, sicut sex res non naturales assumptæ. &c. Causa antecedens est triplex, vel ex parte vesicæ, aut à læsione facultatum eius, aut à dispositione vrinæ. Si ex parte vesicæ, tunc læsio aut est in meatu coli vesicæ, aut virgæ, & tunc vel est aliquis abscessus, vel vlcus, vel scabies, ex quibus dolens timet extrà mittere vrinam: vel erit quædam obstructio obstruens vrinæ meatum. Si verò à læsione eius facultatum, tunc vel erit virtus sensibilis læsa, quæ nec mordacitatem aut grauitatem vrinæ percipit: vel motiua vis voluntaria læsa, dum musculi relaxantur, & incontinentia vrinæ accidit, vel retentricis & expulsoriæ facultatis imbecillitas, quæ à mala intemperie, aut à defectu spirituum prouenit. Si à dispositione vrinæ, tunc vrina quantitate aut qualitate peccat: quantitate, quum ipsa vel nimis sit pauca vel nimis copiosa, vnde expelli non potest: qualitate, quum nimis calida, mordicans, vlcerans, &c. Causa etiam potest esse imbecillitas renum, non valens aquositatem attrahere vel expellere, ob malam intemperiem frigidam, aut calidam, aut ob earum obstructionem. Causa per consensum erit ex parte membrorum principalium, sicuti hepatis in sequestra

queſtratione aquæ deficientis, vel ex parte cerebri ſpiritum animalem retrahẽtis, &c. Auic. 19. tra. 2. cap. 6.

Loci conſentientes de cauſis.

Auic. 19. tra. 2. cap. 6. Et fortaſſe cauſa eſt frigus, aut calor de foris, aut percuſſio, aut retẽtio vrinæ plurimæ, &c. Aut fit propter cauſam in meatu coli veſicæ & capitis virgæ. Aut propter cauſam in virtute, aut propter cauſam in inſtrumento, aut propter cauſam membri mittentis, aut propter cauſam in vrina, &c. Galenus aphor. 3. comment. 16. & apho. comment. 58. cauſam eſſe inquit imbecillitatem retentricis facultatis, quæ ab intemperie, & aliquo præter naturam tumore fieri ſolet, vel acrimoniam vrinæ, quæ etiam à renum paſſione, vel à ſuperfluitate ſeroſa ex venis ad ipſas percolata prouenit. Et ſtillicidium vrinæ fieri, inquit, recto inteſtino & vtero inflammationem patiente, & hoc per compatiẽdi rationem, aut à puro ex renibus ad veſicam euacuato.

Obiectio.

Galenus ſtranguriam eſſe quoddam retentricis potentiæ ſymptoma hîc inquit. Etenim 6. de ſympt. cauſ. repoſuit eam inter expultricis potentiæ ſymptomata.

Responsio.

Soluit dubium Galen. 6. de loc. aff cap. 1. dum inquit, Humores mordaces omnia intestina & vesicam ad excretionem excitant: qui verò mordaces non sunt, imbecillitatem intestinorum sequi consueuerunt, quia retinere contenta nec exiguo quidem tempore possunt. Ac si dicat, si à mordacitate humorum stranguria fiat, ad expultricem pertinebit facultatem: si verò ab imbecillitate, ad retentoriam. lege de his cau sis Aëtium ser. 11. cap. 19. & Paul. &c.

De signis stillicidij ac difficultatis vrinæ.

Stillicidium vrinæ, & eius difficultas ex se manifesta sunt. Signa eius causarũ erunt si prouenit à frigore, vrinæ tenuitas vel crassities cum albore, & frigus sentietur. Signa ab humorum acrimonia habentur ex vrina acribilem attestante, vel ab habitu ipso, vel à colore, & ab his quæ intemperiem calidam denotant. Signa apostematis sumuntur ex febre, vel quia paulatim fit affectus, ex dolore loci, & eius extensione & tumore. Signa lapidis & obstructionis per syringam intromissam habebuntur. Signa humoris crassi cognoscuntur ex grauitate sensata & pondere. Signa flatuosi spiritus est tensio sine grauitate

loca

loci, quæ interdum permutatur. Signa mollificationis musculi vesicæ sunt egressiones vrinæ absque voluntate. Signa contracti musculi vesicæ sunt, quia vrina retinetur, nec potest educi, nisi cum valida compressione. Signa debilitatis sensus sunt, quòd æger mordacitatem vrinæ non sentit. Signa expultricis facultatis læsæ sunt, si ex compressione facilis fiat vrinæ eductio. Signa difficultatis vrinæ per consensum hepatis & cerebri, sunt eorum ægritudines præcedentes, & quòd non apparent læsiones aliç in instrumentis vrinæ.

Loci consentientes de signis.

De his signis lege Auicennam 19. tra. 2. capite 7. ibi, Signa eius, cuius causa est frigus, est albedo vrinæ cum crassitie & tenuitate, & multitudo surgendi ad mingendum, & sensibilitas frigoris, &c. Lege diffusiùs librum, & plura inuenies. Paulus libro tertio, capite quadragesimoquinto, Si neque ab inflammatione, neque à calculo, sed ab vrinæ acrimonia dependeat, cognosces per signa bilem attestantia. Si verò à frigido fiant, aderit vrinæ tenuitas albórque, & præter alborem crassities, quæ humorem pituitosum denotat. lege Arcul. Alexand. & Gord. &c.

De cura ſtillicidij & differentia vrinæ.

Cura huius morbi conſiſtit tantummodò in eius cauſarum ablatione, ac in vrinæ prouocatione. Inquiratur ergo omni ſtudio eius cauſa: nam ſi fuerit à frigore, tunc calefaciendo, & regimen calefaciens inſtituendo facilè curabitur: proderunt interim clyſteres ex rebus calidis, inunctiones & fotus calidi prout ſermo erit. Si cauſa erit obſtructio coli veſicæ, vel fiat ab apoſtemate, cura erit apoſtematis, prout millies dictum eſt: ſi à materia lapidea, recurratur ad caput calculi. Si à materia pituitoſa, ſanioſa, vel ſanguinis coagulatione, tunc intentio erit materiam attenuare cum incidentibus, attenuantibus ac aperitiuis, ſcilicet cum ſyrupo biſantino de duabus rad. oxymelle ſimp. cũ aquis fœniculi, apij, &c. deinde vrinam prouocare. Prouocatio vrinæ multifariam fieri poteſt: primò leuiter veſicam comprimendo, vel cum ſuppoſitorio ex ſale gemeo, vel cum titillatione in capite virgæ, cum fricatione in colo veſicæ prope anum. Proritant vrinam validius inunctiones ex oleo ſcorpionum & liliorum alborum: nam præterquàm quòd calefaciunt, etiam reſoluunt ac relaxant. Similiter fotus ex parietaria, ex ſenecione, cum dictis

dictis oleis in sartagine frixis, & pubi admotis, vel ex rebus magis calidis, vt cum calamento, pulegio, sabina. Intrinsecus conueniunt clysteres ex hiera picra, benedicta, cassia, zaccharo, & oleis scorpionum. Conueniunt etiam decocta fœniculi, asparagi, bruscí, apij, petroselini, vel decoctum iuniperi, sabinæ. Item puluis corticis oui, à quo pullus egressus sit, à suo cortice depurati, ad quantitatẽ drachmæ vnius. Item rubea tinctorum, cantharides, amotis pedibus & alis. Prouocant etiam vrinam dialacca, diacurcuma Iustinianum, & confectio de cineribus scorpionum, &c.

Loci consentientes de cura stillicidij & difficultatis vrinæ.

Paulus libro 3. cap. 45. Si ab acrimonia humorum dependeat, conuenit ptisanæ cremor, pisces, balnea, victúsque idoneus. Acria vitanda sunt, vinum, exercitium, & tarda comestio. Si verò à frigida intemperie, conuenit vinum calidum, & cibi qui vrinam prouocent: & hæc de regimine.

Aëtius ser. 11. cap 19. Considerandæ sunt præcedentes causæ: nam si fuerit frigiditas, cum calefacientibus, & vrinam prouocantibus tollenda est, addito etiam ad pectinem fotu. Si verò caliditas præcessit, sicut vrina acris & bilios a attestatur, tunc

sanè

sanè exuberantem humorē vitiosum quàm celerrimè purgare oportet, vitatis interim omnibus salsis & acribus. Quòd si nec acrimonia adhuc auferatur, lac ipsum cum amylo in vesicam deiiciatur, &c. Auic. 19. tra. 2. cap. 8. Si causa est humor vel sanies, opus est vt curetur cum aperitiuis ac diureticis, &c. Lege eum fusiùs, lege etiàm Arcul. 9. alman. Item Matc. Catin. & rem aptiùs ac dixerim intelliges.

Conferentia stranguriæ.

Conferunt stranguriæ decoctio acori, cap. Veneris, altheæ, allij, amygdala amara, apium, cassia lignea, cicera, cyperus, semen cucurbitæ, gladiolus, gramen, chamædris, assarum, phu, cardamomum, locustæ suffumigium, maiorana, mel, meu, mezereon, millefolium, ruta, serpillum, sisimbrium, asparagus, scilla, terebinthus, porcelliones, virga pastoris, vsnea, rapa satiua, raphanus, milium panicum. Composita sunt cōfectio alchechēgi Aui. ezegea cōf. Mes. philonium romanum mitridatum, oleum amygda. de sabina, de ossibus persicorum, oxymel scilliticum, socrita confect. Haly, theriaca T. de absinthio.

De prognostico stranguriæ & dysuriæ.

Hippo. apho. 6. aphor. 6. Renum & vesicæ vitia in senibus difficulter sanantur. B.

Et

Et hoc aut propter inquietudinem renum, aut humorum acrimoniam, aut virtutem ſenum imbecillem. Nam qui morbi ſenibus accidunt, longi plerunque ad mortem ipſos concomitantut. Auic.19. tra.2.cap.6. Expertum eſt in pluribus hominibus,& dictum eſt, qui habet difficultatem vrinæ, & aduenit ei poſteà tenaſmos, moritur in ſeptimo,niſi accidat febris,& plurimam prouocationẽ vrinæ faciat,&c. Aët.ſer.2.ca.19. Si acris humor diutius in veſica moretur, partes ipſas corradit & exulcerat,&c.Hippoc.apho.3.apho.16. in fine,In ſiccitatibus lippitudines, arti ulorũ dolores,vrinæ ſtillicidia,dyſuriæ,&c. Lege etiam 22.aph.30. & 31.eiuſdem,ibi,Senibus ſpirandi difficultas, vrinæ ſtillicidium, dyſuriæ ſiue vrinæ difficultates. Et apho.5. apho.58. Retento inteſtino aut vtero inflammationem patiente,vrinæ ſtillicidium accidit,& renibus purulentis vrinæ aduenit ſtillicidium. Et aphor.49.lib.7. Vrinæ ſtillicidium & mingendi difficultatem ſeu dyſuriam vini potio & venæ ſectio ſoluit,incidere ante interiores in talo eſt bonum,&c.

De retentione vrinæ.

Quæ à Græcis ἰσχουρία dicitur, eſt exacta prorſus vrinæ retentio periculum afferens,&c.Et hoc atteſtatur Gal.lib.fin.med. ibi,

ibi, Ischuria est exacta prorsus, &c. Vide etiam Gordon. &c.

De causis retentionis vrinæ.

Causæ huius affectus sunt octo, inflammatio, durities, sanguinis grumus, expultricis resolutio, lapidis procidentia, membrorum compassio, vlceratio & lithiasis, vel alia obstructio. Retinetur etiam vrina ob negotiorum importunitatem, vel per somnum, &c.

Loci consentientes de causis retentionis vrinæ.

Galenus 6. de loc. aff. cap. 3. Ischuria prouenit, quum circa id quod continetur, contrahi non potest, vt ipsum exprimat: interdum obstructio inferioriori meatu, aut à crassis humoribus, aut impacto lapide: nõnunquam ab inflammatione, vel alio tumore, vt angustior meatus reddatur, vel omnino obstruatur: lege locum hunc fusiùs, & antedictas causas inuenies, &c. Lege etiam Aët. ser. 2. cap. 21. ibi, Accidit & sanis sæpe vrinam ipsorum cohiberi ob negotiorum importunitatem, ac si diutius in concionibus, foro iudiciario, somnisq; mictionem retinuerint, &c. Lege Galen. loco cit. & Auic. & Arcul. & alios modernos.

De indicijs retentionis vrinæ.

Ischuria ex compressione vrinæ statim

cog

cognoscitur, sed causarum suppressionis indicia non tamen vsquequaque sunt nota. Signa igitur sunt, quòd ex facultate excretoria hæc fiat, cognoscitur ex compressione vehementi, ex qua vrina excernitur. Signa obstructionis erunt, si minus per compressionem vrina excernatur, & tunc obstructio erit à grumo sanguinis, si nulla adsit lapidis nota, & sanguis effluat: vel erit ab abscessu, si pus excernatur, vel inflammationis notę nõ adfuerint: vel erit à caruncula, si vlcus & vlceris indicia præcesserint: vel erit à lapide, si intromissa fistula ænea lapidem remouẽdo vrina euacuetur. Similiter si à crassis humoribus fiat obstructio, cognosces ex victu præcedente, si in otio educatus, si multis cibis crassis ac viscidis humores generantibus vsus fuerit, &c.

Loci consentientes de signis retentionis vrinæ.

Galen. 1. de loc. aff. cap. 1. Intueri oportet præterita & præsentia: nam si à resoluta facultate vesicæ ischuria proueniat, tunc hominem ita figurato, vt decliuis sit ceruicis vesicæ positus, ac tumorem præter naturam comprime, vt vrina expellatur: quòd si minus profeceris, tunc facultatem non resolutam, sed potiùs vrinæ fistulam obstructam coniice. Si igitur obstructio, à lapide

fiat,

fiat,& c. Lege totum hunc locum,& inue-
nies quæcunque à me suprà posita sunt.
Lege etiam Gal.6 de loc.aff.cap.3.ibi,Non
fungente suo naturali munere vesica, &c.
B.Nota, quòd in omnibus corporis parti-
bus est naturalis quædam vis excretoria,
qua excrementa secernuntur, naturalis di-
cta,eò q; voluntati nõ obediat, sed natura-
liter agit. Vnde musculus ceruicẽ vesicæ cir
cundans,tanquam voluntati ipse obediens,
volẽtibus nobis eò vsque ab actione quie-
scit,donec vesica suo munere fungatur,& c.

De cura retentionis vrinæ.

Quamprimum ischuriæ causam agno-
ueris facilis erit cura : nam suppressionis
vrinæ causas amouere est curatio. Si igitur
inflãmatio causa sit retẽtionis vrinæ, cure-
tur inflammationũ curatione : quòd si pus
vel humor, vel sanguinis grumus in causa
sit,per dissoluẽtia pubi admota(vitatis vri-
nam cientibus, ne maior vel obstructio vel
extensio circa vesicam fiat) statim curabis:
vel his non conducẽtibus,ea mittenda sunt
in vesicã quæ dissoluũt per syringã? Si verò
propter obtusum vesicæ sensum vrina sup-
primatur, irritando excitare eius actionem
expedit cum insessionibus aut cimicibus
capiti virgæ admotis.Si causa sit lapis,tunc
admota syringa lapis excutiendus est, &

sic

sic de singulis, prout supra de destillationis vrinæ cura dictũ est,&c.Aduertendo etiam quæcunque à Paulo superius de regimine dictá sunt,&c.

Loci consentientes de cura retentionis vrinæ.

Aet.ser. 2. cap. 21. Si ex inflammatione vrina supprimitur, sectione venæ curabitur, adhibitis etiam fomẽtis & cataplasmatis,quæ sæpius ad inflammata dicta sunt: si verò supprimitur à sanguinis grumo, tunc grumus eo pacto dissoluendus,quo de eruptione sanguinis dictum est: si verò lapis vrinam supprimat, à loco excutiendus est, &c.Lege Arcul.9. Almans. vbi de sectione agitur, quæ aliis non iuuantibus in colo vesicæ fieri solet,&c.

Stranguriæ & ischuriæ conferentia.

Conferunt stranguriæ & ischuriæ abrotanũ,acorus,agaricus,alliũ, althea, ameos, amygd.amar.anethum,apium, arthemisia, bacca lauri,balsamum,baucia,chamędrys. chamepitys,carpobalsamũ,castoreum,centaurea,ciminũ,cimices,cinnamomũ,cyperus,cypressus,cuscuta, crocus, daucus, eleniũ,epithimũ, fœniculũ, fæx vini vsta,filipendula auis, furfur tritici,galbanum, genista,melãthion,inuiperus,cassia, terebinthus,lapatium, lithospermon, locustarum

ſuffumigium, lumbrici terreni, maiorana, matricaria, myrthus, naſturtiũ, origanum, ocimũ, parietaria, pęonia, peucedanũ, cap. Ven. portulaca, raphanus, rapa ſatiua, ſiſer, ruta, roſmarinus, ſaluia, ſabina, ſaxifragia, ſcnapium, ſepia, ſerpillum, ſiler, ſiſimbrium, ſinapis, ſcordeon, aſparagus, ſcenoanthos, ſte. has, tamariſcus, trifolium, betonica, vinum ſcilliticum, hypericon, hyringus, iris, porrũ, cepę, aſphodellus, petroſelinum, iuncus odoratus, calamus odoratus, reſina mulei pini, lentiſcus, hordeũ, mel, eruũ, pepe, piper, capparis, centauriũ. Cõpoſita ſunt aureũ vng. Nic. diapraliũ, diapiretrũ Nic. Iuſtinum conf. Nic. etiam mucos mingentibus pilulæ diacaſtoreę Nic. vng. mellinũ dio. c. antidotum hemagogum Nic. &c.

De prognoſticis retentionis vrinæ.

Hippocrates apho. 4. apho. 80. Si ſanguinem mingant, & grumos & ſtillicidiũ vrinæ habeant, & dolor in imum incidat ventrem & pectinem & fœmen, circa veſicam labor eſt B. Intelligit pro labore morbum: nam non refert ſiue πονεῖ ſiue νοσεῖ quis dixerit, & intelligitur de omnibus vrinæ inſtrumentis: nam partem pro toto, id eſt pro veſica, totum quod veſicæ annectitur, hic accipit, &c. Et apho. 4. apho. 82. Quibus in vrinaria fiſtula tubercula naſcuntur, iis ſuppur

suppuratione facta & eruptione, solutio. B. Hîc subauditur, quòd ex his tuberculis ischuria fiat, quibus diruptis proculdubio sanatur. Nota tamen quòd in antiqua trãslatione Gal. pro ischuria legitur malè stranguria, &c. Aetius ser. 26. c. 24. Quũ nõ eiiciant lotium, subiecta membra mortificantur, neque ità longè pòst moriuntur.

De vrinæ incontinentia.

Quũ vrina inuoluntariè excernitur, tũc resolutione vesicam laborare dicimus, &c.

Loci consentientes de vrinæ incontinentia.

Aet. ser. 2. c. 24. Quibus resoluta est vesica, iis vel prçter voluntatem vrina excernitur vel supprimitur. Lege Auic. 19. cap. 13. de inuoluntario exitu vrinæ. Et Paul. lib. 3 de vrinæ incontinentia. Lege etiam cap. 18. vbi de resolutione, quæ vnamquanq; particulam obsedit, mentionẽ facit. Lege etiam Arcul. 9. alm. & Sauonarolam, &c.

De causis incontinentiæ vrinæ.

In causa est vt plurimùm resolutio musculi, qui ceruicem vesicæ ambit, item facultatis retentoriæ imbecillitas, item nimius potus, hepatis imbecillitas segregare aquositatem non valens, item nimia renum caliditas & superfluum frigus, acuitas vrinæ, & luxatio vertebrarum spinæ.

Loci consentientes de cãusis incontinentiæ vrinæ.

Gal.6.de loc.aff.cap.3. Si musculus qui vesicã claudit resoluatur, tum inuoluntaria vrinæ excretio prouenit, &c. Auic. 19. tra.2.cap.13. Fit vt plurimùm propter superfluitatẽ frigoris & mollificationẽ lacerti, & debilitatem virtutis attractiuæ in vesica & renibus, & propter caliditatẽ plurimam attrahẽtem ad vesicam resudationẽ à corpore, & propter coarctionẽ stercoris cõprimentem, & propter acuitatem vrinę, &c. Lege Aet.ser.2. cap. 24. Et Gal.de loc.aff. cap.3.ibi, Alter luxatis ad extremas partes spinæ vertebris inuitus vrinam profudit, nullo infestante vesicã dolore, coniecimus eius musculi neruum, qui vesicam claudit, esse affectum, proinde spinam curare volui mus, &c.

De signis incontinentiæ vrinæ.

Nota esse possunt signa tũ ex relatione infirmi, tum ex his quæ dicta sunt: nã quotiescunque copia vrinę frequenter emittitur, & in mictione ardor non sentitur, nec sitim ęger patitur, nec corporis extenuationem, tunc iudica musculum vesicę esse resolutum, à quo excretio inuolũtaria vrinę procedit, &c.

Loci

Loci consentientes de signis.

Lege Razem 9.alman.de fluxu vrinæ,& Auic.19.cap.13.ibi, Et scire facile sit ex eis quæ præterierunt,&c.

De cura incontinentiæ vrinæ.

Cura talis sit, qualem diximus in cura diabetis,pro quibus lege diffusius Aet. ser. 2.ca.24.& vbi ad eos qui se in somno perminguntremedia scribit,& Auicen.vbi de mictu in lecto sermonem facit, & est fen. 19.tract.2.cap. 15. Item curam de inuoluntario exitu vrinæ,&c.

Conferentia inuoluntario exitui vrinæ.

Conferunt inuoluntario exitui vrinę & mollificationi vesicę, acetum scilliticum, acorus, calamus aromaticus,chamepithys, ciminum, cinis vngularum apri, cyperus, codeę, pulmo hœdi,heleniũ,carnes ericij, fœniculum agreste, chubebe, laurus Alexandrina, cerebrum coagulum leporis, lignum aloës, mumia, ostraca, grana pini, cortices populi, sisimbrium, scolopendria, vesica apri,mures elixæ & comestę. Composita,confectio Aristomachi Auic.confectio philosophorũ Auic.ibi,1.5. Vinũ extinctionis ferri,oleũ nardinũ, oximel scilliticũ,electuariũ piperis Haly, tamaricon cõf. Haly, trifera magna, trifera de scoria maior Auic. Tro.alchechẽgi Aui. hiera Gale.

De prognostic. incontinentiæ vrinæ.

Aet. ser. 2. cap. 24. Qui præter voluntatem vrinã emittunt, quanto plus eis contingit, eò minus periculo sunt obnoxij.

De ramicum generibus, id est de hernijs.

Quod ramicem siue herniã Latinè dicimus, Græci κήλας omnes ferè testium tumores vocant, & sunt numero octo. Primus Hydrocele, quæ est incocti humoris in parte scroti collectio. Secũdus Enterocele, est intestini in alterũ locum paulatim vel semel delapsus. Tertius, Hidrenterocele, & est delapsus intestini, aqueiq; humoris collectus in scroto. Quartus, Cirsocele, & est quorundã vel omnium vasorũ, quæ testem alunt, dilatatio. Quintus, Hydrocirsocele, & est dilatatio vasorũ vnde aluntur testes, & crudi humoris in scroti aliqua parte collatio. Sextus, Epiplocele, & est omenti lapsus in partem scroti. Septimus, Enteroepiplocele, & est intestini & omenti in scroti partem delapsus. Octauus, Sarcocele, id est, carnosus ramex. Inuenitur etiã exomphalos, id est, procidens vmbilicus, & est vmbilici prominentia diuersis de causis proueniens, sed nos de hernia aquosa & intestinali tantùm, & inguinali verba facie mus, &c.

Loci

Loci consentientes de generibus ramicum.

Gal. lib. de Tum. præter naturam. c. 17. & 18. Induratis testibus σαρκοκήλω nomẽ imposuere: quũ verò in testiũ tunicis humor aquosus colligitur, ὑδροκήλω: si verò omen tũ in testiũ tunicas descendat, ἐπιπλοκήλω, si verò peritoneum in inguina profluat, βουβωνοκήλω: si circa vmbilicum ἐξόμφαλον. & vide Gal. lib. finit. med. Auic. 22. cap. 2. enumerat etiam octo species herniarum, quæ sunt ventosa, aquosa, sanioſa, carnosa, varicosa, zirbalis, intestinalis, & apostemosa, & hoc sub rupturæ nomine. Caput deinde aliud facit de vmbilici augmento, quod alij de eminentia inscribunt, & habet tot species, quot de herniis nuper diximus. Vnde ventosa à Græcis dicitur πνευμόμφαλον, carnosa σαρκόμφαλον, aquosa ὑδρόμφαλον, Zirbalis ἐπιπλόμφαλον: & est omenti in vmbilicum decursus, & sic de singulis. Lege de his fusius iuxta Aet ser. 14. cap. 22. 23. & 24.

De causis ramicum.

Causæ sunt intrinsecæ & extrinsecæ, sicut casus, percussio, plaga, saltus, vel quicunq; alius motus violentus. Causę intrinsecæ sunt per se notæ, nam à flatu flatuosa in parte abdominis contenta, varicosa à latitudine venarum & ab earum imbecillitate prouenit: aquosa ab aqueo humore in

ſcrotum delapſo,& ſic de reliquis.Hæc autem proueniunt peritonei membrana aut nimium extenta aut rupta,&c.

Loci conſentientes de cauſis ramicum.

Aet.ſer.14.cap.22. Aquoſa hernia interdum ex occulta, interdū à manifeſta cauſa cōtingit.Ex occulta,quum aquoſus humor circa partes corpuſculorum, quæ ſcrotum contexūt ac implicāt, ſanguini admixtus, collectus fuerit:ex manifeſta,quū ex plaga colliſis vel fractis vaſis ſanguis affluens in ſubſtantiam aquoſam tranſmutatur, Gale. lib.de Tum. prꝫter naturam cap.18. Interiori membrana quam Græci περιτόναιον vocant,vulnerata ac rupta fiunt ramices, &c. Lege hunc locum fuſius. lege etiam Auic. fen.22.cap.2,ibi, Ruptura fit propter ſolutionē paniculi,&c.lege etiá Arcul.& Paul.

De ſignis ramicum.

Signum cōmune omnibus rupturis eſt tumor inter abdomen & peritoneum apparens. Signa herniæ apoſtemoſæ ſunt ſigna abſceſſuum cōmunia,ſcilicet tumor, duricies,grauitas, dolor, & quod paulatim augetur.Signa herniꝫ zirbalis ſunt,quia paulatim aduenit,nō ſentitur, rugitus eſt paruꝫ quantitatis,nec multū ad profundū olei ſe extendit, nec reſupinato ægro ita facilè reuertitur ac inteſtinalis. Signa enteroceles,

les, id est, intestinalis sunt, facilis reductio, cum resupinatur, rugit dum intromittitur, nisi vel flatus, vel siccæ fæces in causa sint, & tam citò introducatur: est prętereà magnę molis, accidúntq; dolores vehemétissimi, dum oseum extendit, & testiculum cõprimit. Signa aquosę sunt, quòd tactui cedit, & extenditur oseũ: cognoscitur etiã per eius splendorem & lenitatẽ: item quia cum mollitie grauis est, & paulatim fit, nec quocunque ęger situetur, interiora petit. Signa flatuosę sunt, quia redit absque dolore, statim facta compressione, absque quòd æger resupinetur, etiam percussa resonat: nec adest grauitas, nec lubricitas, sed cum lenitate tendit. Signa sarcoceles, id est, carnosę sunt, quia cum duritie tumet, & est absque dolore: non augetur, nec minuitur. Signa varicosæ sunt, quia ipsa est dura, oblonga, veluti virga, cuius crassities excedit aliquando crassitiem digiti: cognoscitur etiam ex repletis venis, &c.

Loci consentientes de signis ramicum.

Auic. 22. cap. 3. Signum autem cõmune rupturis est additio apparens, & sentitur inter sifach & mirach. Signum hernię intestinalis est reditio eius cum velocitate cũ resupinatur, & sensibilitas rugitus, & propriè quũ premitur. Hernia verò ex zirbo

& si fach cognoscitur ex aduentu eius pau latim,&c, legę eum fusius : lege etiam Arcul.9.alm. Item Aet.ser.14. cap.22.& plura intelliges.

De curatione ramicum.

Scopus curandi hydrocelem & flatuosum ramicē est,causam à qua humor aquosus vel flatuosus gignitur, amouere. Quod fiet primò cum phlegmagogis , vel aquosum humorem educētibus pharmacis siue clysteribus,deinde cū resoluentibus, sicuti cum farina fabarum,cimino,emplastrò de baccis lauri , & similibus : deinceps prohibendum est ne noua eodē in loco aqua vel flatus generetur.Prohibēt nonnulli extrahendo aquā, alij cū cauteriis vrēdo vsq; ad epidimin,quē Arabes didimum vocāt, sed revera in hoc casu vstionē valde timeo : nā si epidimis totus vratur , vereor ne testes corrumpantur. Si minus,certum est quòd per partem non vstam adhuc aqua descendet : quare satius mihi videtur aquam resoluentibus extrahi, quàm vrentibus. Cura enteroceles& epipeloceles,id est,hernię intestinalis & zirbalis in duplici intētione consistit,in reductione scilicet intestinotū ad suum situm, & in retentione in situ suo conuenienti, & in constipatione seu consolidatione rupti ac laxati. Reducuntur ad

suum

ſuum ſitum inteſtina & omentum, ſi reſupinato patiente cruribus ſurſum eleuatis leui manu comprimantur, & leuiter agitentur, quibus ob ventum renitẽtibus primùm cum reſoluentibus ac diſcutientibus mollientibúſq; flatũ ſuccurrimus, vt cum decocto altheæ, camomillę melliloti, ſemine lini, fœnugræci, aniſi, cimini, cũ ſpõgia applicato, vel cum oleis camomillæ, anethi, amygdalarũ dulcium, adhibita interim diligẽtia, vt emolliẽtibus ac vnctuoſis clyſteribus fæces extrahantur. Retinẽtur etiã in ſuo ſitu inteſtina pluribus mediis, primò cũ fotu ex aqua vino & aceto decoctionis gallarum, nucum, cupreſſi & aluminis. Secũdò, cũ cerato de pelle arietina, deſcriptione Gẽtilis, ſtringẽdo locũ in quo eminentia apparet cũ angulo, quod vulgò bracheriũ dicũt, nõ mutãdo id, niſi ad decimũ quartũ diẽ. Tertiò, cũ potionibus cõſtipantibus, vnde aliqui vtuntur, ſcrupulo vno limaturæ chalybis cũ vino, in quo hepatica terreſtris, gallæ virides, & nuces cupreſſi incoctę ſint. Quartò, cũ manuali operatione, ſicut cũ inciſione, ac actuali ſiue potẽtiali vſtione. Et modũ incidendi docet Auic. & Albucaſis, & pleriq; alij, quos videre poteris. Cura ſarcoceles, id eſt, carnoſæ herniæ, eo modo erit perficienda, ac ſi eſſet

quid

quidam ſcirrhus. Similiter apoſtemoſum ramicē curabis non aliter, ac curari ſolent alii abſceſſus: eminentia verò vmbilici eandem ferè curationem requirit, ac de herniis dictum eſt, &c.

Loci conſentientes de cura ramicum.

Aet. ſer. 14. cap. 22. Tutiſſima itaque curatio herniarum chirurgia & vſtione perficitur, ſi peritus artifex contingat: poteſt etiā medicamento ſcrotum inuri, & cōſumpto humore & cicatrice inducta firmari, &c. Gal. meth. 14. ca. 13. Quod humor qui in hydrocelis viſitur, alienus à corporis ſubſtantia tota natura ſit, ſicuti etiā quæ in aſcitis hydropibus continetur aqua, dixiſſe ſufficit, quarum certè euacuationem vel medicamentis quæ digerant molimur, vel chirurgia in hydrocele quidē immiſſo ſyphone, in aſciti adhibita punctione, quam paracenteſin vocant, &c. Vide hac de re Arcu. 9. almans. Auice. & Marc. Car. Auic. 22. cap. 5. Si ambo ad oſcum deſcendant, poſſibilis eſt reductio cum reſupinatione & qualibet compreſſione cum manu. Quòd ſi addatur ruptura, incipiatur in deſiccando illud quod dilatatum eſt propter humiditatem, & adunando quod ſciſſum eſt, & ingenietur in conſolidatione eius. Quòd ſi fiat in-

obediés ad redeundū, ſedeat æger in aqua calida, & emplaſtretur ruptura donec redeat, deinde conſtringatur, &c. De cura ſarcoceles lege Gale. 14. meth. ca. 17. nam cum ſcirrhis eum enumerat,

Obſeruationes circa regimen.

Auic. 22. c. 4. Regimen vniuerſaliter habentibus rupturam eſt dimittere repletionem & motum plurimum, & ſaltus, & inceſtum ſubitum & coitum. Item dimittere cibos inflatiuos, & non multum vti potu aquæ, & dimittere omnes res mollificantes, &c. B. Cōſidera quòd cuique ramicis ſpeciei victus ratio ſit in cōtrariū exhibenda.

Conferentia enterocelis & hydrocelis.

Conferunt enterocelis & hydrocelis barba hirci, bdellium, adeps canis cū alumine ſciſſo, cupreſſi folia & nucis, gluten de coriis, muſcus, herba plantago, pſyliū, ſemen lini cū reſina & myrrha, pentaphilon, ruta ſylueſtris, ſymphitum, betonica, tritici paleæ, filix herba cum axungia, lenticula in modum emplaſtri, peucedanum, cerotū de pelle arietina. lege de his in conſiliis Montagnanæ. Item Gord. Sauo. & Arcul.

De prognoſticis ramicum.

Auic. 22. c. 2. Et ſcias quòd ramex inteſtinorū & tribi eſt ægritudo multū difficilis, quātumis ſit parua, & ramex aquæ eſt ægritu

gritudo facilis, & si sit magna: ramex verò ramicosus ac carnosus difficulter aut nunquã sanatur, & randẽ oẽs ramices inueterati, ac longo tẽpore facti, suspecti sunt ne testes corrupant. Aet. ser. 14. cap 24. Cæterùm nosse expedit intestinorũ herniã qualiscunque fuerit, semper aquosa deteriorẽ. Gord. Et quum pertranĩit septem dies, tunc labia fiunt dura & obturata, quorum vnio videtur impossibilis, &c.

De gonorrhœa.

Quod semini profluuiũ Latinè dicitur, Græcè γονόῤῥοια ἀπὸ τῆς γονῆς, quod est genitale semẽ, & ῥεῖν quod est fluere, appellata est quæ nil aliud est quàm inuita ac præter voluntatem & pudendi tensionẽ, seminis excretio. Sunt tamen qui differentiam inter semen & genitură esse dicant, vt semẽ tantùm in his esse velint qui generare adhuc non possunt, econtrà verò genituram.

Loci consentientes de gonorrhœa.

Gal. 6. de loc. aff. ca. 5. Gonorrhœa est inuita ac præter voluntatẽ seminis excretio. Et paulò pòst, significantius dices esse assiduam seminis excretionem haudquaquam cole extenso. Aet. ser. 11. cap. 33. Gonorrhœa est seminis excretio præter voluntatem ac pudendi tentiginem.

De cauſis gonorrhœæ.

Cauſæ ſunt vel ſpermatis copia, vel eius tenuitas & acrimonia, vel multitudo eorũ quæ generant ſperma, vel erunt imbecillitas retentricis aut facultatis, aut expulſorię fortitudo in ſeminariis vaſis: vel gonorrhœa ex conuulſione cõtingere poteſt, aut ex renibus ob eorũ adipis liquefactionem, quæ fieri poteſt à nimio coitus deſiderio, aut à multitudine coitus, aut eius cogitatione.

Loci conſentientes de cauſis gonorrhœæ.

Gal.6.de ſymp.cau.cap.4.Gonorrhœa ſi pudendo non intento euenerit, retentricis facultatis in ſeminariis vaſis imbecillitatẽ ſequitur. Si verò intento cole acciderit, cõuulſioni quodãmodo ſimilis erit affectus, &c.Vide Gal.6.de loc.aff.ca. 5.ibi, Nã ſicut retentio, &c.Vide etiam Aet.11.capi 33 ibi, Fit gonorrhœa ex vaſorum ſeminaliũ fluxione, &c.Vide etiã Auic.20.c 30.ibi, Cauſa aut eſt in ſpermate, aut in vaſis ſeminalibus, aut in renibus & lacertis, aut in principiis ex ſpermate vel ob eius copiam, & tenuitatem, &c.

De ſignis gonorrhœæ.

Signa quãdo fit ex multitudine ſeminis ſunt, quia ad copiam coitus nulla corporis imbecillitas ſiue diminutio ſequitur. Signa tenui

tenuitatis ſeminis ſũt manifeſta inſpiciẽti ſperma. Signa mordacitatis ſeminis ſunt, quia in exitu dolor percipitur, adeſt ardor vrinæ, & color eius ad flauitiem decliuis eſt. Signa imbecillitatis retentricis ſunt, quia ſine erectione virgę ſemen egreditur: ſi à conuulſione hoc malum proueniat, adcrit erectio, &c.

Loci conſentientes de ſignis gonorrhœæ.

Auic. 20. cap. 3. Illã in qua cauſa eſt ſpermatis multitudo non ſequitur debilitas & diminutio cum multitudine coitus, &c. Et illa quæ fit à tenuitate eius, cognoſcitur cũ turmis ſpermatis præſentia. Et illa quæ fit propter acuitatem & mordicationem eius, ſentitur ipſa in egreſſione, &c. Lege Aet. ſer. 11. ca. 33. & Gal. 6. de loc. aff. cap. 5. &c.

De cura gonorrhœæ.

Similis erit huic cura, qualis in omni fluxu parari ſolet: primò cũ pauco cibo & potu, & ſi à læſa retentrice gonorrhœa oriat, cataplaſmatis, in ſeſſionibus adſtringentibus vtendũ, ex lentiſco, rubo myrtho, acatia, hyciſthide paratis. Si fiat à multitudine ſeminis, euacuetur primũ, deinde ſperma exiccetur. Exiccant ſperma rad. nenupharis. 5. lactucæ, portulacæ, rutæ, agni, id eſt caſti, folia ſalicis, ciminũ, calamẽtũ, mirrha

rha,euphorbium,item diaciminum,&c. Si fiat à tenuitate ſpermatis,tẽperetur cũ ſtypticis calefacientibus exiccando, & craſſitiem inducendo. Si a facultate expulſoria, tunc vtendũ eſt frigidis & parumper ſtupefacientibus,&c.

Loci conſentientes de cura gonorrhœæ.

Auic.lo.ci.capit.32.Minoretur cibus, fiat euacuatio & adminiſtrẽtur ea quæ exiccãt ſperma,& minorant ipſum. Euacuatio tenuitatis eius eſt cũ eis quibus ineſt ſtypticitas, & calefactio cũ exiccatiuis permixta, &c.Vide illum fuſius.Aet.ſer.11.cap 33.Primùm in quiete & pauco cibo & aquæ potu affectos obſeruare oportet, cibi non facilè corrumpãtur,nec difficulter permutentur, & reſiccandi vim habeant,&c.B.Quòd ſint in quiete, intelligendus eſt Aetius in primo morbi tempore:nã poſt hoc exercitiis ægros eſſe committendos ait Paul. quibus totum corpus & affectæ partes firmentur.

Obſeruationes circa curam.

Cauendũ eſt primùm, ne quum craſſitiẽ tenuitatis genituræ inducere quæras, aliquid in medicamentorum cõpoſitione addatur,quod genituram adaugeat,&c.

Conferentia gonorrhœæ.

Cõferũt gonorrhœæ agnus,id eſt caſtus,

aqua frigida,calamentũ,camphora, lac capræ cum melle potatum, caſtoreũ cũ ſucco agni,caſticoreũ,hæmatites lapis,eruca,lactucæ ſemen, nymphæa,portulaca, plumbi lamina,ſemen rutæ, ireos, diapraſium Nicolai,electuarium Sauo.

De prognoſticis gonorrheæ

Aet.ſer.11.cap.33.Nõ ſolùm autem viris, ſed & mulierculis hoc malum accidit,& in fœminis ægrè tollitur,&c.

De priapiſmo.

Priapiſmus eſt genitalis mẽbri tentigo in lõgum & latum citra Veneris appetẽtiã aucta,& denominatur à Priapo, quẽ talem membrũ habuiſſe ſuapte natura finxerunt homines.Sunt qui hanc affectionẽ Satyriaſim nominent,à Satyro etiã priapo dictam: ſed quũ Pau.diſtincta capita de ſatyriaſi & priapiſmo habeat, deſcribatúrque ab ipſo σατυριασις ἐστὶ παλμὸς τῶ αἰδοίω,&c.fecit vt rem à priapiſmo diſtinctã aliqualiter eſſe dubitarem ob eorum cauſam,de qua infrà fuſius dicitur.

Loci conſentientes de priapiſmo.

Gal.6.de loc.aff.c.5.Priapiſmus eſt, cùm coles & in longitudine & circulo totus augetur,nullo ſtimulante ad libidinẽ deſiderio,aut acquiſito calore,vt quibuſdam accidit,qui ſupini decũbũt.Lege ſimilẽ deſcriptio

ptionem iuxta Gale.9.de compos.med.per loc.capitu.9.ibi, Priapismus est auctio pudendi,&c.

De causis priapismi.

Causæ huius affectus sunt tres,prima arteriarũ ora immodicè patẽtia:secunda, vaporosus spiritus in fistuloso neruo ortus: tertia, est rei venereæ abstinentia.Ora arteriarũ patẽt vel ob humorũ vitia, vel ob flatuosum spiritũ sine ordine & violenter euacuatũ:flatuosus verò spiritus fit ab humore viscoso crassóque, cum caloris paucitate. Abstinẽtia rei venereæ accidit ob seminis retenti multitudinem,&c.Satyriasis,de qua superius mẽtionem fecimus, est assidua cordis palpitatio,quæ cũ vasorũ seminis inflãmatione,interdũ cum intentione accidere solet: quæ si tantum à flatuoso spiritu fiat, nullo modo à priapismo differre potest.

Loci consentientes de causis priapismi.

Gale.6.de loc.affec.ca.vlt.Fit priapismus vel ob arteriarum ora immodicè patentia, &c.Lege etiam Gal.in lib. de Tum. præter naturam capit.15.ibi,Pudendorũ tensiones præter naturam quæ non desistunt,quidam σατυριασμὸν, quidam πριαπισμὸν nuncuparunt.vide horum differentiam postea 6. de loc.affect.capitu.vlti.Vide etiam causas

flatuosi spiritus.14.meth.cap.7.Item. 6. de sympt.cau cap.2. De satyriasi,vide Paul.de prima palpitatione locutũ. De secũda fecit mentionẽ Aet.vnà cũ priapismo. Auic. 20. c.37. Causa propinqua tensionis est multitudo ventositatis crassæ in partibus membrorum coitus aut materiæ vẽtosæ, in ipso morbo cõcauo,aut superueniens eis ex arteriis aut vasis spermaticis.

De indicijs priapismi.

Indicia per se sunt manifesta ex definitione data,& ex infirmi relatione: lege tamen Gal.14.meth.c.5. In iis qui sic sunt affecti, etiam inuitis pudẽdum arrigitur,quod vbi viderit quispiam, statim intelliget esse ex inflammationum genere,&c.

De cura priapismi.

Si causa fuerit materia flatum efficiens, tunc tres medendi intentiones insurgunt: prima regimen victus,secunda est euacuatio, tertia materiæ discussio & resolutio. Regimẽ sit attenuãs absq; manifesta calidi tate.Euacuatio fiet vel per sanguinis missionem,vel per purgationẽ, tum per vomitum,tum per ea quæ per inferiora soluunt. Residuũ materiæ discutitur per frictiones crebras, per exercitium & balnea ex aquis digerentibus, & per ea quæ vnico verbo calefaciunt & exiccant. Sed interim

per

per initia si calidior materia fuerit, ea imponenda quæ caloris proportioni respondeant, vt cum cerato rosaceo, infrigidante Galeni, cum lamina plumbi, &c. Digesta materia tunc ad dissoluentia accedendum sine calefactione vehementi: si autem cum camomilla, agno, id est, casto, &c.

Loci consentientes de cura priapismi.

Aet. ser. 2. capit. 32. loquens de regimine inquit, Hac affectione prehensos, inedia vsque ad tres dies adseruare conuenit, vtendúmque esse cibis qui leniter attenuare valeant citra manifestam caliditatem, &c. Itidem ait Galen. 14. met. & capi. 8. & 9. de cõpos. med. per loc. capit. 9. ibi. Palàm est non oportere membra ipsa calefacere, sed refrigerare leniter per ceratũ rosaceũ, &c. Lege etiam fusius in meth. cap. 8. ibi, Principium curationis cõmune est, vt totum corpus ea quam ferre potest euacuatione euacuetur: euacuatio fiet per missionem sanguinis, &c. lege eum fusius, & plura à me recitata intelliges, &c.

Obseruationes in cura.

Aet. ser. 2. capit. 32. ait cauenda esse quæcunque vrinam citare possunt, & omnia quæ venerem prouocare valeant. Auic. fen. 20. cap. 39. Dimittat coitum omnino, &

cogitationem in eo,& considerationem ad id quod mouet desiderium, nisi acciderit priapismus propter emissionem coitus: nã tunc coitus est curatio,&c.

Prohibentia satyriasim & venerem.

Prohibent satyriasim & venerem vitex, allium,berbena,camphora,cicuta, cataplasmata,coriandrum,eruca,ruta, lactuca, mẽta,fimus muris, & nypmhæa, salicis folia, portulaca,rosa,plumbum,stannum,nepita, faba & diaolibanum Nic.

De prognosticis priapismi.

Aet.ser.2.capit.32 Cæterùm dolores eis cõtingunt,quales tetanici habent, & hi qui reliquis mẽbris distendunt, & ex præcipiti hoc modo affecti pereũt, nisi cõfestim eis auxiliũ feratur:quũ verò moriũtur, venter eorũ inflatur,& frigidum exudãt,&c. Auic. loc.cit.cap.37.Et hoc accidens quando nõ curatur, peruenit ad tetanum vasorũ spermatis, & accidit apostema calidum cũ eo, & interficit,&c.

Authores dissentientes circa Venerea.

1 Adserere,desyderium coitus esse tantùm ex cerebro ob virtutem imaginatiuam.
2 Adserere, gonorrhœam esse passionem propriã pudendi & expultricis facultatis.

3 Adser

3 Adſerere, coitum nec per ſe, nec per accidens valere in ægritudinibus cerebri pituitoſis.

4 Adſerere, ſatyriaſim eſſe morbum ridiculoſum potius quàm curandum.

Confutatio diſſentientium circa Venerea.

Ad primum reſpondetur, quòd duplex eſt deſyderium: alterum ſcilicet animale, quod in concupiſcentia inuenitur: alterum naturale ex repletione ſpermatis, quã euacuare tentat natura. Primum vt quædã cõcupiſcentia à corde oritur, licèt per cerebrũ poſteà perficiatur. Secundum prouenit à iecore, vnde Auic. Et deſyderium coitus eſt ab hepate, &c igitur non tantũ ex cerebro, ſed ex aliis etiã mẽbris principalibus.

Ad 2. dicitur, quòd iuxta Galeni placitũ, gonorrhœa ſit paſſio per ſe retentoriæ facultatis, & propria vaſorum ſeminalium, ſed per accidens expulſoriæ, & ſecundum apparentiam ipſius pudendi, & hoc affirmant Auic. & Sera. Non erit igitur proprius expultricis nec pudendi affectus, ſed per accidens.

Ad 3. inquit Auic. coitum maximè præſtare ad euacuationem & diuerſionem ſuperfluitatum, vnde in ileo morbo præſertim iuuat, quoniam cauſam ægritudinis,

que fit ob amorem, remouet, & paratos cadere in ægritudines phlegmaticas ex eius multitudine liberat, si moderatus præcipuè fuerit,&c.

Ad 4.Auic. Perducit hominẽ ad ſpaſmũ, & tantum vaſorum ſpermatis, & interficit. Vnde morbus hic valde timendus eſt,& nõ ridendus,vt aliqui adſerunt,&c.

De ſuppreſſione menſtruorum.

Menſes ſunt mulierum profluuia, à vitiato humore depẽdentia, eóque dicti ſunt quòd ſingulo menſe accidant. Tempus durationis menſtruorum multis mulieribus eſt à primo vſque ad tertium diem,nõ paucis à primo vſque ad quintum, aliis ad ſeptimum, & rarò ad duodecimum accedit profluendo: incipitque fluere à quartodecimo anno, paucis ante 13. aut 12. nec vltra quinquageſimum fieri ſolet: imò à triginta quinque annis præſertim obeſis mulieribus ſolet ceſſare,&c.

Loci conſentientes de ſuppreſſione menſtruorum.

Galen.6.de ſympt.cauſis capit.4.Menſes ſunt depauatæ per vterum fluxiones, quæ expurgato per hãc partem vniuerſo corpore fiunt.Paul.lib.3.cap.60.Mulierum plurimis menſes quartodecimo anno fluere incipiunt,paucis ante 13.aut 12.pleriſque poſt

14.

14.erumpunt.Haly.Abb.9.de paſſ.matri.latitudinem inceptionis menſtruorum eſſe inquit à quarto anno completo vſque ad 14.& latitudinẽ deſinẽtiæ à 36. vſque ad 50. & hoc idem affirmant Auic.& Ariſto.9. de animalibus, & hoc intelligitur de vniuerſali durationis tẽpore.Particulare verò incipit à duobus diebus,& ſe extendit vſque ad ſeptem.Gal.5 apho.Tempus menſtruationis durat à 3.die vſque ad 8.quòd ſi vltrà citràque fluxerit,talem fluxum præter naturam diximus,&c.

De cauſis ſuppreſſionis menſtruorum.

Menſtrua ſupprimuntur vel per ſe affecto vtero, vel per conſenſum. Per ſe afficitur vterus vel ex duritie contracta, vel ex venarum anguſtia, vel ratione facultatis expulſoriæ, quæ ob malam intemperiem oriri ſolet. Supprimuntur rurſus, obſtructis vaſis, quæ ad vterum deſcendunt, & hoc vel ratione caloris deſiccantis, vel ob copiam humorum craſſorum, vel ob abſceſſum,vel carnem additam. Siſtũtur etiá menſes ſi ad alia loca ſanguis transferatur,vel ob varia excretionum genera &c. Per conſenſum etiam ſupprimuntur, vel ratione hepatis ſanguinem non diſcernentis, vel ratione obſtructionis totius corporis, vel aliorum membrorum particula-

rium,&c.

Loci consentientes de causis suppressionis menstruorum.

Gale.6.de sympt.cau.ca.4. Suppressionis causa menstruorum vel est durities vteri, quæ vel illico ab origine contrahitur, vel post generationem: & hoc ratione vteri affecti,qui ex venarum angustia,aut ex vasorum vteri compressione, quum immodi cè corpus crassescit, aut ex intemperie vteri procedit. Detinentur etiam menses ob materiã ipsam,quũ crassum fuerit vel viscosum quod euacuatur.Supprimuntur rursus obstructis ob huiuscemodi humores vasis, quæ ad vterum descendunt, vel ratione vniuersi corporis,&c. lege tu fusius Aet. ser. 16.cap.51.Sistuntur menses quibus sanguis crassus est & viscosus, & quibus ad alia loca transfertur, velut per nares & sedem: Quin & sanguinẽ ex torace reiectantibus, vel quibus per venæ sectionem multus extrahitur,&c.Lege de his causis Gal. aphor. 5.cõment.57.Item Auic.fen.21.capit.25.ibi, Menstrua retinentur aut propter causam propriam,aut communem,&c.

De signis suppressionis menstruorum.

Suppressio menstruorum quæ fit à frigore,cognoscitur grauitate, somno, coloris albedine,pulsus raritate, copia vrinæ,& excret.

excretione pituitosa. Quæ verò fit à calidi tate demonstratur ex inflatione ac exiccatione vteri, vel ex his quæ vterũ radunt ac mordent: quę verò fit à siccitate, manifesta tur ex his quæ præterierunt, præsertim ex extenuatione corporis & venarũ tenuitate: quæ autem fit ab abscessibus vel carne addita per obstetricem, cum signis abscessuum cognoscitur. Similiter quæ fit à duritie vel à conceptione, per obstetricem vteri ceruicem tangentem cognoscetur, &c.

Loci consentientes de signis suppressionis menstruorum.

De signis lege Auic. 21. cap. 27. illius quę pendet à frigore, signum est grauitas somni & profundatio in ipso, & albedo coloris, viriditas venarum, & raritas pulsus, & multitudo vrinæ, & phlegmatica egestio, & reliqua. Lege eum vberius. Gal. 6. de loc. aff. cap. de vteri aff. citat aphorism. 39. lib. 5. ibi, Si mulier quæ neque grauida est, neque peperit, lac habet, menstrua huic defecerunt, & ibi alia indicia suppressionis ponit: nam inquit, Grauitas totum corpus molestat. Item fastidiũ, vt nulla adsit cibi cupiditas, horor inæqualis. Quòd si inæqualitas sine horrore euenerit, alienáq; cupiat, iube quòd obstetrix vteri ceruicem tangat: nam dictum est ab Hippoc.

aphor.

aphor.5.aphor. 34. Quibus os vteri durũ eſt,his vteri os cõprimi eſt neceſſariũ:quòd ſi citra duritiem clauſum ſit,eam prægnantem eſſe coniicies:quòd ſi clauſum ſit cum duritie, effectum eſſe vterũ protendit, &c. lege tu fuſius.Lege etiam Aet.ſer.16. capit. 54.ibi,Supprimuntur ex frigidiore tẽperatura,&c. Quod per excrementa corporis ſigna habere poſſimus,elice ex Galen.6.de ſympt.cau.cap.4.ibi, Talem ſemper refert ſpeciem id quod excernitur, quale eſt id quod in animante redundat,&c.

De cura ſuppreſſionis menſtruorum.

Cura retentionis menſtruorum duobus ſcopis indiget:primum in remouenda cauſa, alterum in prouocandis menſtruis. Si cauſa igitur fuerit vehementiſſimus calor menſtrua cohibens,tunc prouocare ea non licet,quum ſat ſit ab hoc calore ſuperfluitates abſumi. Si verò in cauſa fuerint longæ ægritudines præcedentes cum imbecillitate virium, tunc nec prouocanda ſunt quum corpus potius reficientibus quàm euacuantibus indigeat.Si verò cauſa fuerit materia pituitoſa, tunc in medendo opus eſt, materiam,à qua menſtrua corrumpuntur,& à ſuo naturali ordine mutantur,præparare,& præparatam euacuare. Præparatur craſſa attenuando,& obſtructa aperiendo

do cum oxymelle, sy. bisantino de duabus rad. cum aquis fœniculi, apii, cuscutæ. Euacuatur cum his quæ humorem superfluum educunt, vt cum agarico, electuario indo, diaphinicone, &c. & si qua mala fuerit intemperies relicta, tũc his remoueri debet, quæ stomachum & hepar roborant, quales sunt multæ confectiones, &c. Quòd si mensses retineantur ab aliquo abscessu, curatur cura apostematum, vt pluries dictum est. Si causa fuerit pinguedo, tunc adhibitis resoluentibus curabitur, cum exercitiis & ieiuniis, &c. Si causa fuerit aliquod vlcus, tunc cura erit impossibilis: & si quid curæ fuerit, tunc per regimen & frequentem venæ sectionem fiet vt sanguis per tenuem victum & sanguinis missionem, qui fluere per intestina consueuerat, discutiatur ac euacuetur. Prouocant deinceps menstrua decoctum quinque rad. cum sabina, pulegio calamento, mentastro, origano cũ syr. de duabus vel quinque rad. Prouocant valenter trochisci de Razes, cassia lignea, crocus, cinnamomum, borax aurificum. Item balnea, frictiones & cucurbitulæ poplitibus ac coxarum parti domesticæ applicitis, item saphenæ venæ incisio, & pessaria ex mercuriali & melanthio cum muscо in rara syndone, &c.

Loti

Loci consentientes de cura suppressionis menstruorum.

De cura lege Aet.ser.16. cap.53.ibi, Quæ ob nimiam caliditatem non purgatur, quã maximè humectare oportet cũ balneis, & vberiore ac humidiore cibo & potu, quæ ob nimiam frigiditatem oppositam curationem exposcunt, &c. Gal.aph.5.commẽt. 36. Intentio sanationis est primùm ora venarum adaperire, quę ad vterũ pertingunt, sanguinémque extenuare, deinde purgagationem adhibere: nam quãdo crassi euacuãtur humores, tales sanantur dispositiones, &c. De prouocandis menstruis lege apho.28.lib.5. ibi, Suffitus aromatũ muliebria ducit, sępius verò & ad alia vtilis esset nisi capitis facerent grauitatẽ. &c. B. Veritatem nõ cõtinet apho. in omni mẽstruorũ suppressione: nã si detinentur menstrua ob vteri inflãmationẽ, aut tẽsionẽ, aut ob alias similes causas, nihil suffitus aromatum prodest, sed si sistũtur ratione sanguinis crassi vel obstructionis vasorũ aut substãtiæ dẽsitatis, verũ est, ꝙ per aromatũ suffitus menses euocãtur, quum crassa extenuat, obstructa incidendo reserat, & obserata aperit. Quæ verò sint aromata docet Ga. esse amomũ, cassiam, costũ, cinn. &c. vide Auicen. 21. tra. 3. cap. 28. Vide etiam Arcu. & Marc. Cat.

Prouo

Prouocantia menstrua

Prouocãt menstrua absinthium, acorus, agaricus, agnus castus, alliũ, aloës, amaracum, amygdalæ amaræ, abrotanũ, artemisia, assa, ciclamẽ, calamentum, chamedrys, chamæpithys camomilla, cantarides, castoreum, centaurium, cinnamomum, cupressus, cyperus, cucumer agrestis, naucus, helenium, eupatorium, phaseoli rub. lens syluestris, galbanum, ammoniacum, iris, lupini, maiorana, cuscutæ, laurus, laudanum, marrubium, melissa, mentastrum, matricaria, mercurialis, myrrha, nasturtium, ouum anatis, origanum, ozimum, papauer, rub. pastinaca, pęonia, peucedanum, pulegium, raphanus, rosmarinus, rubea tinctarum, ruta, sambucus, saluia, saturegia, sauina, serpillum, sinapis, scamonium, scilla, spica, vrtica, vsnea. Compośita sunt diacalamẽtum, diatrion, pipereon, diaphrasium, troc. de myrrha, theriaca magna, triphera magna, ilulæ fœtidæ de serapino.

De prognosticis suppreßionis menstruorum.

Aet. ser. 16. capi. 52. Suppressis menstruis sanguinis reiectationis ac syderationis periculũ imminet, &c. lege nõnulla etiã iuxta Gale. 6. de loc. affe. cap. 4. Quæ intelligi, tam possunt de menstruis quã de retẽto semine

mine Auic.21.tra.3.cap.26. Suppressis mensibus ei cui virtus ad excernendum est potens, assimilatur vtris, & multiplicatur capilli, & nascitur ei velut barba. Quare frāgitur forma eius & incrassatur, deinde moritur, & interdum prouenit ante mortem ad dispositionem, cum qua non est possibile vt prouocentur menstrua. Hippoc. apho. 5. aphoris. 34. Menstruis deficientibus sanguis ex naribus fluens, bonum. Et aphoris. 37. eiusdem, Si menstrua plura fiant, accidunt morbi: & si non fiant, ex vtero morbi contingunt. B. Quasi dixerit, si menstrua detinentur, necesse est processu temporis ipsum vterum pati: lege Gale. comment. Et aphor. 5. aphor. 61. Si mulieri cessent purgationes, neque febris neque rigor superueniat, & fastidia accidant, iudica ipsam in vtero habere.

De mensium profluuio & eius causis

Duplicem hic affectus habet causam, vel ab vtero vnde emanat, vel ab ipso humore fluēte. Prima fit aut ab vteri imbecillitate, aut ab eius venarū apertione, aut à quopiā vlcere corrodente vel scissura. 2. bifariā fieri contingit, vel ab ipsius sanguinis quantitate vel qualitate. Quantitate vel causa repletionis nimium corpus aggrauantis, vnde

vnde fit euacuatio, quæ vel naturalis vel nō naturalis erit. Naturalis, quum à natura ita fiat, vt superfluum tantummodò expellatur: non naturalis, quum ob suam multitudinem & dominium immodicè profluat: qualitate, vel causa caliditatis sanguinis vel tenuitatis. Interdum etiam supe fluunt menstrua causa abortiui fœtus, vel ob partus grandiores, &c.

Loci consentientes de causis profluuij menstruorum.

Gale. Aphor. 5. comm. 57. Fit immodica menstruorum euacuatio si ora vasorū quæ ad vterum pertingnnt, vltra modum aperiantur, aut si sanguis vel calidior vel tenuior fiat, aut sua multitudine modum naturæ conuenientem excedat, aut totū corpus aggrauet, &c. Lege etiam Auic. 21. tra. 3 cap. 2. ibi, Superfluitates quandoque fiunt secundum semitam ægritudinis, aut propter dispositionem in matrice, aut propter eius debilitatem, aut malitiam complexionis, aut propter vlcera & corrosiones, &c. Lege etiam Paul. libr. 3. ibi. Fit etiam ōb partes grandiores & crebrò ob abortiui fœtus causam, &c.

De signis profluuij menstruorum.

Signa menstrui ab imbecillitate vteri, aut ab apertione venarum prouenientis

erunt, si sanguis exierit purus, nullum dolorem inferens ab vlcere, si profluat paulatim, & maximo cum dolore prodeat. Consyderentur tamen & quantitas ipsius fluentis sanguinis & modus delationis: nam amplioribus vasis ruptis magna sanguinis copia statim profluit, minoribus verò nõ itidem. Signa ex quãtitate sanguinis nimium corpus replentis sunt. Signa repletionis, vt venarũ latitudo, exuberans faciei & corporis repletio quæ interdum cũ dolore est. Signa quando sit à mala qualitate, sunt caliditas, tenuitas, acrimonia & color prauus. Signa immoderatæ euacutionis sunt color fœdus, pedes tumescunt, concoctio vitiatur, & prosternitur corporis robur, &c.

Loci consentientes de signis pro fluuij menstruorum.

Auic. 21. tra. 3 cap. 3. Factam à debilitate matricis & apertione venarum significat exitus sanguinis puri non dolorem faciens, &c, Lege eum fusius. Gal. 6. de loc. aff. ca. 4. Quum immodicè euacuantur, sequitur color fœdus, pedes molli tumore attolluntur, corporis robur prosternitur, ciborum tum concoctio, tum cupiditas vitiatur, atque in totum omnia quotquot immoderatam sanguinis euacuationem siue ex hæmorrhoide, siue alio quopiam sanguinis fluore eue-

nient

nientem sequi consueuerunt, accidentia huiuscemodi fœminas infestant, &c. Lege Arcul. & Aet.

De cura profluuij menstruorũ.

In superfluo mensium fluxu binæ requiruntur intensiones, quarum altera in remouenda fluxus causa consistit: altera in retinendo fluxum: verùm in praxi vltimum quod est in intentione, primum esse debet in exequutione. Si igitur causa multitudinis sanguinis menstrua superfluxerint, tunc sectione venæ, & victu tenui, qui sanguinem non adaugeat, succurrendum. Si verò continui ac calidi sanguinis fluxus accidat, tunc sanguis cum syr. ros. de granatis, de suc. acet. cũ aquis acetosæ, portulacæ, plantaginis alteretur: & si quid bilis secum admixtum sit, euacuetur cum myrobalanis, cassia & rheub. Deinde sanguinis discrasia cum diarrhodone, triasandalis, vel cum epithemathe ex aqua ros. plantaginis & vnctionibus frigidis remoueatur. Si vasorum apertio in causa sit, per obturationem, & ruptura per conglutinationem, & erosio per renutritionem curabuntur. Si causa fuerit vteri imbecillitas, per aromata styptica quæ sua proprietate roborant, curabitur: si causa fuerit vlcus, tunc opus sunt duæ intentiones, absterso scilicet

& conglutinatio, &c. Et hæc de prima intentione. Secunda, intentio est sanguinis cohibitio, quæ duobus mediis perfici potest: primo diuersione, vt sanguinẽ ad alias partes reuocemus: secundo cohibitione, restringendo & viã intercipiendo per quam sanguis debet fluere. Diuersio igitur fiet per sectionem venæ hepaticæ vel basilicæ, aut per impositionem cucurbitularum sub manibus ante cibũ, vel sub brachiis cũ vehementi frictione. Interceptio viarum per quas sanguis fluit tum intrinsecè tum extrinsecè fieri potest: intrinsecè cum syr. frigidis stypticis, qualis est syr. ros. myrthinus de portulaca, cum aquis plantaginis, solatri, acetosæ, quibus adiici pòtest troc. de charabe, de terra sigillata, de spodio, cum semine acetosæ, item pilulis corallorum rub. lapidis hæmatitis, electuar. de scoria ferri & triphera ex arte phemonis, &c. Valent etiam in hoc casu nascalia ex coto in suc. plang. immerso cum bolo armenio, sanguine draconis, &c. Item balnea & inunctiones ex rebus stypticis, vt ex rosis, cort. granatorum, gallis, balaustiis, acatia, hypocysthide, &c. Quæ omnia quũ nihil profecerint, ad narcotica, considerata primùm virtute, refugiendum, qualis est athanasia Nic. & phylonium.

Loci

Loci consentientes de cura.

De cura lege Auicen. 21. tra. 3 cap. 4 ibi, Facta à multitudine aggrauante corpus, &c. Si fiat à bile, euacuetur cum myrobalanis, in quibus est virtus stiptica: si ab vteri imbecillitate, dentur aromata, &c. Galen. 7. de compos. med. per loc. cap. 4. Osculi vasorum apertio per obturationem, & ruptura per conglutinationem, & erosio per renutritionē curatur, &c. Et meth. 5. ca. 4. & 5. Existimanda est profusionis quantitas: nam si perruptum vas aliquod magnum est, aut vehementer reclusum hiat, vtique adstringentibus medicinis opus est, veluti balaustio, hypocystide, omphacio, acatia, gallis immaturis & malicorio. Sin vel exiguum vas est perruptum, & non multus profluit sanguis, tunc aloë, & manna, & pini cortex, & lematum sigillum, lapis hæmatites, & alia similia ex austero vino nigro vtilia medicamenta. Vide etiam de cucurbitulis ad mamillas applicandis meth. 13. ca. [illegible] .19. ibi, Sic nanque ad mamillas cucurbitulas imponimus, quum sanguis ex vtero profluit. Itidem metha. 5. capit. 3. Hippoc. Aphoris. 5. Apho. 50. Mulieri si vis menstrua cohibere, cucurbitulam quàm maximam ad mammas appone, &c. De regimine vētus lege Act. ser. 16. cap. 64. ibi, Imperandum est

vnius aut alterius diei ieiunium, &c. Legē etiam Auic. fen. 21. capit. 4. ibi, Cibetur ipse cum eis quæ sunt vitelli ouorum, &c.

Sistentia ac supprimentia menstrua.

Sistunt ac supprimunt menstrua acatia, acetosa, alumen, aizoon, aqua aluminosa, balaustia, barba hirci, bolus armenius, blactæ pisantiæ suffumigium, castanearum cortices, cauda equina, cornu cerui vstum, cicuta, citonia, coagula, consolida, coralli, coriandrum, lapis hæmatites, hepatica, vinum extinctionis ferri, fimus capræ, gallæ immaturæ, gypsum gumi arab. glandes, granatorum cort. & flores hyosciami, charabe, lapis iaspis, lentes, lentiscus, lycium, semen mandragoræ, margaritæ, mastix, menta, millefolium, myrrha, myrthus, frondes mori, mumia, nymphea, olibanum, oliuæ, polygonium, portulaca, cortices interiores quercus & vlmi, rota. rubri, sanguis draconis, siliquæ Aegyptiæ comestæ, solatrū, sumach, scoria ferri, vernix, spodium, spica inda, virga pastoris, flores vitis agrestis, hypocystidis succus, peunidi acerbi & agrestis. Compos. sunt conf. alchechengi Auic. 1.5. confectio scoriæ. Auic. 3.5. diaolibanum Nic. phylonium Persicum Mes. syr. de myrtho, de portulaca, theodoricon magnum,

Tri

Triphera minor fœnonis, Mes. Troc. de terra sigillata, de charabe, de spodio, de chileta, athanasia Haly. 6. ant. &c.

De prognosticis suppressionis menstruorum.

Hipp. Apho. 5. Aph 56. In fluxu muliebri si conuulsio & animi defectus aduenerit, malum. B. Nam ad omnem immodicã euacuationem, tanquam casus cõmunis, animi defectus accidere solet. Vnde Gal. meth. 5. cap. 5. Profluere prohibetur ob animi deliquium, quod sæpius accidere solet, &c. Et Aph. 5. Aph. 57. Si menstrua plura fiant, accidunt morbi: & si non fiant, ex vtero morbi contingunt. Auic. 21. ca. 2. Et illud est deterius, quod ex complexionis malitia oritur. Et quũ superfluit sanguinis fluxus, sequitur debilitas appetitus & digestionis, aut extremitatum inflatio, & coloris malitia, & interdum perducit ad hydropem, &c.

De doloribus iuncturarum, siue articulari morbo & podagra.

Dolor iuncturarũ est tristis sensatio earum à mala intẽperie, vel à soluta continuitate eis accidente proueniens. Cuius species sunt arthritis, podagra, ischias, gonagra & chiragra. Morbus igitur articularis, quem Græci ἀρθρίτιδα vocant, est defluxus humorum ad artus siue iuncturas pedum

ac manum, cum dolore & tumore. Podagra est pedum affectio, ab humore calido vel frigido, dolorem inferens, etiam neruis patientibus. Ischias est coxarũ dolor diuturnus ac difficilis, à materia fluente ad vertebras ischiæ, & ligamenta, vsque ad poplites & suras. Gonagra est inflammatio genuum cum intenso dolore. Chiragra est manuum dolor, à materia in neruis & tendonibus manuum contenta.

Loci consentientes de dolo. &c.

Galen. lib. fin. med. Arthritis morbus est inflammatio articulis accidens, quæ magnũ dolorem neruis patientibus adfert. Et Aph. 6. comment. 49. Podagra est inflammatio pedum à fluxione humorum causata. Paul. lib. 3. cap. 77. Coxendix est dolor à natibus inguinibúsque ad genua vsque, in plurimis autem ad summum pedem pertingens. Aui. cap. de dolo. iunct. Sciatica est dolor, qui incipit à iunctura anchæ, & descendit retro ad coxam, & quandoque extenditur vsque ad genu & ad calcaneum, &c.

De causis articularis morbi.

Causæ efficientes vel sunt extrinsecæ vel intrinsecæ. Extrinsecæ sunt casus, percussio, propulsus, vel luxatio, labor intempestiuus, potio frigida insueta, nauseatiua satietas, nimia repletio, & omne quod bonam

digest

digestionem impedit, & superfluitates multiplicat. Item consuetarum euacuationum retentio, item mœrores, curæ, & reliqua animi pathemata. Causæ intrinsecæ sunt vel ex parte membri suscipientis, vel ex parte fluentis materiæ. Causa instrumentalis est dilatio meatuum naturalium accidentalis, quæ fit vel propter membri imbecillitatem, aut propter eius malam intemperiem Rursus imbecillitas membri vel erit à sui origine, vel propter caloris vehementiam, aut propter motũ, vel dolores, vel causas extrinsecas. Causa materialis maiori ex parte erit pituita, sæpe sanguis, rarò bilis, rarissimè omnium atra bilis, &c.

Loci consentientes de causis articularis morbi.

Paul. lib. 3. cap. 78. Cæterùm hoc mali frequenter antecedit improbus labor, vehemens ambulatio, equitatus creber, vsus Veneris intempestiuus, insueta frigidæ potio, &c. Lege eum fusius, & plura inuenies. Lege etiam Auic. 22. ca. de dol. iunctur arũ. ibi, Et de causis eius sunt cibi generantes, &c. & paucitas digestionis, quies & demissio exercitij, & coitus plurimus, frequentia ebrietatis, & retentio euacuationũ, &c. Lege locum vberius. Lege etiam Gal 6. Aph. comment. 28. vbi causam enumerat, quòd

multi idcirco laborant, quia patres & auos habuere podagricos, in quibus semen erat vitiatum, atque adeo natis vehementiorem fecerunt partium imbecillitatem: vbi etiam inquit, quòd necesse est pedes esse natura imbecilliores, si quis podagra corripi debeat, &c.

De signis articularis morbi.

Signa causarum extrinsecarum habentur ex relatione infirmi. Signa intemperiei simplicis sunt, quòd dolor eius est sine grauitate inflatione, & coloris alteratione. Signa intẽperiei cum materia sunt, grauitas, tumor, quorum absentia non semper significat materiæ priuationem, quum fieri possit vt materia in profundo deliteſcat. Item permutatio caloris, loci & doloris materiã indicant flatuosam vel humoralem. Signa particularis causæ sumuntur à iuuantibus & nocentibus, item ex calore loci, & ex pulsu, & ab egredientibus, & ex hora doloris, & ex additione eius & repletione. Item ex ætate, consuetudine, & ex regimine præcedente. Signa sanguinis sunt, quia rubescit locus nisi in profundo lateat, adest tensio, pulsatio, grauitas, regimen sanguinẽ adaugens, & dispositio corporis sanguinea. Signa bilis sunt, calor intensus, nulla grauitas, paucitas rubedinis, dolor est superficialis,

cialis, mordicans, vrina rubea, pulsus velox, temperies biliosa, regimen bilem generans. Signa pituitæ, color albus, liuidus, dolor grauans, remissus, tumor magnus cum mollitie, non sentitur calor, vrina alba, temperies pituitosa, regimen pituitam generans, & ætas senectutis. Signa melancholiæ sunt, dolor remissus, profundus, tumor paruus cum duritie, vrina remissa, renuis habitudo extenuata, regimen præcessit melancolicum.

Loci consentientes de signis.

Auic. 22. tra. 3. cap. de sig. dolorum iunct. Complexio simplex fit parumper rarò, & fit in ea dolor sine grauedine absque inflatione, & non est alteratio coloris, &c. De signis humorum lege Paulum lib. 3. cap. 78. ibi, Deprehendi facilè humorum noxam inferentium discrimina posse, tum suis coloribus, tum his quæ superueniunt, &c. Lege et fusius etiam de particularibus causarum signis. Lege etiam Razen in lib. de iuncturis, & plura intelliges, &c.

De cura articularis morbi.

Pro cura articularis morbi siue podagra quatuor opus sunt intentiones: prima erit auersio, quæ fiet sanguine peccãte, cum sectione venæ per rectã diametrum: aut cum euacuatione, minuendo materiã, sicuti cum pilulis

pilulis de hermodactylis minoribus cum rheubarb.aut cum vomiru.Secunda est humoris siue calidi, siue frigidi digestio, quæ fit stypticis frigidis in causa calida, vt cum sy. ros. de granatis,cum aquis plantaginis acetosæ, &c. Et in causa frigida cum rhodomelle,deinde cum sy.de stechadæ, cum aquis betonicæ, absinthij & saluiæ perficitur. Tertia intentio est præparati humoris omnimoda euacuatio, vnde in causa calida conueniunt pilulæ de her℔. min.cum rheu. in frigida pilulæ de herm.mai.&c. Quarta est doloris prohibitio, quæ fieri potest in causa calida cum repercutientibus anodinis,qualis est cassia cum oleo ros. dissoluta, vel cum aqua solatri & ros. vel cum medulla panis in lacte cum vitello oui.Sed si fluxerit omnino materia, tunc anodina simpliciter conueniunt,sicuti camomilla,anethū, mellilotum, fœnugræcum,&c.Vltimo cum his quæ resoluunt & emolliūt procedēdum, sicut cum oleo camomillæ & stercore vaccino,aut cum balneo ex vino & rebus stypticis,&c. Cibaria in causa calida sint frigida & humida, vt ptisana hordeacea, cū zucharo,cucurbita, attriplices, cucumeres,& similia.Vitentur dulcia,acria & salsa:itē carnes &vina.In causa frigida victus sit tenuis, & pro potu sit hydromel.Itidem curatur ac

dixi

dixi iſchias: verùm quum in profundo materia lateat, repellentibus in principio non vtimur, &c.

Loci conſentientes de cura articul. morbi.

De prima intentione loquitur Auic. 22. cap. de cur. dolo. iunct. ibi, Cùm autem cauſa in eis eſt cũ materia, tunc opus vt prohibeatur quod effunditur per attractionem ad contrarium, & per minorationem, &c. In cauſa ſanguinea opus vt adminiſtres phlebotomiam ex parte contraria, deinde adminiſtres vomitum, &c. Paul. In quibus ſanguineus humor redundat, protinus ſanguis mitti debet, qui tamen in pituitoſis vel atrabilariis non eſt detrahendus, &c. Razes in lib. de iunct. Incipimus minuere ex latere oppoſito, propter duo commoda: quorum vnum eſt declinare materiam à ſuo loco, alterum eſt retardare curſum materiæ ad locum doloris. Et in li. diuiſ. Opus vt non prolongetur phlebotomia in ſanguinea, ſed fiat cum incipit dolor & pulſatio, &c. Vide de his etiã Haly. Abbatẽ, Arcul. Mar. Cat. &c. Gal. aphor. 6, comment. 28. Non influet humor, ſi omnino vacans ſuperfluitatibus corpus extiterit: erit enim vacans, ſi mediocri vtatur exercitio, & bene cibum concoxerit: vnde & deſidiæ & crapulæ eis nocent, &c. Lege de his cibis Razem loc. citat. ibi.

Diæta

Diæta sit frigida & humida, sicut aqua hordei, & cucurbita, & cucumeres, &c. Lege etiam Alexand. ibi, Vitentur dulcia, acuta, vnctuosa, salsa, &c.

Obseruationes in euacuatione.

Mar Cat. inquit, quòd in euacuãdo pituitã non debemus tantùm phlegmagogis vti, sed etiam cholagogis, cum pituita semper bili admixta sit, alioquin ex se non flueret. Secundò, quòd euacuantibus debemus styptica admiscere, quia constringendo vias, prohibent materiæ fluxum. Tertiò, quòd à principio cum vehementi pharmaco non est euacuandum, quia tunc tenue egrederetur, & quod esset crassum, remaneret, &c.

Obseruationes circa digestionem.

Sera. super 9. alm. Digestiuũ materiæ frigidæ debet esse cal: dũ stypticũ, dũ materia fluit: sed in materia fluxa debet esse subtiliatiuum & inciſiuum. Mar. Cat. Digestiua non debent esse valde aperientia, nec quæ neruis & iuncturis noceant, sicut oxymel.

Obseruationes circa repercussionem.

Gilbertus, Vti debemus repercussiuis, donec esset dolor & apostematis pulsatio, & tũc cessabimus ab eis: quoniã si vlterius vsi fuerimus, ingrossabitur materia, & reddetur difficilis dissolutionis. Auic. Repercussio non oportet vt fiat materia existente

fortis

fortis effusionis, plurimę resumptionis, nam materiam inobedientem facit, & dolor accidit magnus.

Obseruationes circa resoluentia.

Haly Abb in sua praxi, Non oportet vti medicaminibus calefacientibus & subtiliantibus, nisi post digestionem & corporis purgationem: quoniam si aliter fiat, tunc humor aduritur & indurescit, & difficilis fit sanationis. Auicē. Non oportet vt approximent resolutiua fortia in principio rei ante euacuationem, quoniam faciunt euenire materias plurimas, deinde resoluunt subtile earum, & inspissant residuum, & retinent ipsum, & hoc in materia viscosa & melancholica.

Obseruationes circa motum.

Alex. Tra. Non superabundantem sequātur motum quoniam nocet, sed vtantur eo paulatim absque labore, quoniam motus generat bilem rubeam, & eam attrahit ad articulos. Razes in lib. de iunct. Caueant ab ambulatione, equitatione, balneis, retentione vrinæ & egestionis.

Conferentia doloribus iuncturarum.

Conferunt doloribus iuncturarum resoluēda quædā ac liquefacienda materiā condensatā, vt crocus, mellilotū, anisum, aloës, mastix,

maſtix,iris,ſtechas arab.Quædam craſſitiẽ attenuando,& ex profundo attrahendo, ſicut caricæ,mel,lentiſcus, abrotanũ, apium ſylueſtre,calamentũ, ariſtologia, ruta cum melle, vrtica naſturtium, gumi rutæ ſylueſtris,ammoniacum, galbanũ, euphorbium, reſina terebenthina, coſtus,caſtoreũ. Quædam attrahendo & veſicando, vt cepæ, allium,lac,ficus,anacardi, ſapo, cortex, nouum atramentum, fermentum. Quædam vrendo & vlcerando,vt atramẽtum, vitriolum,ſtaphiſagria,fermentum,ſcilla, vernix pini,thapſia, cantharides. Quædam penetrando in profundum, vt aqua vitæ, oleum terebenthinæ,oleum philoſophorum.Quædam leniendo & mollificando,vt adeps anatis,anſeris,vulpis,leonis,vrſi, medullæ cruriũ vituli,cerui, aſini, æſypus mucilago,ſemen lini,fœnugræci, althææ, oleũ vulpinũ coſtinũ,liliorũ,de caſtoreo,de ſinapi,de nuce Rom.cum ſtorace & aſſa,Quædã euacuãdo,vt pilulæ fœtidæ,aggregatiuæ de hermodactylis,de ſerapino,de oponacho Meſu.pilulæ arteticæ Nico.pilulæ magiſtrales,confectio de turbit,&c.

De prognoſticis articularis morbi.

Hippo.aphor.2.aphor.46.Duobus doloribus ſimul eundem locũ infeſtãtibus vehemẽtior alterũ obſcurat. Et aphor.4.aph.20. Non

Nõ febricitantibus si tormina acciderint, & genuũ grauitas, & lũborũ dolor purgari in ferius oportere significatur. Et aphor. 4. ca. 31. Lassitudinẽ habentibus in febribus circa articulos & maxillas potissimum abscessus fiunt. Et aph. 4 aph. 33. Sed si ante morbũ aliqua parte doluerint, hic morbus firmatur. Et aphor. 4. aph. 44. Quibus febres longæ, iis tubercula vel dolores in articulis fiunt. Et aphor. 4 aphor. 45. Quibus tubercula vel in articulis labores fiunt, ij pluribus vtuntur cibis. Et aphor. 6. aphor. 22. Quicunque dolores ex dorso ad cubitũ descendunt, venæ sectio soluit. Et aphor. 6. aphor. 28. Eunuchi neque podagra laborant, neque calui fiunt. Et aphoris. 29. eiusdem. Mulier podagra non laborat, nisi menstrua defecerint. Et aphor. 30. eiusdẽ. Puer podagra non laborat ante vsum venereorũ. Et aphor. 49. eiusdem. Quicunque morbi podagrici fiũt, hi sedata in quadraginta diebus inflammatione finiũt. Et aphor. 55. eiusdem, Dolores podagrici vere & autummo magna ex parte mouentur. Et aphor. 6. aphor. 59. Quibus cunque à coxẽdicum dolore diuturno molestatis excidit coxa, & rursus incidit, his maiores saperueniunt. Et aphor. 60. eiusdẽ. Quibuscunque à coxendicũ dolore diutur no molestatis excidit coxa, his crus tabe-

scit, & claudicant, si non vrantur. Auicē. loc. cit. Et humores crudi quum retinentur in corpore, nec euacuantur per egestionem vel vrinam, nec per artem, non est longinquum quin currere faciant dolores iunctu-rarum. 2. Et aptiores ad hoc, vt in eis multiplicentur ista, sunt senes, & habentes ægritudines chronicos, & conualescentes quum nō reguntur cū rectificatione. 3. Et aptiora tempora ad dolores iuncturarum sunt ver, propter motum sanguinis & humorum: & autumnus, propter malitiam humorum & digestionis. 4. Et cùm succurritur doloribus iuncturarum, in primis quando apparent, fit eorum cura facilis. 5. Quòd si confirmentur, & consuescant propriè illis qui generati sunt, & humoribus diuersis non curantur. 6. Et quando apparent varices in habentibus dolores iuncturarum & podagram, est eorum sanatio per eas. 7. Et dicitur qui habet dolorem anchæ, & apparet in coxa eius rubedo vehemens triū digitorum, non faciens ei dolorē, & accidit ei in ea pruritus vehemēs, & desiderat olera, morietur in 25 die. 8. Et omne membrum in quo est dolor iuncturarū macrescit & extenuatur. 9. Et dolores iuncturarū præter sciaticā & podagrā, quū curantur & eradicātur eorū materiæ, nō redeunt velociter. Razes. 12. cōm.

Deterior

Deterior iũcturarũ dolor erit, quando accidit ei, cuius pater vel auus illo laborauerit. Auic. Sunt ægritudines quæ hæreditãtur. Razes in lib. prog. Dolor iuncturarũ in iuuentute breuẽ fore vitã ſignificat, & qui fiunt in ſuperioribus, ſunt ſatis deteriores, &c.

Authores erronei diſſentientes circa articulares morbos.

1 Adſerere, in principio morbi articularis ſemper eſſe repellendum.
2 Adſerere, articulares morbos ad ſaniem poſſe terminari.
3 Adſerere, venæ ſectionem ex pede primùm & nõ ex manu eſſe cõmittendam.

Confutatio diſſentientium circa articulares morbos.

Ad primum reſpondet. Auic. cap. de cur. ſci. quòd repercuſſiua & fortiter ſtyptica ſunt in hoc caſu multùm ſuſpecta, quoniam materiam in loco profundo incutiunt, & nocent nocumento vehemẽti, & demum fit difficilis eius reſolutio.

Ad ſecũdum, Razes in diuiſ. inquit, hoc eſſe eis proprium, quòd per ſaniem non terminantur.

Ad tertium, Auic. loc. cit. Et non fiat primùm phlebotomia ex pede, niſi poſt phlebotomiam in manu, materia ſit valde pauca, &c.

IOANNIS BACCHANELLI REGIENSIS,

De consensu Medicorum in curandis febribus,

Lib. IIII.

Febris quid sit, & vnde dicatur.

FEBRIS, quæ à feritate vel à feruore dicitur, est calor præternaturalis accensus in corde & arteriis, ad alia membra diffusus, naturalibus actionibus incommodans. Qui calor duplex est, alter natiuus & genuinus, alter verò acquisitiuus ac spurius, qui si per totum corpus diffundatur, febrem efficit: si minus lassitudinem inducit.

Loci consentientes de febre.

Alexand. lib. 3. capi. 1. Febris nil aliud est quàm immodicè auctus feruor, accensus præter naturam in corde & arteriis, qui secundum naturam ignis cor possidens corpori vniuerso dominatur. Galenus, 2. de mor. caus. capit. 2. πυρετός ἐστι τῦ παντὸς ζῴου θερμότης τὴς ἄμετρος ἔτα', id est, febris est totius animantis immodicus calor. Et 1. aph.

Febris est conuersio natiuæ caliditatis ad igneam. Et 3. de differentia morb. capit. 5. Vbi calor totum corpus infestat, febris nominatur: si verò per totum corpus non diffundatur, lassitudo dicitur. Auic 4. ~~cauſa~~ can. cap. 1. Febris est calor extraneus accensus in corde, & procedens ab eo, mediante sanguine & spiritu per venas & arterias ad totum corpus, & inflammantur inflammatione quæ nocet operationibus naturalibus. Gal de difficul. respi. cap 21. Duplex est caloris genus, alterum genuinum & corpori innatum, alterũ acquisititiuum ac spurium.

Obiectio.

Ernntne bini calores distincti, an vnus & idem calor naturalis & extraneus? Quòd bini distincti sint, videtur: nam naturalis temperatus est, vt in 2. de fa. na. & in com. aphor. Qui crescunt plurimum habent caloris innati: sed in 1. aphor. est mutatus ad igneum, vt in definitione superiùs allata.

Responsio.

Dicimus vnũ & eundem calorẽ esse quò ad substantiã, sed esse diuersos calores quò ad fundamentũ: nam aliter fundatur naturalis, quàm præternaturalis, &c. Nota etiã quòd febris est morbus calidus & siccus, calidus ἐνεργείᾳ, siccus verò potestate: nam febris si in superflua humiditate accenda-

tur,non actu ficca dicetur,sed facultate.

De febrium diuisione.

Febrium aliquæ sunt substãtiales,aliquæ accidentales. Substantiales sumũtur à materia,à modo motus,à quãtitate.A materia vel erũt membra cõtinentia,ex quibus hectica,aut humores,vnde putrida,aut ὁρμᾶντα,id est,agirantia,siue impellentia,vt spiritus,à quibus ephemera prouenit. A modo motus,quum τρόπος κινήσεως sit ratio motus quo calor mouetur.A quãtitate,id est,à remissione & intẽtione illius caloris. Febres accidẽtales dicũtur quæcunq; oppilationes &inflãmationes siue alios abscessus sequuntur,& nõ sunt per se ægritudines sicut aliæ. Sumuntur etiam accidentales à calore, vt mordaces,mites:aut à calore,vt pallidæ, liuidæ. Febriũ aliæ sunt breues, aliæ longæ: aliquæ salubres, aliquæ insalubres:aliæ interpolatæ,aliæ continuæ: & harum aliquæ sunt simplices,aliquæ cõpositæ. Rursus interpolatarũ tres sunt, quotidiana, tertiana, quartana.Continuarũ quæ à flaua bile proueniũt,duæ sunt species:altera synoche dicta,altera sortito generis nomine continua dicitur. Rursus synoche tres sunt,quædã à principio vsq; ad finem æquales perdurant, quædã augẽtur,quædã decrescũt:primæ hotenç & acmasticæ.2.anabasticæ &apacmasticæ.

masticæ 3. peracmasticæ dicuntur. Continuarum rursus nonnullæ singulis tertiis diebus inualescunt, nonnullæ in quotidianarum figura progrediũtur, & aliæ in quartanarum forma.

Loci consentientes de diuisione febrium.

Galenus 1. de diff. febr. Principales ac propriæ febrium differentiæ sumuntur ab earum substantia, aliæ verò ab aliquo accidente, &c. Aëtius ser. 5. cap. 58. Differentiæ huius caloris maioris aut minoris ratione distinguuntur, & iuxta subiectum siue materiam, aut ipsum cordis corpus calore occupãte, aut humores acrem substãtiam, &c. Alexand. libro 5. Trifariam in summa febres ingruunt, in spiritibus, humoribus, & membris solidioribus: in spiritibus fit febris ἐφήμερα, in humoribus bifariam, aut in venis, vt καῦσος, si humores cum sanguine computruerint, & quas συνεχεῖς, id est, continuas vocant: aut extra venas, per diuersas corporis partes putridi humores discurrunt, & febres fiunt, quas Græci τυμπάνους vocant: in membris fiunt febres hecticæ. Auic. Dicamus quòd febres apostematum & oppilationum sunt febres accidentales, & aliæ febres sunt ægritudines: lege Galenum 1. ad Glauconem, cap. 4. de hac re Auicen. ibi, Diuiduntur etiam

febres, vt nonnullæ sint acutæ, non acutæ, chronicæ, non chronicæ, nocturnæ, diurnæ, salubres, & horribilia accidentia habentes, aliæ dimittentes, aliæ inseparabiles, &c. Gale. 2. de diff. feb. cap. 2. Intermittentium tres sunt omnes numero, quotidiana, tertiana, quartana: quotidiana à pituitæ putredine, tertiana à flaua bile, quartana à nigra. Continuarum quæ à flaua bile proueniunt, duæ sunt species: altera synoche dicta: altera sortito generis nomine cõtinua. B. Itidẽ ait 2. de cris. c. 9. Et nota συνεχὴς à continuo feruore dicitur, de qua Gal. 9. meth. c. 4. mentionem facit, & harum vniuersum tempus in vna accessione consumitur, &c.

De causis febrium in genere.

Causa febrium duplex est, extrinseca & intrinseca. Extrinseca fit ab aẽre calido vel frigido, à mala qualitate, à corruptione, à motu, & ab otio. Intrinseca diuiditur in causas προηγουμένας, id est, prçincipientes, & in προηγουμένας, id est, antecedentes, & in contentiuas siue coniunctas. Procatarctica est, quæ cum peractum est opus, recedit, vt exustio solis vel ictus scorpij. Coniuncta est, quæ quum adest, præsentem seruat morbum, sublata tollit, vt calculus in vesica. Antecedens verò à coniuncta prorsus constituitur: nam hac præsente adest affectus,

&

& aucta augetur, & minuta minuitur, & sublata remouetur. Nota tamen quòd hæ causæ, scilicet præincipientes, coniuncta & antecedens referuntur ad causam efficientem: nam causa materialis in febribus erũt membra, vt in hectica humores, in putrida spiritus: in ephemera causa formalis erit calefacere & adurere corpus, & causa finalis, cuius gratia hæc aguntur, erit sensibilis læsio operationum, &c.

Loci consentientes de causis febrium.

Galenus 1. de different. feb. cap 5. Quum febris sit in corde quædam præternaturalis caliditas, eius causas nunc ostendere intendimus: nam nõ vnus est tantùm generationis caliditatis modus, sed aut propter motum, aut propter putrefactionem, vel propter adhæsum alterius caloris, aut propter retentionem calidi effluxus, aut propter mixtionem calidæ substantiæ fiunt, &c. De aliis causis lege Galenum in libro de cau. procatarct. & primo method capite 8. Vide etiam de causis caliditatis, Gal. 2. de morb. cau. cap 2. Et nota quòd Gal. 4. meth. cap. 3. inquit, Externæ causæ cognitionem nõ nisi ad noscẽdos affectus, qui nostram notitiam fugiunt, vtilem esse, &c.

De febrium temporibus.

Tempora febrium bifariam considerantur, aut quatenus vniuersalia, aut quatenus particularia. Vniuersalia sunt quæ totius morbi, siue febris circuitu absoluũtur. Particularia sunt, quæ paroxysini siue exacerbationis partem metiuntur. Rursus vniuersalia non solùm penes morbi essentiam, sed & penes symptomata & materiæ alterationem distinguuntur: nam sicut morbi principium tempus dicitur, in quo morbus apparet, sic etiã principiũ erit, quum materia cruda nullũ coctionis vestigiũ demonstret, aut quũ sympt. incipiũt. Similiter augmentum dicetur, quũ morbus augetur, vel accidentia intenduntur, vel aliquod indicium appareat. Status erit quum morbus & symptomata nõ se mutando in sua dispositione maneant, aut quũ signa concoctionis manifesta videãtur. Declinatio erit quũ non solùm febris declinet, sed & accidẽtia & materia iam digesta expellitur. Tempora verò particularia distinguntur circa caloris modum: nam si calor à materia submergatur, in membro erit principium: quum verò calor excitatur, erit augmẽtum: at quũ intensiori gradũ calefacit, erit status: & quum remittitur, declinatio seu remissio morbi dicitur. Nonnulli inter initium & incrementum

tum

tum inæqualitatis nomen connumerarunt, ſicut interuallum ac quietem in declinationis fine. &c. Nota quòd principium morbi interdum videtur abſconditũ, & hoc quum morbi principiũ adeo breue ſit, vt cognoſci nõ poſſit, ſicuti in ſynocha, epilepſia & apoplexia, aut quum morbus eſt paucorum accidentium, aut quum in prima die morbi concoctionis indicia appareant, &c.

Loci conſentientes de febrium temporibus.

Gal. lib. de totius morb. temporibus. c. 1. æquiparat morbi tempora ad animantium ætates, vnum quidem principium generationi eorum tribuens: alterum incremento, tertium vigori, quartum declinationi, quum ægri ſalui futuri ſunt. Auic. 4. can. cap. 3 Febrium horæ ſunt ſicut reliquarum ægritudinũ, principium, augmentum, ſtatus apud vltimũ, & declinatio: & ſunt quinque particulares cauſæ cuiuſq; paroxyſmi, &c. Aët. ſer. 5. cap. 2. Principium febrilis exacerbationis eſt cõtractio extremarum partium omnium, & maximè naſi augmẽtum habet accidentium incrementum, & ceſſat frigiditas: vigor erit vbi calor æqualiter per totum corpus diffunditur, &c. vide illum fuſiùs. Galenus in lib. de morb. temporibus, ſex tempora enumerat, initij nomen

men, inæqualitatis, incrementi, ſtatus ſiue vigoris, declinationis & integritatis interuallum ac quietem nominãs, &c. De his plura in hoc libro iuxta Galenum inuenies: nam ſecat etiam periodum in duas partes, in acceſſionem & remiſſionem ſiue interuallum. Et nota pro iunioribus, quòd periodus idem importat, ac ſi diceretur, circuitus, & eſt tempus in morbis ex intenſione & remiſſione conſiſtens. Typus verò eſt intenſionum remiſſionúmque ordine ſuccedens reditio. Paroxyſmus & exacerbatio idem important; & ſunt, vt inquit Aët. motus morbi particularis à remiſſione ad deterius. De principiis morbi abſconditi lege Auic. latiùs 4. can. cap. 3.

Quomodo ſtatus morbi præcognoſcatur.

Cognoſces morbos fore breues vel prolixos, ab ipſo morbi paroxyſmo: nam paroxyſmi longi longum, breues breuem morbum prænunciant. Item ab ipſo genere morbi: nã apoplexia, & tertiana, breui: paralyſis & quartana longo tẽpore terminantur. Ab ipſa virtute debili vel valida, vnde ex debili breuis, ex valida longus erit. Ab ipſa ætate & tempore: nam in ſenio & hyeme, longus: in iuuentute & æſtate, breuis. Ab ipſis accidentibus breuiter vel

longo

longo tempore durantibus. Ab ipsis excrementis exeuntibus mutatis: nam in vrina nullum apparens concoctionis indicium, longum morbum, & econtrà, breuem significat. Nota quòd peracuti morbi quartum diem non transcendunt, acuti verò plerunque 14. Vocandi erunt morbi acuti, si cum sæuis symptomatibus terminantur. Quare febres ephemeræ nō erūt morbi acuti, &c.

Loci consentientes de præcognitione status.

Hippocr. aphor. 1. aphor. 12. Accessiones & constitutiones morbi indicabunt & anni tempora & circuitum, adinuicem incrementa, siue quotidie, siue alternis diebus, siue per maiora interualla fiant. Gale. non solùm in hoc comment. sed etiam in 1. de crisi 6. lib. quomodo quispiam futurum morbi vigorem possit primò cognoscere, facilè ostendit, quem legere poteris. Auic. 4. can. cap. 4. docet cognoscere statum ex tēpore & motu morbi, ex ipsa virtute, ætate. tempore, pulsu, rigore, à paroxysmo, ab accidentibus ipsis, & ex euacuatione & digestione, &c. Vide illum latiùs de his. Hippocrates aphor. 2. aphor. 22. Acuti morbi in quatuordecim diebus iudicantur. Et Auic. 4. can. cap. 3. Status diuersus est in morbis: morborum enim valde acutorum status

quart

quartum diem non transcendit, nec febres ephemeræ morbi acuti dicuntur, & si propinquus sit earum status, quum hoc non satis sit, sed oportet insuper quòd timorem inducant, acuti verò absolutè morbi sunt, quorum status 14 attingunt, &c.

Authores dissentientes circa febrem.

1 Adserere, febrem esse complexionem calidam & siccam.
2 Adserere, febrem non posse diuidi in morbum & accidens.
3 Adserere, in omni morbo esse assignanda quatuor tempora.

Confutatio dissentientium circa febrem.

Ad primum respondetur, quòd si complexio calida & sicca esset febris, tunc sequeretur quòd complexio biliosa esset febris, quod falsum est: nam febrientes siue pituitosi siue sanguinei sint, remanent semper in eadem cõplexione ac præditi erant. Præterea idem homo pluries in complexione mutaretur: nam febriens esset biliosus, non febriens pituitosus, quod falsum esse omnes asseuerant.

Ad secundum Auic. & Concil. differentia 87. tenent, quòd febres sunt accidentales quum mediatè vel immediatè à morbo depen-

dependeant: sunt autem morbi, quum nullum morbum sequuntur.

Ad tertium respondet Arcul. morbos qui nullam varietatem medico sensibilem de se præbent, & qui in principio generationis contrahuntur, & qui ad mortem terminantur, non habere quatuor tempora, & sic falsum est, quòd in omni morbo sint quatuor tempora.

De febre ephemera.

Febris ephemera nil aliud est, quàm calor accensus in spiritibus, & dicitur ephemera siue diaria, non ex eo quòd duret tantùm per vnam diem, sed quia plerunque accidit vt in vno die desinat: perdurare tamen potest vsque ad quartum diem, sed rarò tertium diem progreditur.

Loci consentientes de febre ephemera.

Gal. aphor. 4. comment. 55. Febres diariæ omnes ab ipso Hipp. vocantur, quæcunque sui ratione vna die durãt: tales vel à tumoribus inguinũ, vel à causis manifestis fiunt. De reliquis à me dictis lege Gal. 10. meth. cap. 2. ibi, Sanè dicuntur id genus febres omnes diariæ, quia solui vna die sunt aptæ, &c. Item 9. meth. cap. 1.

Obiectio.

Anceps sum an tantùm in spiritibus calor

lor

lor accendatur, quum sanguis & spiritus vnà permisceantur, vt voluit Galenus sexto de vsu partium, imò & secundo de differen. febrium, capite nono, tenet à sanguine calefacto fieri ephemeram: quare non solùm in spiritibus, sed etiam in sanguine calor accendetur.

Responsio.

Dicimus vtrunque à calore febrili calefieri: sed si aduertamus, quòd primò non in sanguine, sed in spiritibus calor fundatur, dubitatio nulla erit.

De causis febris ephemeræ.

Quum duplex sit ephemera, vera scilicet & spuria: vera fit tantùm à causis procatarcticis, spuria verò fit per accidens, vel ex obstructione, vel per ἀπεμφρακτικὰς, sicut ex cohibitione, &c. Causæ ephemerarum totidem ac suæ species sunt, quæ, teste Auicenna, enumerantur 21. Nam aliquæ ad animam magis quàm ad corpus pertinent, vt anguſtia, tristitia, cogitatio, ira, vigiliæ, somnus, quies, timor & gaudium: aliquæ magis spectãt ad corpus quàm ad animam, vt motus, quies, euacuatio, dolor, syncopis, fames, sitis, obstructio, satietas nauseatiua, inflammatio, soliditas: aliquæ verò extrinsecè veniunt, sicut ab adustione, frigore, soliditate, balneis, &c.

Loci

Loci consentientes de causis febris ephemeræ.

Auic.4.can.cap.5. Omnes febres diariæ fiunt aut à causis præincipientibus per se calefacientibus:aut per accidens, vt oppilando : aut per antiperistasin, vt cohibenbo,&c.lege eum fusius.Gale.2.de cris.cap. 13. Sunt autem hæ tantummodò spiritus passiones absque humorum putredine aut membris imflammatione, nisi inflammatis inguinibus accidant : earum verò generationis occasiones sunt vigiliæ,cruditas, tristitia,timor,ira,curæ,deustio, refrigeratio, lassitudo,ebrietas,& quæcũq; similia, &c. Vide Aet.ser.5.cap.58. ibi, Auspicantes ac externè lacessentes causæ,&c.

De signis febris ephemeræ.

Signa febrium ephemerarum sumuntur à iocunditate caloris, non incipiunt cum frigore, rigore,somno, velut putridæ, nec in principio calor concernatur. Concoctio in vrina primo die apparet : fiunt à primitiuis tantùm causis, pulsus nõ est diuersus, nec systoles magis se accelerat quàm naturalis, principiũ paroxysmi leue est ac facile,augmẽtũ non vltra duas horas se extendit,in statu nullum vehemens symptoma videtur .Declinatio fit cum sudore. ad integritatem definit, & adhibito balneo nul-

lus horror ſentitur. Signa tranſmutationis ephemeræ in alias febres ſumuntur ab ipſa declinatione febris: nam ſi abſq; ſudore fiat, vel cũ ſudore, per quem integra reconualeſcentia non ſequatur, iam in alias febres tranſit: itẽ ſi declinatio vltra 24. horas cum ſymptomatibus & pulſu non naturali ſe extenderit, aut ſi remanſerint aliqua ſymptomata in ſui receſſu. Cognoſcitur etiam quum in hecticam tranſmutatur ex ſignis hecticæ, de quibus infrà latius, aut in ſynocham, ex venarum repletione, ex caliditate, inflammatione, rubore faciei, &c. aut in putridas ex horrore, pulſus diuerſitate & coarctatione, ex mordaci calore & à vehementia ſymptomatum, &c

Loci conſentientes de ſignis.

Gale. 1. de diff. feb. cap. 7. Indicia ſunt vt ſi fiant à procatarcticis cauſis, & eſt ſignum inſeparabile, ſed non proprium, ſi concoctio in vrinis, ſi pulſus frequentia à proprietate deficiat, ſi nullo modo ſyſtoles ad celeritatem tendat, ſi caliditatis adſit ſuauitas, ſi cum ſudore aut rore, vel optimo aliquo vapore declinatio ad integritatem ſequatur: hæc omnia propria & inſeparabilia ſigna ſunt, &c. De reliquis lege Auicen. 4. can. cap. 6. Item Aet. ſer. 5. cap. 58. & paulus lib. 2. capit. 15. Item Galen. 6 de criſ.

cap.

cap.13.& 1.art.cur.ad Glauc.capit.2.& 3.lege etiam Arcul. & alios neotericos, &c. De ſignis tranſmutationis lege Auicen. 4.can.capit.8. Item Galenus 1. de diff. feb. cap.7.

De cura febris ephemeræ.

Si à cauſis procatarcticis febres ephemeræ fiant, tunc alteratione ſola curãtur: ſi verò à cauſis corporeis oriantur, tuuc triplex erit intentio. Prima circa cauſæ ablationem & febris alterationem, ita vt calida frigidis curẽtur, vt exuſtio ſolis cum vmbra, & ſic duo efficies, cauſam remouebis, & malã febris diſcraſiam per alterationẽ expelles. 2. Prohibet ne fiat trau. tus ab hac febre ad alias meatus aperiendo, vapores reſoluendo cũ balneis in febris declinatione adhibitis, vel cũ oleo quopiam perfricando. Tertia eſt quæ ſymptomatibus occurrit, & regimen inſtituit: ad febrem enim ſequitur dolor, ſitis, vigiliæ, & ad eius cauſam ſyncopis, epilepſia, &c. quibus occurritur opportunis præſidiis. Regimẽ verò nõ ſolum febrem, ſed eius quoq; cauſam reſpicit. Victus igitur ratio humida ac boni ſucci indeclinatione febris exhibeatur, iis vinum interdicatur qui ex inflammatione vel furore febricitãt: in vigiliis tamen cõcedendũ: at in reliquis rebus nõ naturalibus ſemper con-

trarium est offerē dum, sicuti in labore quietem iubemus, in vigiliis somnum, in ira & furore animi iocunditatem, &c. Interdum cibus modo quodam coacto & irregulari in principio febris est exhibendus, iis præsertim qui ex labore, angustia, fame, & superflua bile febricitāt. &c. Ad species ephemerarū particulares scribendo non descendam, siquidem rarissimè opus medici desideratur, ni prius morbus in putridam aut hecticam febrem mutetur, &c.

Loci consentientes de cura ephemerarum.

Aet. ser. 5. capit. 59. vsque ad cap. 66. de omnibus febribus ephemeris particularem curam pertractat. Similiter Auicen. 4. can. à capit. 10. vsque ad 44. de singulis particularibus mentionem facit, signa demonstrando, causas & curationem. Alex. itidem agit libr. 5. cap. 1. Paul. vnicum tantùm caput de diariis habet libr. 2. cap. 15. Gal. 1. art. cur. ad Glauc. capit 3. Omnes hasce febres balneis curare oportet, & ad consuetam victus rationem eos perducere, &c. Et paulò pòst loquens de victu. Interdicitur, inquit, vinum, qui inflammatione inguinum laborant, similiter & furore percitis, cibo insuper humido ac boni succi reficiēdi sunt, &c. quòd alii quos cibare oporteat in principio paroxysmi

xyſmi lege Auic 4.can. cap 9.ibi, Neceſſe eſt in principio febris cibare qui patiuntur ephemeram ex labore & anguſtia. Itidem ait Gal.10.meth.cap 5.ibi, Quum adhuc inuaſura ſit febris, vel quum incipit, &c.

Obſeruationes circa balneum & euacuationem.

Auic.4.can.cap.9.Balneum non conuenit in quatuor caſibus: primò, quum timetur de caſu putredinis.2. quum adeſt obſtructio ab humoribus craſſis. 3. quum adeſt ſatietas nauſeatiua. 4. quum adeſt catarrhus, &c. Item dixit, quòd in ephemera, nulla euacuatio conuenit, niſi adſit materia obſtruens, aut ſatietas nauſeatiua, aut totius corporis repletio, &c.

De prognoſticis ephemerarum.

Gal.1.ad Glau.cap.2.Cura harũ febrium in promptu eſt: at earum cognitio maiorem exigit diligentiam, & de qua nemo ante nos quantum oportuerit, ſcriptum reliquit, &c. itidem ait.Auic.4.can.cap.5.

Obiectio.

Gal.1.de diff.feb. cap. 7. videtur contrarum innuere, quum dicat, Nec earum cognitio eſt difficilis.

Reſponſio.

Dicimus hanc eſſe difficilis cognitionis, quũ ipſum adhuc perſeuerat principiũ, ſed

facilis, quum iam ad declinationē venit manifestam. Hippo. aphor. 4. aphor. 55. Ex inguinum tumoribus omnes febres malæ præter diarias. Vide in hac re Oribasij coment. fusius. Auicen. 4. can. cap. 5. Homines quibus maximè nocent febres ephemeræ, sunt calidi & sicci, quia ad hecticā citò perueniunt: aut calidi & humidi, quia in febrē putridam incidunt, &c.

Authores dissentientes circa febrem ephemeram.

1 Adserere, omnem ephemeram esse febrem accidentalem.

2 Adserere, ephemeram coniungi posse cum putrida.

Confutatio dissentientium circa febrem ephemeram.

Ad primum respōdetur, quòd si ephemeræ sequerētur calorē aut dolorē alicuius apostematis, quòd hoc verū esset, sed nō omnes huiuscemodi sunt, igitur non accidentales.

Ad secundū dicit Arcul. quòd tenenda est eorū pars, qui negant has febres coniungi posse: nam quotiens calor ad humorum putredinem transit, non amplius ephemeram efficere potest, sed tantùm putridam.

De febre hectica.

Febris hectica est calor præternaturalis, accensus in memb.is radicalibus siue solid

solidioribus, quæ Græci ὑπόστερια vocant, consumptis tamen in ipsis humiditatibus, cuius species sunt tres, iuxta quatuor humiditates secundas: quarum prima vocatur Nomen non habens, secunda ros, tertia cambium, quarta glutē: ita tamen vt quoties humiditas prima desinit, & secunda quæ est ros, incipit accendi, tunc prima species hecticæ dicitur: quæ si ad cambium, tertiam humiditatem peruenerit, tunc erit secunda species, & vocatur ab Auic. dubalen, id est, arefactio siue μάρασμος, id est tabes: si verò ad gluten deuenerit, tunc erit tertia species, & vocatur ab Auic. almuchasif, siue curuatura: nam ferè eadem forma videtur, ac est in decrepitis curua, &c.

Loci consentientes de febre hectica.

Auicen. 4. can. cap. 1. tra. 3. Cùm inflammantur membra radicalia & propriè cor, est illud ipsa ægritudo quæ est hectica, secundum quòd sciuisti, &c. Galen. 2. præd. comment. 60. Quum partes ipsæ corporis solidiores ignitiores euadunt, febres hecticas nominamus. Quòd sint tres species hecticæ, lege etiam Auicen. loc. cit. vbi etiam enumerat humiditates secundas. Lege etiam Galen. 1. de diff. feb. cap. 9. Tabida febris incipit, quum natiua humiditas

in vnoquoque corpore inſperſa in mediis ſpatiis partium ſimilarium, ex qua primum partes nutriuntur,& circa cordis corpus pe riclitatur: quum verò iam res eò periculi ve nerit,vt nihil iam ex tali humiditate ſuper-ſit,tunc exquiſita talis conſiſtit,&c. Et cap. 8.eiuſdem, Tabida febris non tantùm ſicca, ſed etiam calida eſt paſſio,&c.

De cauſis febris hecticæ.

Cauſæ febris hecticæ vel ſunt febres ephe meræ, aut putridæ, aut febres ex partium nobilium inflammationibus ortæ, ſicuti ex pulmonis aut thoracis affectibus,præſertim ex empyemate & phtiſi, aut febres ardétes cum totius animalis & cordis præſertim ſiccitate.Interdum cauſæ ſunt errores medicorum, qui victum nimis tenuem inſtituũt, aut aquam frigidam in inflammatione diaphragmatis prohibent, aut quum ob defe-fectum animi,vinum & aquam carnis & dia muſcum iubent,quæ omnia ob ſui caliditatem ad hecticam ægrum perducunt,& rarò hectica per ſe incipit.

Loci conſentientes de cauſis febris hecticæ.

Auic.4.can.tra.3.c.1.Cauſæ hecticæ ſunt febres ephemeræ, aut putridæ, aut febres inflammationum,quia rarò hectica incipiẽ-do accidit,niſi ex cauſa valde fortis,&c.

Galen.

Galen.1.de diff.feb. cap. 9. Exoritur hæc passio ipsi cordi nonnunquam per seipsam sicuti excandescentiis, tristitiis : nonnunquam ex ardentibus febribus: aliquando ex pulmonis & thoracis affectibus, præsertim ex empyemate & phtisi,& ex omnibus diuturnis inflammationibus nobiliores partes occupantibus,& c.lege locum fusius,de reliquis lege Auic.4.can.tract.3.cap 1.ibi,fiunt etiam ab aliis,& c.

De indiciis febris hectica.

Febrium hecticarum duo sunt propria indicia:primũ, quòd à principio vsque ad finẽ sunt æquales,nec accessionẽ, nec augmẽtũ, nec vigorẽ,nec remissionẽ habẽt : secundũ, quòd æger nõ se febricitare percipit. Reliqua signa sumuntur partim à calore , si quidem à comestione calor crescit: item in primo tactu cæteris ardentibus febribus est suauior , sed in processu fortior & magis erodens:itẽ pulsus est durus,frequens, debilis , fixus : partim ab ipso corpore mutato, nam oculi sunt concaui , flos vitalis coloris extĩctus,adsunt vigiliæ,corpus extenuatur, in vrina apparet quædã supernatãs vnctuositas , cutis fit arida, squalida. Hæc febris si aliqua à læsione membrorũ incipiat,ab eorum arida intemperie , ex qua siccitas notabilis prouenit,facilè deprehendes,& c.

Loci consentientes de indiciis febris hecticæ.

Gale.lib.3.de præsag. puls.cap.de arteria cordis, Febriũ hecticarũ duo hæc sunt propria signa, vt si perpetuò sibi illę similes sint nec inuasionem vllam accessionis, nec incrementum, nec vigorem, nec remissionem habeant, nec se febricitare percipiat æger, &c. Lege Gal.1.de diff.feb.cap.9.abundè enim de his signis pertractat, ibi, Adest oculi concauitas amisso eorũ liquore, flos vitalis coloris extinctus, in tota cute squaliditas immoderata, palpebræ dormitantibus similes, &c. lege tu fusius Auic. 4.can.cap.2.tra. 3 sumit indicia à pulsu, à tactu, à cibis: nam pulsus, inquit, est durus, frequens, debilis, fixus, & sic de reliquis. Alex.lib. 5. cap. 22. seorsum de omnibus signis pertractat, quomodo scilicet hectica à diaria putridáque differt, & quomodo hectica in marasmum transeat, lege eum si lubeat. Vide etiam Auic.de signis adubul, &c.

De curatione hecticæ.

Duplici scopo hecticã curabis, quorũ alter sit ad sex res non naturales, alter ad medicinalia. Primus fiet, si aër in æstate declinet ad frigidum, si victus sit humidus & frigidus. plus tamen humectans quàm infrigidans, qualis est ptisana hordei, carnes hœdi,

perd

perdicum,caponũ,qui ex amylo & frumento nutriti sint,pisces petrosi, cancri fluuiatiles,testitudines nemorales, limatiæ & ranæ, oua sorbilia, caseus recens.Potus sit aqua hordeacea,vel vinũ albũ olygophoron: absint motus, vigiliæ, superflua repletio & ieiuniũ:sit victus ratio paulò plenior,quàm tenuior ob morbi longitudinem, gaudeat æger & lætetur.Circa medicinalia quatuor opus sunt intentiones: prima sit in remouenda causa hecticæ,vnde si fuerit causa vlcus in pulmone, primò remoueatur vlcus, non neglecta tamen hecticæ cura.Si causa fuerit tristitia, inducendo lætitiam auferetur. Secunda intentio respicit febrẽ quatenus febrem hecticam, & tunc infrigidatio & humectatio tam per interiora quàm per exteriora competũt, sicuti est aqua hordeacea cũ cancris fluuialibus decocta, sy.viol. de papauere,de iuiubis,item electuaria resumptiua veluti quoddam à Gordoni & à Francisco Pedemontio extat descriptum. Valet etiam lac asininum & muliebre, modò asina & mulier ex rebus frigidis & humidis nutriantur,& dosis erit iuxta Auicẽnæ placitum à tertiodeci mo vsque ad vigesimumtertium, & cõmuniter ab vnciis tribus vsque ad quatuor: verùm lac præbendũ non est,quũ post eius assumptionẽ, sitis &

diffic

difficultas spirandi & caloris recepti augeri videantur, vel vbi febris putrida hecticæ coniuncta sit. Extrinsecus verò conueniunt vnguenta ex oleo violaceo nenupharino, ceratum à Francisco Pedemontio descriptum, & epithema facultate frigidum, sed actu tepidum. Tertia intentio est eorum remotio quæ cum febre hectica copulantur, in quorum numero quum febris putrida adsit, tũc euacuatio non ratione hecticæ, quæ est immaterialis, sed ratione putridæ, ex qua superflua plurima aggreganntur, conuenit: sit tamen pharmacum non valde soluẽs, tum propter virtutis imbecillitatem, tum quia periculum esset de maxima exiccatione, quæ proculdubio fugienda sunt, sed eius loco, pharmaco leni ac lenitiuo vtãtur. Vltima intentio est symptomatum correctio, & sunt syncopis, tussis, & fluxus ventris. Syncopis tollitur cum aqua carnis, vino granatorum, vitellis ouorum, & vino odorifero: irroretur etiam facies ex aqua ros. mosch. Fluxus ventris ac ipsa tussis emendantur, ac dictum est suprà, pro quibus recurre ad sua capita.

Loci consentientes de cura hecticæ.

De prima intentione loquitur Galen. 10. meth. cap. 2. ibi, Nutrimentum oportet esse humid.

humidum & frigidum, quod hecticis febribus sit conducturũ, vt ptisanæ cremor frigidus, &c. Vide Paul. lib. 2. cap. 22. Auerrhois 2. collig. inquit, quòd magis humectione indiget æger, quàm refrigeratione, &c. De secunda intentione Gale. in art. par. inquit, Vniuscuiusque causam prius abscindere oportet, deinde ad eam, quæ ex ea facta est, ægritudinem deuenire. Auicen. 4. can. tra. 3. cap. 4. Intentio curandi febrem hecticam est infrigidatio & humectatio, &c. Itidem ait Aet. serm. 5. cap. 93. ibi, Scopus curationis in humectantibus & refrigerantibus consistit. De exhibẽdo lacte lege Gal. 10. meth. cap. 2. Item Paul. lib. 2. capit. 21. Et inuenies modum exhibendi, &c. De balneo similiter lege Gal. 10. meth. cap. 10. Et Auic. loc. cit. & Aet. ser. 5. cap. 93.

Obseruationes circa curam.

Auic. loc. cit. Caue tamen in his frigidis ob caloris eorum imbecillitatem, ne multùm in gradu extollantur, alioqui calor eorum suffocaretur.

De prognosticis hecticæ.

Hip. aph. 2. aph. 28 Febricitantium nõ omnino leuiter permanere corpus, & non minui, vel etiam plusquam ratio expostulat, contabescere malum: hoc enim morbi longitudinem, hoc verò imbecillatem signi-

ficat,

ficat. Gal. 1. de diff. feb. ca. 8. Vbi iam febris hectica exquisitè consistit, & iamdudū incœpit, non modò eandē curare est difficile sed etiā impossibile. Auic. 4. can. tr. 3. cap. 1. Hectica est in principio rei difficilis cognitionis & facilis curationis, & finis adubul non penitus recipit curationem. B. Difficilis est cognitionis, quia parum vel nihil à sua naturali dispositione corpus permutatur: idcirco postea curatur, quoniam virtutis robur vehementem tolerat refrigerationem: at quum παρασμώδης efficitur, in eius curatione frustrātur medici, tum ob nimiā consumptionē, tū ob eorū imbecillimā virtutē.

Authores dissentientes circa hecticam febrem.

1 Adserere, hecticam febrem posse absque alia febre per se incipere.
2 Adserere, in hectica febre fieri mutationem ex specie in aliam speciem.
3 Adserere, cibum non esse causam, cur in hectica magis calor appareat, &c.

Confutatio dissentientium circa febrem hecticam

Ad primum, inquit Auic. 4. can. tra. 2. ca. 1. Quòd longinquū est, vt accidat hectica inciēdo, & posse membra radicalia inflāmari, quin prius humores & spiritus non inflāmentur, & sic non posse per se incipere, nisi

ex Gal. 1. de diff. feb. 8. dat' partica incipiū ab capite fol. 73. 2. col. prin.

ab alia vrgente causa dependeat, &c.

Ad secundum, Arcul. inquit non esse dicendum eundem calorem numero & æquè intẽsum migrare de specie in speciem, sicuti patet in exemplo Auic. Nam flãma accẽsa in lychnio primum absumit oleum in lucerna positum, deinde oleum lychnio imbibitum, demum humiditatem coti, & sic non migrat de specie in speciem.

Ad tertium, respondet Gal. 1. de diff. feb. quòd caliditas arida, humido irrorata magis manifestatur, eo quòd aliquam partem cibi tenuem in vapores conuertat. Vel si magis placet opinio Auerrhois, eo quòd caliditas febrilis, quæ non sentiebatur per cibum assumptum mutatur ex non sensu ad sensum apparentem: & sic causa efficitur, vt calor magis appareat, &c.

De febrium putridarum diuisione & numero.

Recitat Gal. 2. meth. ca. 7. quòd tres sunt febriũ diuisiones ex humorũ putredine ortæ: prima ex eo, quòd causæ ipsius putredinis adsunt vel non adsunt. Secunda ex eo, quòd per totum animal aut eius partẽ aliquam est diffusa putredo. Tertia, quatenus cum phlegmone est, aut citra hanc. Enumerat deinde in lib. cõtra Lycũ has esse febres putridas, quæ numero sunt nouem, vt ardens,

dens, lypiria, hepiala, typhodes peſtilentes, ſemitertiana, quotidiana, tertiana, quartana, de quibus ſeorſum tractabimus, &c.

De putredinis diffinitione.

Putredo iuxta medicorum opinionem, eſt corruptio humoribus contingens propter ebullitionem extranei caloris, &c.

Loci conſent. de putredinis definit.

Gal. meth. ca. 8. Putredo eſt mutatio totius putrefaciẽtis corporis ſubſtantię ad corruptelam à calido externo. Ariſt. 4. meth. Putredo eſt corruptio propriæ caliditatis ab aliena caliditate in vnoquoque humido. B. Non mirum quum familiaris & natiua caliditas concoctionem adiuuat, externa verò corrumpit. lege Aet. ſermo. 5. cap. 74.

De cauſis putredinis.

Duplex eſt cauſa putredinis, altera ipſam complens, altera pręparans. Complens, ſi intrinſeca fuerit, tunc eſt reſpirationis priuatio, quæ à multo, craſſo, ac viſcido humore meatus conſtipante fiet. Si extrinſeca, tunc erit ab aëris mutatione præparatoria, veluti cibus, qui malè per ſuam ſubſtantiam, qualitatem, tempus, ordinem & artificiũ diſponitur: nam ſubſtantia eius vel eſt nimis viſcoſa vt anguillæ, aut nimis humida vt fructus, aut renuitur à natura, aut corruptibilis per ſe eſt, vt lac. Qualitas in cauſa erit, vbi

vbi cibus plurimæ humiditatis erit particeps. Tempus erit etiã causa præparatoria, si cibus in tempore nõ opportuno sumatur. Ordo etiam erit causa, vbi crassa & dura tenuibus in comedendo præponantur. Artificium, si cibaria malè parantur: at in genere loquendo omnis putredo à calido & humido fieri potest, &c.

Loci consentientes de causis putredinis.

De causis putredinis lege Auic. 4. can. 11. 2. ca. 1. ibi. Putredo fit à cibo, ab obstructione, aere, humore: vbi de cibo tanquã de causa præparatoria loquitur: lege eum fusius. Similiter Aet. ser. 5. cap. 74. Et Gal. 2. de cau. morb. capit 8. ibi, Putredinem inducunt aut medicamenta quæ suapte natura putrefacere possunt, aut excrementa in ipso animali genita, aut ea quæ transpirationem impediunt. Hipp. 3. epidim. à calido, & humido putredinem fieri dixit: nam si annus, inquit, calidus & humidus fuerit, necesse est vt magna pestilentia succedat. Vide de hac re Gal. 1. de temper. cap. 4. Item de inæquali intẽperie cap. 4. & 7. ibi, Non tantùm quæ inculcata sunt & prospiratu prohibita, sed & putrescunt alia multa, &c. Vide etiã Gal 2. meth. cap. 8 &c.

De ratione diuersitatis febrium.

Putredo est aut in vno solo membro tantùm, vnde aliquis abscessus orietur, & hoc vel ratione imbecillitatis membri, vel eius vehementis caloris, vel eius doloris, &c. aut erit in totius corporis ambitu diffusa: quæ si à maximis venis ad minimas transierit, fiet febris continua: si verò extra venas in omnes corporis meatus distribuatur, tunc erit interpolata. Causa interpolationis est triplex. Prima, quia humor velociter vel tardè putrescit. Secunda, quia humor velociter vel tardè in loco putredinis colligitur. Tertia, quia humor velociter vel tardè à putredine expurgatur. Pituita igitur quotidianam facit, ex eo quòd velocius ob sui humiditatem ad putredinem mouetur, aut citius ob sui quantitatem colligitur, cuius accessio durat horas 27. Quartana ratione suæ siccitatis duos dies interponens tardè putrescit, & ratione suæ paucitatis tardè collligitur. Tertiana verò inter has seruat mediũ: vnde si fuerit pura, durat 12. horis, sicuti quartana: si fuerit à naturali melãcholia, durat horis 19. Et pro eius quiete assignãtur horæ 48. & in quotidiana sex, & in tertiana 24.

Loci

Loci consentientes de ratione diuersitatis febrium.

Auic.4 can.2.tra.capi.1.Dupliciter varia tur putredo, vel ratione humorum putrescentium,aut ratione loci: quia quandoque est in vno solùm membro, quod quadrifariam contingit, vel ratione suæ imbecillitatis, vel ratione vehementis eius loci caliditatis,vel ratione acuitatis & doloris, &c. Gal.2. de diff.feb. cap.2. Rationem reddit quur febres interpolatæ, quúrue conclusæ sint:quam quum in longam orationem protrahat,ad illud caput te cõferes. Vide etiam 2.de crisibus cap.3.Quanquã vberius de his pertractet Auic.&c.

De signis febium putridarum in genere.

Indicia febrium putridarum propria sunt, quia nulla antecedit causa procatarctica:incipiunt cũ rigore, horrore, sed non omnes: adest inæqualitas pulsuum, calor mordax, atque tactui molestus. Sed proprium ac inseparabile est indicium pulsuũ, systolæ velocitas, & vrinarum cruditas, debilísque concoctio: præcedit etiam primum morbi insultum lassitudo, pigritia, somnolentia, vigiliæ, spirandi difficultas, venarũ tensio,sitis,dolor capitis, inquietudo,periodus cum sudore terminatur,&c.

Loci consentientes de signis febrium putridarum.

De his indiciis loquutus est Gale. satis vberius primo de diff. febr. cap. 7. ibi, Indicia febrium, quæ humorũ ratione accẽduntur, hæc sunt: primum non inseparabile, sed proprium est, quod nulla ex causis procatarcticis ipsas antecedit: initium sumere à rigore proprium est putridarum, sed non inseparabile signum, &c. Lege locum fusius, & plura ad hanc rem facientia inuenies: lege insuper Paul. lib. 2. ca. 2. Et Auic. 4. can. ca. 2. ibi, Vt plurimũ antecedit almellilotu, cui associatur lassitudo, pigritia, alices, saltus, commotio, somni, vigiliæ, anhelitus, constrictio, venarum tensio, &c.

De cura febrium putridarum in genere.

Morbus quatenus morbus per sui contrariũ auferri exposcit, febris est morbus, igitur per sui contrarium tollenda erit: sed hæc febris minimè tolli potest, ni prius putredo, à qua dependet, inhibeatur, quæ nec causa manente inhiberi potest: igitur primùm erit remouẽda putredinis causa, mox ipsa febris sanabitur. Causa putredinis erit transpirationis prohibitio, quæ vario modo oriri solet: nam aut à densatis exiguis meatibus & constrictis corporibus fiet, aut

ab humorum abundantia, aut à crassitie & lentore, quæ singulæ affectiones per sua contraria remouebuntur, vt densitas per rarefacientia, constrictio per dilatantia, crassities per incidentia, lentor per detergentia: & si totũ corpus iam singula dictorum occupauerint, etiam toti corpori per contraria est occurrendum. Sed quia febris est morbus de repletione, idcirco etiam euacuari desiderat: euacuabitur manu & pharmaco: manu, per sectionem venæ, cucurbitulas, hirudines & frictiones: pharmaco purgante per inferiora aut superiora, per vrinã & sudorem. Demum symptomatibus complicitis succurrẽdum, & norma viuendi instituenda erit, &c.

Loci consentientes de cura febrium putridarum in genere.

Gal. 2. meth. c. 4 & 5. Febris sanari nõ potest, nisi inhibita prius putredo sit: porrò ea inhiberi causa manente non potest, quare submouẽda eius causa erit, si modò, &c. lege eũ fusiùs, & habebis quæcũq; dicta sunt licet sub aliis verbis, &c. lege etiã Auic. 4. can. 2. tra. cap. 7. ibi, Scias q̃ intẽtio in medicãdo has febres, quandoq; vertitur ad partẽ febris, quare est infrigidare & humectare: interdum ad materiæ partem, &c. De victu lege fusiùs in lib. 1. vbi omnes apho. ferè

ad propositum accommodauimus.

De febre tertiana pura.

Febris tertiana pura est interpolata febris, à flaua bile pura ac tenui putrescente orta, cuius est de tertio in tertiũ ægrum affligere, secundũ naturã humoris propriam, & in septem periodis, vel antè iudicatur.

Loci consentientes.

Gal. 2. de diff. feb. c. 3. Febris tertiana exquisita est, quæ per sensibiles corporis partes delata oritur, cum rigore inuadens, atque ardentis febris similitudinem gerens & bilis vomitibus, aut deiectionibus, aut sudoribus, vel ex horum quibusdam, vel omnibus soluitur, cuius accessio duodecim ad summam horarũ æquinoctialium spatio finitur. Hippo. apho. 4. apho. 59. Tertiana exquisita in septenis circuitibus, quod tempus longissimum est, iudicatur.

De causis febris tertianæ puræ.

Febres tertianæ puræ fiunt à flaua bile putrefacta ac mota, & extra vasa lata, præsertim in consistentium ætate biliosissima, tempore æstiuo, in regione calida, & sicca, & in iis præcipuè, qui laboribus, vigiliis, & solis ardore & cibis calidis & siccis, aut immodico pharmacorum calidorum ac exiccantium vsu, curis & similibus vsi fuerunt, &c.

Loci

Loci consentientes de causis febris tertianæ.

Gal.2.de diff.feb.cap.3.Febris hæc à flaua bile per sensibiles corporis partes delata oritur.& in 1.ca.eiusdē lib.Tertianæ fiūt ab amara bile,& plerunque in corporibus, quorū naturalis habitus ad bilem accedit, in consistentium ætate biliosissima,tēpore æstiuo,&c. B. Nota ꝙ tres sunt febres biliosæ iuxta Auic.placitum,tertiana,scilicet continua,tertiana periodica,& causon. Periodica rursus diuiditur: nam aut est pura, aut spuria: pura quæ à pura bile,cui nullus alter humor admiscetur, oriri solet. lege de his causis Aët.ser.5 cap 79. Item Gal.2. de cris.cap.3. Item Oribas.apho.4.com.59. & intelliges febrem interpolatā extra vasa putrefieri. lege etiam Auicen.4.can.cap.35. Et Gal.4.apho.com.59.&c.

De signis febris tertianæ.

Sex sunt ex quibus indicia febris tertianæ sumuntur: Primum à modo rigoris, vt incipiat cum horrore & rigore difficili, ita vt pungi ac vulnerari cutis videatur. Secundum,ab vrina & sudore, nam sudor per totum corpus apparet in paroxysmi recessu, vrináque fit rubra ac veluti ignea. Tertium à caloris qualitate, vt sit causonis calore suauior, ac minus mordens, æqualis tamen

quoquo verſus, quia primò acris videatur, ſed paulò pòſt à manu remanente vincitur. Quartum ab ipſis ſymptomatibus, vnde ſitis quæ hominẽ exurit, & vigiliæ adſunt ſine capitis grauitate. Quintum, à pulſu, qui eſt velox, magnus, non æqualis in diaſtole & ſiſtole. 6. ſumitur ab ætate, regione, tempore, & à multitudine euentus tertianarum & ad infebricitationem definit. Signa quibus tertiana exquiſita à ſpuria differat, ſunt quatuor: Primũ, quòd eius acceſſio non trãſcendit duodecim horas. Secũdum, exquiſita tertiana in ſeptenis circuitibus iudicatur. Tertium incipit cum rigore breui & intenſo, & terminatur cum ſudore exuberante. Quartum quia in prima, vel quarta, vel ſeptima videtur vrinæ coctio, quod in ſpuria nequaquam.

Loci conſentientes de ſignis febris tertianæ.

Galen. 2. de criſ. cap. 3. Febris tertiana cognoſcitur, quia æqualẽ & liberã celeritatẽ habet, neq; vllũ adeſt inflãmationis ſignũ, ſitim inuehit, hominẽ exurit, in vigore conſiſtit, calor æqualis eſt quaqua verſus, poſt potum plurimus vapor per cutem exhalat ſudoris nuncius, vomitus bilis adeſt; venter ſoluitur, & bilioſum mingunt, ſudor apparet vaporoſus, calidus per totum corpus

æqual

æqualiter sudans, pulsus velox, magnus, ad infebricitationem desinit, & accessionis tempus vltra 12. horas non se extendit, sæpius septem horas, interdum citius & tardius incipit cum rigore &c. De indiciis per quæ distinguitur à spuria tertiana, lege Auicen. 4. can. cap. 37 tra. 2. Oribas. aphor. 4. comment. 59. Sex modis cognoscitur exquisita tertiana, nempe materia, natura, tẽpore, regione, copia ciborum & temperie, &c. Galen. 2. de diff. feb. enumerat de tertio in tertium accessionem, breue tempus cum rigore inuadens, & per sudores & bilis vomitum & excrementa bilioſa, &c. lege Paulum lib. 2. cap. 18.

De cura febris tertianæ puræ.

In cura febris tertianæ puræ sex opus sunt intentiones, quarũ prima versatur circa regimen sex rerũ non naturalium, secunda erit lenitio ventris ac materiæ in contrariũ alteratio: tertia erit euacuatio: quarta vrinæ vel sudoris prouocatio: quinta caloris remanentis alteratio, & membrorum roboratio: sexta accidentiũ correctio. Regimen contrarias omnino qualirates requirit, vnde aër sit frigidus & humidus, sicuti & cibi humectare & refrigerare habent, vt ex oleribus attriplex, blitum, lapathum, lactuca, endiuia, cucurbita, cremor ptisanæ,

& ſorbitiones alicæ, aqua hordeacea. Cáueant à melle, ſinapi, ſalitis, & ab omnibus acribus: item à vinis, præcipuè vetuſtis: vbi verò morbus concoqui cœperit, dandum eſt vinum tenue aquoſum: quum verò morbus ſoluitur, liberius exhibendum. Secunda intentio eſt ventris lubricatio & materiæ vlceratio: prima fiet cum clyſteribus ex caſſia, rhodomelle, & oleo violato, vel cum caſſiæ ſimplicis bolo, &c. Alteratio materiæ per refrigerantia & humectantia, vt cum ſyrup. de endiuia roſ. viol. de agreſta, de ſuc. acet. acetoſo ſimplici cum aquis endiuiæ viol. &c. Tertia ſcilicet euacuatio fiet per ſectionem venæ, ſi ſub forma antecedentis cauſæ materia fuerit ſanguini admixta, aut in futuro de admiſcenda timeatur: quæ ſi à ſanguine fuerit ſeparata, tunc fiet per pharmaca ſoluentia. ſicuti cũ rheubarbaro, cum caſſia, diacatholicone, electuario de ſuc. roſ. &c. Quarta eliciet ſudorem & vrinam non rebus calidis, ſed potius id valentibus frigidis, ſicuti cum acetoſo ſimp. cum emulſione ſcilicet communium frigid. in aquis endiuiæ acetoſæ, aut cũ balneis temperatis boni odoris. Quinta erit caloris derelicti alteratio, ac laxorum membrorum roboratio. Relaxantur enim membra tum ob imbecillitatem ex

reſol

resolutione spirituum acquisitam, tum ex calore febrili,& euacuationibus tam naturaliter, quàm artificialiter factis: his igitur succurritur cum rebus frigidis, roborantibus, siccis,cum Troc.de camphora,syrup. ros.aut cum triasandalis,diarrhodone Abb. zucharo ros.vel cum epithemate tum cordi tum hepati applicito. Sexta remouet accidentia quæ huic febri contingere solent, sicut sunt sitis, vigiliæ, dolor capitis, & asperitas linguæ. Sitis tollitur cum collutione oris multifariam parata, sicuti cum aquis endiuiæ acetosæ, cum vino granatorum & omphacio,addito zucharo,cum electuariis de vino granatorum,aut cum mucilagine psylij in sydone rara inuoluto, ac in aqua immerso. Vigiliæ remouentur cum vnguento populeone, addita cassia odorata,opio & croco:aut cum lotionibus ex rebus somniferis,&c. Dolor capitis tollitur cum cucurbitulis, frictionibus, cum oxyrrhodino,& pilulæ cap.frig.&c.

Loci consentientes.

De prima intentione loquitur Gal.1. ad Glauc.cap.9.ibi,Semper oportet cõtrarias qualitates illis,quæ præter naturã inualuerint opponere, cum hoc multò plus iuuet, quã quomodolibet euacuare. Et paulòpòst, Cibi humectantes & refrigerantes omnes exqu

exquisitis tertianis sunt vtiles, quantitas tanta sit, vt cõcoqui possit, ex oleribus sint atriplex, blitũ, lapathum, malua, lactuca, & cucurbita, & ex aliis, ptisanæ succus, & alicæ sorbitiones, ex piscibus saxatiles, ex volatilibus quæ mollibus constant carnibus. Itẽ testiculi gallorũ & suũ pedes & cerebella. Itẽ ouorum sorbiliũ vitelli, quia hi facilius quàm pars alba concoquuntur, &c. Lege locũ fusius, & nota prædictam victus rationẽ tantũ delitiosis esse exhibendã, robustis verò qualem nobis monstrauit Hippo. scilicet tenuem, &c. lege Pau. lib. 2 cap. 19. Et Auic. 4. can. cap. 39. De secunda intentione loquitur Galenus, & similiter de tertia, primò ad Glauc. cap. 9. ibi, Exquisitam tertianam, quæ ex flaua bile commota inualescit, quã maximè fieri potest, refrigerare oportet & humectare, &c. De cæteris verò intentionibus lege iuxta Auicen. loc. citato, vbi enumerat, linientia pharmaca, & commendat fieri phlebotomiam quando est possibile, deinde materiæ adæquationem cum syr. acetoso, & euacuationem, demum resoluentia, & c. lege eum fusiùs.

Obseruationes circa victum.

Auicen. lo. cit. Et non cibes nisi apud has conditiones: prima, nisi aluus primũ soluta sit: secunda, quòd prior cibus sit concoctus

ante

ante paroxysmi aduentum : tertia, non exhibeatur cibus, nisi in tempore quietis, sicut in declinatione, si possibile est: quarta, quotiēs ad statum properatur, tunc victum magis attenuare oportet, &c.

De prognosticis febris tertianæ.

Gal.1.ad Glauc.cap.8. Exquisita tertianæ septem' circuitibus iudicatur, & præter id etiam minimè periculosa. B. Nota quòd in febribus intermittentibus annumerantur tantùm accessiones & nō dies, vnde in tertiana septem circuitus 14. dies referunt, in quibus etiam alij acuti morbi finiuntur. vide aphor.4.comment.59.

Hippoc.apho.4.apho.36. Sudores febricitāti si incœperint, boni tertio die. 5.7.9. 11.14.17.20.27.34. Hi enim sudores indicāt morbos : qui verò non ita fiunt, laborem significant, & morbi longitudinem & recidiuam. Gale.3 de crisi.cap.3. Tertiana vomitibus & excrementis bilioſis & sudoribus toto corpore fluentibus finiri debet, quia humor tenuissimus, si modò ascendit vomitum irritat : si descendit, aluum mouet : si ad meatus, cutis sudorem copiosum ob sui tenuitatem elicit, &c.

Auicen.4.can.cap.37. Et quandoque consumitur in vno paroxysmo ob suæ materiæ tenuitatem, &c. B. Gal.de diff.febr. cap 3.

Quæ

Quatuor causas breuitatis enumerat, quæ sunt humoris quantitas, qualitas, laborantis vigor, & corporis dispositio: vt exempli gratia, si cum pauca quantitate humoris & tenui eius qualitate, vigor cum rara dispositione corporis maior fuerit, tunc morbus erit breuis: sed si multa bilis, crassa vigoris imbecillitas, & densa corporis dispositio simul fuerit, tunc morbus erit valde longus, &c.

De febre tertiana notha siue spuria.

Gal. 2. de diff. feb. cap. 8. enumerans signa exquisitæ tertianæ, inquit: Quibus verò aliquid horum deficit, hæ non amplius exquisitæ, sed simpliciter tertianæ nuncupantur, maximè si intermissionē μικροτεραν, id est, breuiorem habuerint, accessione videlicet in longius tempus protracta: & notat quatuor huius febris differentias. Prima vocatur simpliciter extensa, quæ ad 24. horas extenditur. Secunda paululum extensa, & durat vsque ad horas 30. Tertia dicitur amplius extensa, & durat vsque ad horas 36. Quarta vocatur plurimum extensa, & durat vsque ad 40. & plures horas, ita vt quotiens magis à pura siue exquisita distabit, totiens magis notha, siue spuria, siue extensa nuncupabitur, &c. Similis sensus est 1. ad Glauc. cap. 8.

De

De cauſis febris tertianæ nothæ.

Cauſa vt plurimùm eſt craſſa bilis putrefacta, interdum bilis cum pituita admixta & vnita, &c.

Loci conſentientes.

De cauſis lege Auic. 4. can. 2. tra. c. 35. ibi, Tertiana nõ pura fit à putredine bilis craſſæ ſubſtantiæ, ob commixtionem bilis cum phlegmate, commixtione complexionali vnita, &c. B. intellige ita humores miſceri ac ſi ab vtroque vna forma peruenireț, & in hoc ab emitriteo differt, qui à duabus inuicem diſtinctis formis efficitur. Et nota q. Galen. facit differentiam inter duas tertianas & duplicem tertianam: nam duplicis tertianæ cauſa ab vna tantùm minera prouenit, ſed duarũ tertianarum cauſa à duabus mineris loco diſtinctis efficitur.

De ſignis febris tertianæ nothæ.

Signa ſunt ſex, grauitas capitis cũ dolore tenſiuo. Secundum, Acceſſio durat ob humoris craſſitiem vſque ad 24. vel 30. horas, & tepor eius vſque ad 48. Tertium non apparet concoctionis veſtigium, ſed vrina eſt cruda. Quartum, non extenuatur corpus ſicuti in tertiana ſimplici. Quintum, nec cum ſudore deſinit, nec rigorem interdum habet, nec adeſt caliditas acris & mordax. Sextum, nulla adſunt ſæua accidentia, vt

dictum

dictum est in simplici tertiana, & idem accessionis tempus semper est.

Loci consentientes de signis tertianæ.

De his signis lege Auic.4.can.2.tra.cap. 37.ibi, In non pura tertiana adest grauitas capitis cum dolore extensiuo, durátque paroxysmus vsque ad 24.horas, vel 30. vsque ad declinationem, & tunc tepescit donec compleantur 48.horæ, &c.lege eum fusius. Gal.1.ad Glauc.cap.8.ex historia adolescẽtis omnia signa huius febris demonstrauit inquiens: Vrina cruda admodum, febris incidit cum horrore, quæ neque in caliditate, neque in pulsibus exquisitæ tertianæ est similis: accessio durat ab aurora tertiæ diei vsque ad auroram quartæ: & semper idem accessionis tempus. lege hunc locum vberius. Et nota quòd non idem accessionis tempus semper est, nisi materia crassa bili dominetur, &c.

De cura febris tertianæ nothæ.

Curandi intentiones tot erunt, quot dictæ sunt in febre tertiana simpl. Versatur igitur prima circa regimen sex rerum non naturalium, vnde victus in primis nõ quotidie, sed alternis diebus in tempore quietis exhibendus erit, qui non adeò infrigidet & humectet, vt in tertiana simplici, sed

aliquatenus calefaciat, incidat, & abstergat, sítque non tenuis adeò, sed crassior quàm dictum est. Cęterę verò res non naturales eadem ferè qualitate fac vt polleant. Secunda quę est ventris lenitio ac materię præparatio, efficietur primò clysteribus ex cassia, hiera picra, oleo camomillino, & sale paratis. Similiter præparatio materiæ cũ syr. acet. simpl. rhodomelle, syr. de duabus rad. bisantino, cũ aquis & decoctis cichorij, boraginis, fœniculi, &c. Tertia erit euacuatio quæ peccante materia cum sanguine fiet per sectionem venæ, aut corpore existente plethorico: quòd vbi à sanguine separatũ cognoueris, tunc vomitu vel pharmaco solutiuo euacuabis, vtputa cum infusione rheubarbari, agarici, aut cum diaphinicone & cassia, &c. Quarta erit vrinæ & sudoris prouocatio, quæ cum hordei decocto, vel petroselini, apij, cichorij, &c. Quinta erit membrorum quæ laxa sunt, roboratio: & fit cũ Troc. de ros. de eupatorio, aut aromatico ros. Extrinsecus cũ oleo de mastice, de spica, de menta, de absinthio, aut cũ fotu ex camomilla, absinthio, mẽta, addendo semper aliquid vini odoriferi, &c. Vltima intentio est quorundam symptomatum remotio, quæ sunt in appetentia, & somnus profundus, incitatur appetitus cũ

capparibus conditis in aceto, aut cum diacitonite, cum zucharo, aut inunctionibus ſuprà ſcriptis, &c. Somnus etiã remouetur cum aceto calido, vt refert Auicen. cap. de ſubet, aut cum lotionibus, & cum his ſimilibus, quæ ægrum expergiſci poſſunt.

Loci conſentientes de cura febris tertianæ nothæ.

Gale. 1. ad Glauc. ca. 10. Non oportet cibũ quotidie exhiberi, ſed alternis diebus: victus ratio non ſit quæ humectet & refrigeret vniuerſum corpus, qualis in exquiſitis tertianis exhibetur, ſed aliquem modum ſumat ad calefaciendum & incidendũ, &c. Poſt victum ſectionem venæ commendat, ibi, Quòd ſi ſanguinem mittere oporteat, neque hoc omittendũ, ſed ab initio ſtatim faciendum. Laudat etiam humorum præparationem ex hyſſopo, origano, ſpica nardi, cũ mulſo decoctis, & poſt ſeptimum coma abſinthij dauda eſt cum oxymelle, ſolutionem deinde cum his quæ molliter ventrem ſubducunt, &c. Paul. lib. 2. cap. 20. Vomitus poſt cibũ iis vtiliſſimus eſt, quibus hæc febris in vetuſtatem incidit. ſimiliter Auic & Razes 18 cõti. Auic. 4. can. 2. tra. ca. 40. Et quũ videris vrinas eorũ craſſas, tunc phlebotoma, & poſt hæc adiuuantia ad digeſtionẽ ſunt ſyrup. acetoſus, &c. quæcunque

que à me dicta sunt de aliis intentionibus, ipse vberius pertractat. Nota tamen ex Haly Abb nõ concedi in principio huius morbi pharmacum electiuum, nisi materia turgeat, quanquam iuxta Manardum in epistola ad Charandinum videatur legi contrarium. imò vix inuenies Gal. in omni febre absque cõcoctione humorum pharmacum solutiuum exhibere, sed in aliis à febre morbis paucos inuenies, quos per pharmacum non expurget, &c.

Obseruationes de humorum concoctione.

Gal. 1. ad Glauc. cap. 10. Ab initio statim vitãda quæ nimis exiccãt & calefaciũt, &c.

Obseruat. circa pharmaca solutiua

Auic. 4. can. & Arcul. Rarò & tardè solutiuum exhibendũ est, alioqui si importuna fuerit euacuatio, tunc tenues tantùm exoluentur, & crassæ partes remanebunt, &c.

De prognosticis febrium tertianarum bothæ.

Auic. 4. can. cap. 35. Hæc quidem nõ pura quãdoque prolongatur tempore longo, & circiter medietatem anni, & quandoque perducit ad mollitiem & magnitudinem. plenis. Gal. 1. ad Glauc. cap 8. Vide quãdoque quum in autumno incœpisset in vere deuisse, tũ quia æger medici præceptis non

paruisset, tum quia læsus ex hyeme esset, lien intumuit, præcordia flatibus fuerant oppleta,& iam subtumida quædam aderat in facie decoloratio, & præsertim circa crura, adeò vt de a dolescente dubitare nobis contigerit,&c B. Prorogationis febriũ causa,Gal.teste 2.prognost.com.25. est triplex.Prima fit propter aliquam partem affectam curatu difficilem. Secunda fit propter humores crassos,crudos,incoctósque. Tertia,propter aliquod circa ægrum commissum:idcirco dicebat Auicen.In morbo longo resupinetur æger, & crura curuentur,& tangantur eius viscera,& videatur si qua parte corpus tumuerit,&c.Hipp. Aph. 4.Aph.29. Quibuscũque in febribus sexto die rigores fiunt, difficile iudicium sequitur.Et Apho.4.Apho.43.Febres quęcunque nõ intermittentes tertia die fortiores fiũt, magis periculosę:quocunque modo intermiserint, periculum abesse significat. Et Aphor.4.Aphor.44.Quibus febres longę, his tubercula vel labores in articulis fiũt. Et Aphor.4. Aphor.45. Quibus tubercula vel in articulis labores ex longis febribus fiunt, ii pluribus vtuntur cibis.Et Aph. 46. eiusdem, Si rigor incidat febre non deficiente,ægro iam debili,lethale, &c. Lege Galen.comment.

Autho

Auctores dissentientes circa febres tertianas.

1 Adserere, tertianam febrem cognosci posse per accessionem tantùm de tertia in tertiam.

2 Adserere, solùm humori putrido digestionem conuenire.

3 Adserere, omnes fructus nocere febricicantibus cum Auic.

4 Adserere, nullum in febribus vinũ esse concedendum.

Confutatio dissentientium circa febres tertianas.

Ad primum respondet Auicen. 4. can. 2. tract. cap. 36. quòd qui cõsiderat tertianam per paroxysmum, errat in ea, sed oportet vt attendat ad significationes alias. Hac etiam de re à Galeno irridetur Thessalus, qui diatritum in cognoscendo tertianam expectabat: & 2. de cris. cap. 3.

Ad secundum dicit Gal. 1. de vic. in mor. acu. vbi loquitur de ptisana ordeacea, quòd nullo modo humori putrido conuenit digestio, quum nec ad benignitatem humor reduci possit, sed continuò euaporans humidum, quoddam cineritium permaneat: nisi hoc fortè acciderit in continuis febribus, quia tunc humor putridus digeri debet, quũ tota materia putrescere incipiat.

Ad tertium, dicimus propositionem esse veram, modò de his omnibus fructibus intelligatur, qui sua humiditate ad corruptionem sunt proni: sed quũ multi sint qui sua humiditate corruptioni resistãt, vt granata mala, citrina, pruna, &c. Idcirco in febribus conceduntur, quum magis per suam frigiditatem iuuant, quàm per humiditatem putrescibilem noceant.

Ad quartum, Galen. 3. de vic. in morb. ac. comment. 8. Vinum, inquit, aquosum maximè febrientibus est idoneum, & id est quod album est colore & substãtia tenui, nullam earum, quæ in cæteris vinis insunt, habens qualitatem, nec austeritatem, nec adstringentiã, nec dulcedinẽ, nec acrimoniam, nec odorem, & quòd in Italia imbecillum est, Sabinum, quod febrientibus administrant, & quod reperiri potest tale vinum in Asia, Cilicia, Phœnicia, Palæstina, Scyro & Creta: vnde si multa reperiuntur in Italia, Asia, Bithynia, nil mirũ, imò quòd plus est, miratur cur nil tactum sit de hoc vino ab Hippocrate, quũ febrientibus plus quàm cætera omnia sit iocundius, &c.

De febre quotidiana simplici.

Quotidiana est febris intermittens à pituita extra venas putrefacta proueniens, cuius est ægrũ quotidie per sex horas cum

falsa

falsa quiete dimittere. Vocatur etiam alio nomine ephemerina.

Loci consentientes de febre quotidiana.

Gal. 2. de diff. feb. cap. 4. Febris quotidiana exquisita est quæ ex pituitæ putredine ortum habet, per sentientes corporis partus à natura detrusa, &c. Lege etiam cap. 7. huius libri.

De causis febris quotidianæ simpl.

Causæ præcedentes sunt tẽperaturæ humidiores, annique tempora, quies, otium, repletio, balnea statim à cibo. Causæ antecedentes & coiunctæ sunt ipsa pituita, quæ quum sit quadruplex, acida, dulcis, salsa & vitrea, quæ est acidę qualitatis particeps, ita quatuor species siue differẽtias febriũ efficiet.

Loci consentientes de causis febrium & quomodo.

Gal. 1. ad Glauc. cap. 7. Fiunt hæ febres ætatibus, naturis, annique statibus & temperaturis humidioribus, &c. Vide latius textum. Item Auic. ibi, Fit febris humidis, quietis, senibus, infantibus, nauseatiuam satietatem patientibus & balneantibus se super repletionẽ, &c. Gal. 2. de diff. feb. cap. 1. Sicut tertianæ à flaua bile, ita quotidianæ à pituita fiunt. Et in lib. de plenit. tres

ſpecies pituitæ enumerat. & 2. de differ. feb. cap. 64. eſſe dixit vt ſalſa, acida, dulcis, vitrea, quæ acidæ etiam qualitatis particeps dicitur. Vnde Auic. 4. can. 2. tra. ca. 47. quatuor ſpecies enumerat ibi, Et phlegma putridum quandoque eſt vitreum, quandoque acetoſum, quandoque dulce, quãdoq; ſalſum. B. Nota tamẽ, ſi quę ſint alię ſpecies pituitæ, per has quatuor intelligi: nam crudum & mucilaginoſum ſub vitreo comprehenditur, ſicut inſipidum & aquoſum ſub dulci, & ponticum ſub acetoſo, gypſeum verò febrem non accendit. lege de his fuſius lib. 1. cap. de humoribus.

De ſignis febris quotidianæ ſimpl.

Febris quotidiana cognoſcitur, quia in primis diebus nullum habet vigorem, ſed potius in progreſſu temporis refrigerationem quandã, ob humoris craſſitiem. Pulſus Fit inæqualis, ſubmerſus, debilis, rarus, in principiis verò particularibus fit frequens, ſed non adeò velox nec vehemens, nec magnus vt in tertiana, ſed rarus. Vrina alba, tenuis, deinde fit rubra, nulla adeſt ſitis, niſi à pituita ſalſa aut valde putrida fiant, ſudor nõ apparet materia exiſtẽte craſſa. Os ventriculi & hepar malè afficiũtur ob vim concoctoriã imbecillẽ. Præcordia vltra natura

turalem habitum intumeſcunt ob caloris imbecillitatem. Calor etiam accidit hyberno tempore, & fit principium acceſſionis circa veſpèrum: febris incipit ferè cũ ſyncopi & principium vniuerſale durat 18. diebus, & declinationis 6. Calor huius febris in primo tactu eſt debilis, vaporoſus: ſed dũ mora fit in tangẽdo, ſentitur acris & mordax: ſi verò febris fiat à vitreo & acetoſo phlegmate, multiplicatur valde frigus: & in vitreo rigor eſt vehemẽtior: quæ verò fit à ſalſa pituita, ſequitur horror, & non fit vehemens frigus: quæ verò à dulci, raro aduenit frigus vel rigor.

Loci conſentientes de ſignis.

De his ſignis fuſiſſimè loquutus eſt Gal. 2. de criſ. ca. 5. ibi, Febris quotidiana cognoſcitur, quia nõ primo ſtatim die cũ rigore iuuadit, ſed proceſſu temporis refrigerationes potius quàm rigores ipſis aduenĩũt, neq; in pulſibus ſeruatur ordo vel æqualitas, dum acceſſiones fiunt, &c. Lege locum hunc fuſius & intelliges iam à me pridem dicta. Lege etiã Paul. lib. 2. cap. 23. Item Razen 10. almans. Item Auicen. 4. can. cap. 48. Item Gale. 2. de diff. feb. ca. 10. Et primo ad Glauc. cap. 7. Vniuſcuiuſque humoris pituitoſi ſigna etiam diffusè habes ex Auic. loc. cit. Vide etiam Aet ſer. 5. cap. 85.

De cura febris quotidianæ.

Quinis intentionibus febrẽ pituitosam curabis: primò cum regimine sex rerũ non naturalium. 2. cum humoris crassi incisione. 3. euacuatione. 4. cum vrinę prouocatione. 5. cũ symptomatum remotione & membrorũ roboratione. Prima intentio perficitur cũ attenuantibus cibis & incisoriis, ita vt in primis diebus tenuem exhibeamus victum, sed in processu tẽporis crassioré, & hoc in cura tentatiua. Sint itaque cibi temperati, ad aliqualẽ calorẽ vergẽtes, vt panis cõtritus, caro pulli, borago, fœniculũ, vinũ interdũ conceditur album & lymphatũ. In aliis rebus nõ naturalibus non vniformis regula dari potest, quũ inter salsam & etudã pituitã, inter dulcẽ & acidã magna quippe adsit differẽtia. Secũda intẽtio fiet, si primùm aluũ cũ clysteri lenimus: deinde humorem crassum incidimus cum oxymelle simp. rhodomelle, vel. sy. de duabus rad. vel bisantino cũ aquis vel decoctis ca. Ven. fœniculi, petroselini, maratri, apii. Tertia intentio pręparari poterit cum agarico, trõ. rheub. cõfectione de turbit, diaphinico, el. indo, &c. Quarta intẽtio quę est vrinę proritatio, multifariã fieri poterit, tum cũ pilulis ex semine vrticæ, cuscutæ, tum cũ decocto apii, fœniculi, tum cũ topicis quę adhiberi

hiberi possunt. Quinta intentio duo mala symptomata, quæ huic febri coniungi solent, remouet, sicut est somnolentia quædam profunda in principio paroxismi, & rigor valde intensus. Somnus remouetur cum aceto manibus admoto, vel in angulis oculorum posito. Rigor tollitur cum oleo rutæ, in quo tandiu vinum Creticum bullierit, donec consumptum vinum amoueatur, facta inunctione ante rigoris aduentum circa totam dorsi spinam. Roboratur etiam stomachus cum oleo mastichino de spica, de absinthio: aut intrinsecus cum aromatico ros. diarrhodone Abb. &c

Loci consentientes de cura febris quotidianæ.

De prima intentione loquitur Gale. 1. ad Glauc. capit. 12. ibi, Et vniuersum totius victus caput sit ad incidendum efficacius.

Auicen. 4 can. capit. 58: Et fortasse contentus erit aqua hordei in primis diebus, dum speratur status propinquior: & nota quòd instituitur victus tenuis, dum in cognitionem febris peruenire volumus, vel tenuis ratione quartanæ, vel quia processu temporis pituita coquitur, & sanguis efficitur modò à natura vincatur, vt refert Gale. 2. de vic. in morb. ac. De aliis intentionibus loquitur Galen. 1. ad Glauc. capit. 12. ibi, Curamus

ramus quotidianã cum oxymellite in primis diebus,& his quæ validè vrinam cient circa ſtatũ habenda eſt ventriculo ſolicitudo,&c. Vide illũ fuſius. Vide etiã Razẽ 10. almans.ca.de cura febris phlegmaticæ,&c.

De prognoſt.feb. quotidianæ.

Hippo.aphor.4.aph 63.Quibus in febribus quotidie rigores fiunt,quotidie febres ſoluuntur.Razes 10.almans,cap.de quot.inter pol.Hęc febris multis moratur mẽſibus & mortis ſuſpicionẽ habet. Et 18.commẽt. Quotidiana eſt periculoſa. Et Auer.4.collig.Deterior omnibus eſt quæ ex phlegmate vitreo,& ſaluior omnium quæ eſt mũdorum temporum, & quæ eſt multi ſudoris: nam humoris ſignificat tenuitatem & corporis raram texturam: & rarò inquit Auic. euacuantur febrientes à læſione ſtomachi. B.Quia quum locus pituitæ ſit ſtomachus, fieri nõ poteſt vt ſi ſit febris pituitoſa,quòd non noceat ſtomacho,ſicut tertiana felli & hepati,& quartana ſpleni,&c.

De febre quartana.

Febris quartana vt plurimũ peridioca, eſt febris à melancholia non naturali putrefacta,per aduſtionẽ bilis genita plerunque eueniens. Cuius eſt ęgrũ de quarto in quartum diem affligere, & hæc duplex,exquiſita & ſpuriæ:exquiſita ſit à natur ali me-

lancholica, ſpuria verò naturali, & hæc cap. de hūm.

Loci conſentientes de febre quartana.

Cauſæ quartanæ ſunt quæcunque atram bilē generant, nam ex ſolo humore atrabilari, putrefacto oritur. Putrefit verò atra bilis ob ſui craſſitiem, multitudinem, aut ob aliquā meatuū obſtructionē, aut ob facultatis expulſoriæ impotentiam, quæ in corpore corrupta expellere nequit, vnde ſequitur putrefactio. Fiunt etiam quartanę ex aliquo hepatis vel ſplenis affectu, vel ſucceſſione aliarum ęgritudinum, &c.

Loci conſentientes de cauſis quartanæ.

Gal. 2. de diff. feb. capi. 5. Generatur quartana ex ſolo humore atrę bilis putrefacto, putrefit interdum ob craſſitiem, aut multitudinē, aut tenacitatem materię inutilis, aut aliquam meatuum obſtructionem, &c. Auic. 4. can. cap. 64. Eius cauſę ſunt quę generant melancholiā, poſteà putrefaciunt eam, &c. Euenit autem vt plurimū ex ſucceſſione ægritudinum febrium diuerſarū, ex quorum putrefactione quum adduntur & non euacuantur, multiplicatur melancholia. B. Rarò quartana continua accidit ex eo, quòd quum in venis atra bilis ad putrefactio-

trefactionem mouetur, tanquam virtuti dissimilis extramittitur, quæ putrescens intermittentem efficit. Nota Arcul. ex hoc Auicen. loco, quòd id verum non sit, quòd putridum à putrido fiat: nam atra bilis ex putredine humorum generatur, quæ nõ est putrida, quod etiam confirmatur à Gal. 3. de prognost. comment. 29

De signis febris quartanæ.

Signa quartanæ vniuersalia sunt, quia ipsa incipit cum pauco frigore, quod augetur & minuitur in eodem paroxysmo, aduenientе statu caliditas non est vehemens vt in tertiana, sed maior quàm in pituitosa: præterea quartana paulatim ac insensibiliter à frigore ad calorem se confert, fit etiam plerũque in antumno. Cognoscitur ex victu præcedente, & si homo lienosus sit, si populariter fiant quartanæ, si vrinæ tenues, albę & aquosę fuerint. Signa particularia sunt, vt si fiat à sanguine adusto, aderit rubedo vrinæ, signa sanguinis præcesserunt, forma, ætas, tempus, & fit post febres sanguineas. Signa bilis adustę sunt pulsus velox, frequens, incipit cum horrore, frigore, siti, sudore, inflammatione, tempore, ætate, & febrium cholericarum successione. De signis pituitæ adustæ aliquid in præsentia non afferam, quum anceps sim

an

an pituita ita aduri possit, vt in melancholiam conuerti possit, &c.

Loci consentientes de signis quartanæ.

De omnibus signis tam vniuersalibus quàm particularibus loquitur Auicennas 4. can. capit. 65. ibi, Signa quartanę sunt, quòd incipit cum paruo frigore, &c. lege eum fusius. Gal. 2. de cris. capit. 4. omnia hęc etiã habet, ibi, Quartana febris cognoscitur, si autumnus frigidam & siccã & inæqualem temperaturam habuerit: quia tunc quartanarii circuitus frequentiores fiunt, &c. lege locum vltrà, de pituita, vtrùm aduri possit, vt atra bilis euadat, lege Manardum.

De cura febris quartanæ.

Quinque in cura intentiones cõueniunt quarum prima expostulat victũ optimum, non flatuosum, sed ventrem emollientem. Cauenda est suilla caro, & tenacia edulia, & quæcunque refrigerant ac exiccant: vinum concedatur albũ, tenue. Concedantur inter volatilia quæ optimi succi sunt, in statu morbi victus tenuis adhibeatur magis quam antè & pòst, sitque calidus & humidus. Secunda intẽtio est vẽtris lenitio, ac humoris aliqua pręparatio: lenimus cũ clysteribus vel aliis lenientibus, ac præparamus primũ cũ aceto, simp. rhodomelle, sy. de epithimo, de fumo terræ, de suc. borag bisanti-

no

no cũ aquis vel decoctis conueniẽtibus, vt fumi terrę, lupulorum borag. epitimi, ſenę, polypodii. Tertia intentio eſt euacuatio, quæ parari poteſt cũ ſectione venæ interioris, modò ſanguis admiſceatur, vel abundare videatur: aut fiet per pharmacum ſolutiuum, qualis eſt infuſio ſenæ in ſero caprino, aut decoctum myrobalanorum cheb. & ind. aut cõfectio hamec. pilulæ de fumo terrę, indę, de lapide lazuli, & hoc quum decocta ac præparata fuerit materia: interdũ etiam euacuatio fiet per vomitum, per vrinas, & ſudorem, &c. Quartà intentio robo rat membra, ſicuti cor cũ vng. de nenuph. citrino, hepar cum rebus hepaticis, ſimiliter lienem & ſtomachum prout ſuis locis dictum eſt. Quinta intentio ſymptomata tollit perficítque primò remouendo rigorem validum & frigus in vngendo ſpinam dorſi cum oleo rutaceo, coſtino, cũ mithridato & theriaca, &c. Et hæc de febre quartana exquiſita. At ſpuria hiſdemmet intentionibus curabitur, præter quòd dicta magis ad humiditatem & frigiditatem vergere debet, præſertim ſi à ſanguine aduſto, velà bile aduſta prouenerit. Digeſtio etiam aliter ac dixi fiet, ſed cum oxylachara, ſyr. viol. acetoſ. ſimp. Variabit etiam euacuatio quæ fieri debet cum myrobalanis citrinis

&

& indis, &c. cætera erunt prout dictum est Cura quartanæ continuæ erit eadem ac dictum de interpolata nisi quòd infrigidationem requirit maiorem ob assiduũ calorẽ, item audacius vena secatur, & tenuius cibandum quum breuioris sit status.

Loci consentientes de cura febris quartanæ.

De prima intentione loquitur Gal. 1. ad Gla. cap. 2. ibi, Victus instituendus est optimus, sine flatibus, ac ventrem emolliens: arcendi sunt à carnibus porcorũ, & ab omnibus eduliis tenacibus & tardè exeuntibus, quæ corpus refrigerant & exiccãt. Vide etiam Auic. 4. can. capi 68. nam ibi fusius de victu pertractat. De aliis intentionibus loquitur ad vnguẽ Gal. loc. cit. ibi, Quartana mediocriter ac leniter ab initio tractanda est, nullũ forte medicamẽ aut euacuationẽ exhibentes, nisi sanguis vehemẽter abũdare videatur: nam tunc vena secetur interior vel media, quę est in sinistro cubito: quod si niger ac crassus sanguis videatur, audacius mittatur: si flauus & tenuis, statim sui primatur: quum morbus in suo vigore fuerit, prouidendum est visceribus cum his quæ emolliunt & laxant, deinde medicamentis vtendum quæ vrinam cient: & si coctionis indicia apparuerint, cum his purgandum

quæ humores atros exoluunt,nõ ſemel tãtùm,ſed ſæpius ſi fuerit neceſſarium: vtendum & à cibo vomitibus , & qui nequeunt vomere, per inferiora purgentnr. Auic. de his fuſius pertractat.4.can.ca.66. Et Razes 10.alm.cap.proprio.

Obſeruationes circa euacuationem.

Auic.4.can.capit.66. Quando quartana eſt à melancholia ſanguinea, tũc extrahatur ſanguis ſecundum quãtitatem neceſſitatis:& quãdo non eſt neceſſaria,tunc phlebotomia eſt nociua, quatenus debilitat & ducit contrariũm melancholiæ , & quatenus mouet humores ad exteriora,&c. Gal. 1.ad Glauc.capit 11.Quicunque aliquid ex fortibus medicamentis ab initio exhibuerunt,omnino ante ſtatum,quartanam, quæ erat ſimplex,ſæpius duplicem fecerunt,&c.

Obſeruationes citra victus rationem.

Auicen.capit.cit.Prohibeatur in die paroxiſmi à comeſtione:nam rectius eſt vt eueniat febris ventre vacuo,& non occupetur natura,ſed præcipiatur ieiunium, & interdicatur aqua frigida illa die.

De prognoſticis quartanæ.

Hippocra.aphoriſ.2.aphoriſ.25. Aeſtiuæ quartanæ magna ex parte breues,autumnales

les longæ,& maximè quæ ad hyemen attingunt.Et aphor.5.aphor. 70. A quartana capti non admodū cōuulsionibus capiuntur: si verò prius capiantur,& quartana superuenerit,liberantur.B. Quia quum duplex sit horum sanatio,excretio scilicet & coctio, hæc duo quartana, excretionem scilicet à rigore, & coctionē à calore febrili efficit. Auic.4.can.cap.64.Saluior quartana est illa, quæ non accedit ab apostemate splenis: quæ aūt venit ab apostemate splenis,perducit ad hydropē & pernicię. Quartana quæ salua est,liberat ab ægritudinibus melancholicis,vt ab epilepsia,melancholia, & in ea est securitas à spasmo, & non durat nisi per annum,modò error non accidat. Sunt & quartanæ quę per 12.annos perdurāt,quibus omnibus inimicus est autumnus,&c.

De febribus sanguineis.

Quum duplex sit genus febrium sanguinis,alterū à putrefacto sanguine, alterum à non putrefacto,ambo sub vno tantùm nomine synochi continentur: vnde dicimus synochon esse febrem acutam,continuam, ex sanguine in venis putrefacto ortā: altera verò synochus,id est,cōtinens, est febris acuta ex sanguine in venis non putrefacto in multa copia peccante, id est, succis æqualiter adauctis. Harum febrium tres

sunt species, acmastica, epacmastica & paracmastica, id est in vigore perseuerantes, crescentes & decrescentes.

Loci consentientes de febribus sanguineis.

Gale. 9. meth. cap. 3. Duplex est genus synochi: vnum quod ex natura eadē cum diariis constat: alterū est vbi in omnibus vasis ac potissimùm maximis æqualiter succi putrescunt. Auic. 1. can. cap. 44. inquit medium vtriusque scilicet ephemeræ & putridę synochū sapere: nā differt ab ephemera, quia humor est qui calefactus est: differt à putridis quia nulla adest putredo, &c. Lege de his Gal. 9 meth. c 2. ibi, Quædā enim febrium manifestam habent putredinis notam, quædā non habent. Lege etiā 2. de cris. ca. 6. Et Paul. lib. 2. ca. 26. & habetis vtrāque synochi descriptionē. Gal. 2. de diff. feb. ca. 2. & 9 meth. cap. 3. & 2. de cris. ca. 6. tres species synochi demonstrat, quas Aet. ser. 5. ca. 70. inquit solùm competere febribus à sanguine non putrido factis, &c.

De causis febrium sanguinearum.

Sex sunt sanguinearum febrium causæ: prima est obstructio. 2. est repletio. 3. multitudo exercitii non consueti laborioſa. 4. cō suetæ euacuationis retentio. 5. aquositas ipsius sanguinis ex comestis fructibus elaborata.

borata. 6. Humoris crassi & crudi copia sanguine admixta, &c.

Loci consentientes de causis febrium sang.

Paul.lib.2.ca.27.Continentium febrium origo ex sanguine est, qui nūc efferuescēs, nunc putrefactus obstruitur, &c. Galen.9. meth.cap.3.inquit, harum febrium in gracili & frigido corpore neutrū cōsistere, sed tantùm in corpulentis qui sanguine abundant.& ca.4.loquens de iuuene palestræ perito inquit, quòd suspicio erat hāc esse synochon, quæ ex sanguinis abundantia & obstructione præ carnis copia stipatione prouenit, &c. Lege de his fusius.Auic.4. can.cap.44.Et Act.ser.5.cap.7.ibi, Conflatur hæc ob calidi sanguinis copiam, &c.

De signis febrium sanguinis.

Duodecim signis synochon cognosces: primo febris assidua est. 2. rubedo faciei & oculorum 3. inflatio venarum temporū & eorum repletio. 4. nullus adest rigor vel sudor. 5. interdum adest nasi pruritus, & circa locum cui cucurbitulæ applicantur.6.somnus profundus. 7. loquendi difficultas cum faucium inflammatione. 8. effusio lachrymarum.9.pulsus maximi, vehementes, citati, crebri, non mordaces. 10. vrina neque consistentia, & colore à natu-

rali habitu aliena 11.æstus intolerabilis. 12. graues vigilæ,&c.

Loci consentientes de signis febrium sang.

De his signis facit mentionem Auic. 4. can.ca.45.ibi, Signa febris sanguineæ sunt adhærentia febris,rubedo faciei & oculorum,&c.Gal.9 meth ca.4. Vbi se inuenisse febrem admodum calidam dicit, pulsus æquales maximos, celeres & frequentes & vehementes,calorísq; qualitatem, quæ tactum minimè morderet, & vrinas συστάσει id est consistentia,ac colore non multum à naturali habitu alienas,&c. Lege Paulum libro 2.cap.27.ibi,Indicia,&c.

De cura febris sanguineæ.

Cura febris à non putrefacto sanguine, duas tantùm intentiones requirit,quarum prima est,euacuatio sanguinis per sectionem venæ vsque ad animi defectũ.2.est febrilis caloris alteratio,quę fit interdũ cum aquæ frigidę potu. Cura verò febris à putrefacto sanguine quatuor exposuit intentiones, quarum prima est circa regimen, quod ad frigidũ & siccum ordinari debet, vnde in cibando primum morbum & virtutem metire:nam si vltra septimum diem non se morbus extendere videatur,parum cibabis,exhibendo ptisanam hordaceam,

pan

panem contritum cum ſeminum melonis expreſſione: ſimiliter valent lactuca, acetoſa, endiuia, mala granata, &c. Secunda erit euacuatio, quæ fiet per ſectionē venæ, vel per cucurbitulas, vel per pharmaca ſoluti-
ua, quæ varia eſſe debent, prout humorum mixtio cum ſanguine diuerſa fuerit, vnde bilis per cholagoga, ſicuti cum myrobalanis citrinis educitur; vel cum rheubar. caſſia, &c. Pituita cum phlegmagogis, vt pluries dictum eſt. Tertia intentio eſt cauſarū putredinis amotio, quæ adimi ſolēt per ſui contraria: nam ſi à frigida cauſa denſum ſtipatúmve corpus reddatur, runc per relaxantia & rarefaciētia curabimus. Si ex obſtructione, per aperientia: ſi ex abundantia humorum, per euacuantia: ſi ex craſſitie, per attenuantia: ſi ex tenuitate, per incraſſantia, &c. Quarta intentio eſt caloris febrilis alteratio, quæ fieri poteſt cum rebus infrigidantibus & attenuantibus, præſertim ſi ſanguis craſſus exiſtat, vt cum oxyſacharo acetoſ. ſimp. ſy. de endiuia, vel exiſtente tenui cum ſy. de iuiubis, cū aquis & decoctis acetoſæ portulacæ, &c. Vel aliquo cum eclegmate, ſicuti cū zucharo roſ. triaſand. diarrhodone. &c. Correctio accidentiū, ſicut dolor capitis, ſitis, ſomni profunditas fiet, vt pluries dictū eſt, ſuis in locis.

Loci consentientes de cura febris sanguineæ.

Gal.2.meth.c.vlt.loquēs de victu,Si continens,inquit, vltra septimum progressum non videbitur,prorsus à cibo continendus est æger,in virtutē defecturā coniicias,&c. Auic.4.can.cap.46. Cibi sint ex iuiubis,ex lentibus cum aceto,granatis & sumach. B. Intellige sanguine existente tenui.Aet.ser. 5.c.7.Curandi scopus est copiā euacuare,& calorem præternaturalem extinguere,&,si qua adest crasities, siccare, & debilitatis partibus antiquam temperiem bonam restituere.De sectione venæ lege Gale.historiam de libero & seruo,9.meth.ca.4.Auic. 4.can.c.46.Intētio in hac febre est euacuatio plurimi sanguinis vsq; ad syncopim: & si sanguis fuerit subtilis, incrassandus: si cholericus, infrigidandus: si crassus,attenuādus.B.Conueniūt Paul.Aet.Gal.&Auic. in extrahendo sanguinē vsq; ad animi deliquiū,sed Auerrhois,qui aliàs stimulus medicorū dictus est.3.sui collig.reprobat euidenti ratione Gal.& aliorum in hac sectione venæ opinionē,quæ rationes non parui apud me momēti sunt:vide tu eas si lubeat. Gal.loc.cit.synochi cum putredine curam recitat, ibi,Si putredo æqualiter in omnibus vasis subsistat,aut in maximis, &c.

Ob-

Obseruationes in cura.

Gal.9.meth.capit.4.In sectione serua vires, item si ciborum cruditas adfuerit, vel secessus superfluitatum in intestinis,vel alius sanguinis fluxus, vel puerilis vel senilis ætas,vel frigidũ,vel gracile corpus,venã non secabis vsque ad syncopim, imò naturæ relinquas.itidem ait Auic.& Aet.

De prognosticis febrium sanguinis.

Gale.3.de crisi c.4.Sinochi rarò eueniũt, & vbi nullus sit error, in quarto finiuntur natura propriis circuitibus perueniẽte,&c. Auic.4.can. c.44. Ex tribus speciebus, saluior est epacmastica, deinde homotena, nequior verò acmastica. B. Nota quòd acmastica & homotena idem significant iuxta Gal.placitum,quare in nominum significato ipse deceptus est,ita vt intelligere vellet,quòd decrescens est salubrior,sed acmastica vel homotena seruans,scilicet eũdem tenorem, est minus mala, & epacmastica quæ augendo se semper procedit, cæteris est nequior:quanquàm ego crediderim cæteris deteriorem, quæ acmastica nominatur,sicuti testari videtur & ipse Gal.

De causone febre.

Causon siue ardens est febris continua, ardẽtissima ex flaua bile putrefacta,accensa, putrefacta inquã,ne crederet quis iam.

ſicuti Auerrhois 7.collig.quod ex bile non putrida ebulliente fieri poſſet, ex eo fortè Gale.comment.deceptus, qui eſt 59. quarti apho.vbi inquit, Terriana febris ab ea quæ ardens nominatur, humore faciente non differt: vtraq; enim à flaua bile fit. Differũt autem, quoniam febris ardens habet in venis vnà cũ ſangũine bilem plurimam ebullientem: tertiana verò eandem bilem habet in toto corpore delatam & motam.

Loci conſentientes de cauſone.

Aetius ſer.5.capit.78. Cauſon ſiue ardens eſt febris continua, &c. Galen.4. de vic. in morb.2c.tex.13. Cauſon eſt febris, in qua vrens caliditas, ſitíſque incompreſſibilis hominem torquet, &c.

De cauſis febris cauſi.

Cauſæ primitiuæ cauſi ſunt quæcunque calida & ſicca ſunt, vt vini potus, ſalſorum eſus, vigilæ, motus laborioſi, ira, &c. Cauſæ coniunctæ & antecedẽtes ſunt, flaua bilis putreſcens, vel pituita ſalſa: vnde proprium & legitimum cauſum nominant, qui à bile: improprium & ſpurium, qui a pituita ſalſa prouenit. Iterdum cauſa ipſius cauſi eſt cerebri inflammatio, &c.

Loci conſentientes de cauſis febris cauſi.

Hippocrates 4.de victu in morb. acutis,

tex

textu 1. Causus, id est febris ardens, fit, quũ venulæ tempore æstiuo exiccatæ, acres ac bilioſas, quę tenues ſunt, trahunt ad ſe humiditates, quas ἰχῶρας vocant. Et textu tertio, Fit cauſus ob longum iter longámque ſitim, &c. Ex quibus intelligere potes à cauſis calidis & ſiccis oriri cauſum. Si vis deinde ſcire quomodo venulę illę ad ſe trahant humiditates, lege Galenum comment. 58 in 4. aphoriſ. ibi, A febre ardente habito, &c. Aetius ſerm. 5. capit. 77. Ex flaua bile putreſcente incẽditur, & alternis diebus exacerbatur, & quandam habet febris imminutionem ſiue remiſſionem. B. Nota quomodo cauſus differat à ſynocho: nam cauſus à flaua bile, ſynochus à ſanguine. Cauſus habet aliquam imminutionem ſiue remiſſionem, ſed ſynochus à primordio vſque ad finem, vnam tantùm habet exacerbationem. ne fortè, ſicuti & ipſe Arculanus ambas febres in vnum confundas. Vult enim de mente Gale. cauſon in epacmaſticam, homotenam & paramaſticam diui i, ſicuti ſynochon, quod nullibi Galenus (quod ſciam) ſomniauit, ne dicam ſcripſerit. Auic. 4. can capi. 41. Cauſon fit ſecundum duos modos, aut eſt à cholera, aut à phlegmate ſalſo putrefacto. Hoc idem etiam adſerit Galenus 4. de vic. in morbis

ac.comment.13.Galen.1.prorrhe.tex 18.Febris ardens tum ob alias causas, tum propter cerebri inflammationem fit,&c.

De signis causi febris.

Signa sunt,arida lingua,nigra,appetitus deiectio,vomitus bilioſus,vigiliæ, interdū deliria,fluxus ſanguinis narium,dolor capitis,oculi concaui,ventris ſolutio,inquietudo,ſitis vehemens,niſi tuſſi ſicca leuiter irritans adfuerit,&c.

Loci conſentientes de ſignis cauſi febris.

Auic.4 can.cap.42.Signa cholericæ cauſonis ſunt accidentia mala ex vigiliis, inquietudine, aduſtione, permixtione mentis,&c.Paul.lib.2.capit.28. Ardentibus hæc ſuperueniunt,arida lingua, craſſa & nigra, ventriculi roſio, deiectiones pallidæ, ſitis vehemens, vigiliæ, & nonnunquam delirium,&c.B.Hæc omnia eueniunt ex motu bilis:ſed efficacius reddit rationes Galen. de his 4.de vic in mor.ac.in comment.40.

Hippoc.aphò.4.apho.54. Quibus plurimum ſiccæ tuſſes leuiter irritãtes in febribus ardentibus fiunt, non multùm ſiti infeſtantur,&c.Vide etiã de his ſignis Hipp. 4.de vic.in morb.ac.tex.4.&c.

De cura cauſi febris.

Curatur hæc febris quadrifariam: pri-

mò

mò victus ratione quę humidis & frigidis conſtet. 2. euacuatione, quæ per ſectionem venæ, & alui eiectionem fieri poteſt. 3 cum extinctione caloris febrilis. 4. cum accidentiũ correctione, quæ omnia fient prout dictum eſt in cura tertianę interpolatę, &c.

Loci conſentientes de cura cauſi.

Paul. lib. 2. capit. 29. Dupliciter ſolui debet morbus, aut excernendo humores bilioſos, aut eos extinguendo. Excernuntur per ſudores, vomitiones & imũ ventrẽ, extinguuntur aquæ frigidæ potu &c. Auic. 4. can. capit. 43: Cauſus curatur cura tertianæ purę, & ſi indiget euacuatione feſtina: nam euacuatio melior eſt quàm in tertiana, ſed complementum ſit apud digeſtionem, & non phlebotometur, niſi in vrina adſit turbiditas & rubedo, &c.

De prognoſticis cauſi febris.

Hippocrat. aphoriſ 4. aphoriſ. 58. A febre ardente habito rigore ſuperueniente ſolutio. B. Rigor incitatur à bili per ſenſilia membra, veluti motu delata, vnde alũus ſoluitur, ſudores & vomitus excitantur, & bilis expurgatur. Hippocra. aphoriſmor. 4. aphoriſmo. 48. In febribus non intermittentibus ſi partes exteriores frigidæ, interiores vruntur, & ſitim habeat, lethale eſt. B. Intelligitur hoc de cauſo: nam Galen. r-

prorrhet. textu 7. quando cauſus interna quidem vrit, externa verò nec mediocriter calefacit, lethalis eſt. Hippocr. aphor. 4. aphoriſm. 43. Febres quęcunque non intermittentes tertia die fortiores fiunt, magis periculoſæ: quocunque autem modo intermiſerint, periculum abeſſe ſignificatur. Et aphoriſ. 4. aphoriſm. 49. In febre non intermittente, ſi labrum, vel oculus, vel naſus, vel ſupercilium peruetratur, vel non videat, vel non audiat, iam debili exiſtente corpore, quicquid horum euenerit, mors proxima eſt. Et aphori. 4. aphoriſ. 50. Vbi in febre non intermittente difficultas ſpirandi & delirium acciderit, lethale. Et aphori. 6. aphoriſmo 26. Quibus in febribus ardentibus tremores fiunt, delirio ſoluuntur. Auicennas 4. can. capite 41. Rarò febris ardens ſenibus accidit: & ſi accidat eis pereunt, quoniam non fit in eis niſi à cauſa valde forti. B. Similis ſententia habetur ex Galen. aphoriſ. 1. comment. 14. ibi, Senibus non acutæ febres accidunt, etſi quando rarenter talis accidat febris, qualis iuuenibus, omnino hæc ad ęgrotantis interitum terminatur, quoniam indicium eſt, immēſam quandam eſſe cauſæ febrem facientis magnitudinem, &c. Hippocr. 4. de victu in morbis acut. textu 10. Si è naribus

flux

fluxerit sanguis, soluitur ægritudo, atque si sudores superuenerint iudicatorii, legitimi cum vrinis albis, crassisque, & leuibus subsidentiis, &c.

De febre epiala

Epiala est febris pituitosa intermittēs, à pituita vitrea in locis à corde remotis putrefacta, quę ex sua propria natura eodem tempore frigus & calorem inducit. Dicta est à leni afflictione, sicuti ἐπίαλος sonat.

Loci consentientes de febre epiala.

Galenus 2. de differ. febr. cap. 6. Quando quis febricitat, simul & riget, atque eodem tempore in toto corpore vtrunque affectū sentit, ea febris est, quæ propriè epiala vocatur. B. Similis sententia est in lib. de inæquali intemperie, capit. 8. Idem etiam adsert Haly Abbas 6. suæ theoricæ, capit. 6. Et Razes 16. continentis, capi. 3. Serapio 6. sui breuiarii, Hæc febris non est continua, sed interpolata durans tribus vel quatuor periodis. B. Nota quòd Serapio & Auicennas in hac febre plurimùm à Galeno discrepant, siquidem epialam pro lypiria sumunt: nam quoties frigus in interioribus, & calor in exterioribus sentitur, epialam esse dicunt. Galenus verò quoties vterque affectus vna sentitur: sed ideò errant, quia

nom

nomina simul confundunt. Vide Aetium serm.5. capite 87. Febris epiala à leui afflictione vocata est, quum simul febricitant & rigent, & vtrunque percipiunt eodem tempore in omni corporis parte. Paulus libro 2. ἡ πίαλος ἢ ἀπὸ μεταφορᾶς τῆς ἁλὸς, ἢ παρὰ τὸ ἠπίως ἀλεαίνειν ὃ παρ ἐστι θερμαίνειν, id est, epiala dicitur per translationem à sale, vel ab epios, quod est molliter, & aleçnen, quod est calefacere, eo quòd vehementer non vrat, sed molliter ac blandè calefacit, &c.

De causis epialæ febris.

Causa est pituita vitrea, partim cruda, partim putrefacta, interdum cum amara bile coniuncta, atque per sensilia membra delata ac mota, &c.

Loci consentientes de causis epialæ.

Galenus 2. de differ. feb. cap. 6. A pituita tantùm vitrea partim putrefacta, partim cruda remanente, vnde fit ex putrefacta calor febrilis, & ex cruda frigus pari ratione gignitur. Auicennas 4. can. cap. 51. Causa est phlegma vitreum in profundo corporis contentum, quòd locum infrigidat in quo collocatur, cui si accidat putredo, vapor eleuatur, & partes exteriores petẽs calefacit. Gal. de inæquali intẽperie cap. 8. Si

pituit-

pituitosus succus, qui est frigidus, & quem vitreum Praxagoras appellat, & amara bilis quæ calida est, simul abundant, ac per sensilia membra moueantur, nil miri est vtrunque à cubante pari modo sentiri. Lege Paul. lib. 2. cap. 25. Et Aet. ser. 5. cap. 87.

De signis epialæ febris.

Signa sunt, quòd vnà sentitur frigus & calor, vrina alba, tenuis, cruda, pulsus rarus, tardus, habita scilicet aliarū febrium ratione, in quibus frequentior esse solet: seruat interdum accessionem tertianā & quartanam ob sui crassitiē & paucitatem: nam humana natura humorem hunc vitreum abundare non sinit. Spatium eius paroxysmi, est à quatuor horis vsque ad 24. horas, interdum pauca existente materia citius absumitur.

Loci consentientes de signis epialæ.

De his signis lege Auicen. 4. can. cap. 52. ibi, Signa eius sunt quæ prædictā sunt, & vrina est frigida, cruda, &c.

De cura febris epialæ.

Eadem cura est, ac in quotidiana dictum est: verùm calidioribus magísque incidentibus præsidiis indiget, &c.

Loci consentientes de cura epialæ.

Paul. lib. 2. cap. 25. Hæc febris ex pituita

naſcens, quum ex quotidianarum genere exiſtat, curationi illarum ſubiicitur, à quotidiana tamen differt, quia tanto calidioribus, magíſque incidentibus indiget, quanto frigidior pituita exiſtit.

Obſeruatio in cura.

Auic. 4. can. cap. 60. Caue ne calidioribus in principio medicamentis vtaris, ſed incipe cum ſyru. accetoſo, mellino, deinde ad ſyrup. compoſitos, demum ad ſemina aperitiua & ad infuſionem aloës, & troc. de roſis, ſed os ſtomachi præcipuè inter alia confortetur, &.

De prognoſticis febris epialæ.

Serapio 6. breuia. Hæc febris non multùm permanet, & fortaſſe durat per 20. dies, aut vltra parum, aut minuitur parum, quia ob humoris paucitatem longo tempore durare non poteſt.

De febre lipyria.

Lipyria febris eſt ea in qua exteriora & ſuperficies refrigeratur, & profundum vritur, & excretiones detinẽtur, aſpera ſitientibus lingua eſt, pulſus paruus & obſcurus ob calorem intra ſe receptum.

Loci conſentientes de lipyria febre.

Gal. de inæquali intemperie cap. 8. Lipyria eſt quum intus in ipſis viſceribus calorem ſentimus, & in extremis partibus vni-

uerſi

uersis frigus. Itidem ait Auicen. & omnes practicantes.

De causis febris lipyriæ.

Causa cur exteriora frigeant, & interiora vrantur, est calor ad interiora reuocatus, vel spiritus, quum ad interiora se conferunt, exteriora relinquentes. Vel ideò frigescũt exteriora, quia in externis partibus pituita vitrea continetur, aut quia vapor à putrido humore eleuatus, dũ à calore separatur, multoties corpus infrigidat, &c.

Loci consentientes de causis febris lipyriæ.

De his causis lege Auicen. 4. can. cap. 53. ibi, Quia virtus effunditur ad locũ in quo est læsio, idcirco exteriora à calore relinquuntur, &c. Lege etiam Gal. aphor. 4. commen. 48. ibi, Quia fortis inflãmatio in profundiori parte corporis, vel erysipelas euenit, vnde totus ex toto corpore sanguis ad patientem locum trahitur, vt fit in principiis accessionum, &c.

De indicijs febris lipiryæ.

Indicia & eius cura manifesta sunt, quia curatur vt cæteræ phlegmaticæ, & cognoscitur ex descriptione data, &c.

Loci de prognosticis lipyriæ.

Hippoc. aphor. 4. aphor. 48. In febribus nõ intermittẽtibus, si partes exteriores frigidę, interiores vruntur, & litim habeat, le-

thale.Gal.2. prognoſticorum commẽ.4. Si caput,manus ac pedes frigidi ſunt, ventre, coſtíſque calentibus,malum.Et etiam cap. quæ poſſent etiam de lipyria intelligi.

Authores diſſentientes circa febrem lypiriam.

1 Adſerere, lypiriam non eſſe febrem, eo quòd calor extraneus non diffundatur per totum corpus.

2 Adſerere, lipyriam eſſe poſſe febrem interpolatam.

Confutatio diſſentientium circa febrem lipyriam.

Ad primum reſpondet Auicen.4.can.ca. 53. Et ſi calor non diffundatur per totum corpus, hoc non prohibet, quin ſit febris, dummodo calor extraneus aptus, natus ſit per totum corpus diffundi, ſicuti non repugnat hominem eſſe riſibilem,etſi non rideat,

Ad ſecundum,Gal.4.apho.commen. 48. reſpondet dicens, Nunquid huiuſcemodi caſus poſſit fieri in febre intermittente? ego neque vidi inquit, neque animo capio:videntur ſiquidem ſolis accidere febribus,quæ cauſones ab incendio nominantur,perniciosis, vel ſi aliter libeat appellare, *ἐγκαυσεσάπυς*, velut lipyriis,&c.

FINIS.

IOANNIS BACCHANELLI

De consensu Medicorum in cognoscendis simplicibus, LIBER.

ABROTONVM duplex, alterum masculum, quod omnibus notum est: alterum fœmellum, quod vulgò dicitur Santolina, & est humilis cypressus. Dioscor. cap. 26. tertij libri versione Marcelli. Gal. 6. de fac. simpl. Plin. lib. 21. ca. 10. Paul. lib. 7. calefacit & siccat in 3.

Absinthium triplex, vulgare nostrum, Seriphium, quod marinum appellatur: & Santonicũ, quod plurimũ in Gallia vltra Alpes nascitur, & est illud iuxta Mathiolum Senẽsem, cuius semẽ vulgò dicitur Semẽtina, quæ pro verberibus datur pueris, Et nota quod Canabel Serapionis, nõ est Semẽtina, vt volunt aliqui, sed est terra arenosa pluuialis, vide Dioscor. cap. 24. & 25. lib. 3. & Gale. 6. de fac. simpl. vbi amaram & ad-

strictoriam ac a rem qualitatẽ illi tribuit. Paul.lib.7.cal.in 1.sic in 3.

Acacalis nisi sit species tamarisci, haud scio quid sit, quoniam nullum semẽ videri potest, quod sit huic simile. lege Dioscor.c. 103.lib.1.Paul.lib.7.

Acatia, non habetur vera, sed eius loco accipitur succus prunioli agrestis communiter: quãquam satius foret foliis rhus, sumach vulgò appellati, vti, quàm succo prunioli dicti: quoniã rhus eisdẽmet facultatibus pollet, ac ipsa acatia, teste Dioscoride. Nec eius gumi, quod à Serapione dicitur gumi Arabicũ, habetur, sed eius loco gumi vtimur, quod 7.de fac.simpl.à Gal.describitur. Dioscor.118.cap.lib.1. Theoph cap.4.lib. 3.nam acatiam simpliciter spinam vocat. Plin.lib.24.ca.12.Gal.6.de fac.simpl.Siccat in tertio, & refrigerat in secundo ordine: itidem ait Paul.lib.7.

Acanthion quid sit nescio, etsi aliqui carduum montanum pro specie acanthij demonstrent. Dioscor.cap.16.tertij, Galen.6. de fac.simpl.Plin.lib.24. cap.12. Paul. calidus est.

Acanthum domesticum & syluestrem, esse id quod vulgo brancham vrsinam dicimus, aliqui affirmarunt: vide plin.cap. 22.lib.22.& Dioscor.cap. 17.& 18.tertij: & Gal.

Galen.6.de fac.ſimpl.Paul.lib.7.diſcutit & ſic:at.

Achillea non eſt millefolium , vt putant aliqui ex authoritate Plin. cap. 5. lib. 25. vbi ipſe habet à Latinis millefolium vocari. Serapio vocat ſuccum Achilleæ, eo quod rubeat, ſanguinem draconis , qui nunc paratur ex ſanguine arietis, ſorbis & reſina, & mille aliis miſcellis. de Achillea Dioſcor. cap. 34. quarti; Galen.8.de facul. ſimpl.

Acinus eſt iuxta Manardi opinionem baſilicum ſylueſtre,& iuxta Ruellium baſilicum domeſticum : ſed huic repugnat Plinius capit. 15.libr. 21.quum dicat, acinum non florere, de acino Dioſc.cap. 45. tertii. Paulus libr. 7. mediocres adſtringendi vires habet.

Acorus,ſecundum Manardum,verus calamus aromaticus . Braſauola tenet quòd ſit galanga, aliqui quòd ſit vulgare giſiriū, communis opinio quòd ſit calamus aromaticus.De acoro, Dioſc.cap.2.primi. Gal. 6. de fac.ſimpl.& quinto eiuſdem cap.12. Pli. lib. 27. cap. 2. Paul.calefacit & deſiccat in tertio.

Aconitum voluit Leonardus Fuchſius eſſe herbam paris,ſed falſò, quum nulla ſit cum deſcriptione aconiti ſimilitudo. Leo-

nicenus credidit aconitum esse napellum Auicennæ, quũ sint res dissimiles, nec adeò peccauit Auicẽnas in descriptione napelli, prout notat Leonicenus, vt videri potest ex Andrea Belunensi, qui Auicennæ textum optimè correxit. De aconito, Dioscorid. ca. 75. & 76. quarti, duas species assignat: prima dicitur pardaliches eo quòd pardos interficiat: altera cynoctonõ & lycoctonon, eo quòd canes & lupos perdat: at mansa vel bibita radix non statim interficit hominẽ, sed aliquos in duobus vel tribus, vel sex mensibus perdit. Gal. 6. de fac. simp. & Dioscor. iterum lib. 6. cap. 7. Paul. lib. 7. lethalis vis & excedens est.

Adiantum, est vulgaris capillus Veneris. Theophrast. cap. 13. lib. 7. Adianti duæ sunt species, nigra & alba. vide Plin. cap. 21. lib. 22. Et Dioscor. cap. 131. & 132. de adianto & trichomane. Vocatur & adiantum politrichon & gallitrichon ab ipso effectu, quem circa capillos efficit. Galen. 6. de fac. simp. In caliditate & frigiditate symmetron est, extenuat desiccat, & digerit: itidem Paul. lib. 7.

Aegylops, est id quod vulgò dicitur, segala, & non est auena, vt aliqui volunt. Dioscorid. 134. quarti. Galenus 6. de facult. simpl. ic. Paul. discutit duras inflam-

mas

mationes.

Agallochon, est lignum aloës, nunc habetur Venetiis, & nuper eius loco afferebatur ex Rhodo oliuastrum, quod à Ruellio Aspalathum creditur. Dioscо. cap. 21. primi. Gal. nullibi, quòd sciã nisi succidaneis. Paul. lib. 7. iocinerosis, dysentericis & pleureticis opitulatur.

Agaricum notum est, ideo appellatum, eo quòd abundanter in Agaria Sarmatiæ nascatur. Plin. lib. 16. cap. 8. Nascitur in Gallia sũper arbores glandiferas. Dioscor. cap. 1. tertij: In Galatia Asiæ supra cedros. Sunt qui dicunt in Italia iuxta laricis arboris radices nasci. Galen. 6. de facult. simplic. Paul. digerit crassos humores & incidit.

Ageraton sunt qui dicant in Hetruria inueniri, simile origano. Dioscor. cap. 57. quarti, & Galen. 7. de facult. simplic. & 6. eiusdem. Paul. lib. 7. habet vim digerendi.

Allium, Græcè σκόροδον, duplex est, domesticum & syluestre. Domesticum σκόροδον à Græcis dictum, syluestre ὀφιοσκόροδον, id est, anguinum, non autem, vt Brasauola, scorodoprason vel ampeloprason: nam ampelophrason nil aliud est quàm porrum syluestre, quod in vineis reperitur, & sco-

rodopraſon allium & porrum ſignificat. Dioſc.cap. 141 ſecundi. Gal.8.de fac.ſimpl. deſiccat & calefacit in quarto exceſſu: vide etiam illum ſecundo de facultate alimentorum in fine.

Alcea, vulgò malua ſylueſtris, ſiue althea ſylueſtris, non habet proprium caput apud Gal.ſed in cap.de malua, de hac mẽtionem facit ſeptimo de fac.ſimp.Dioſcor.cap.155. tertii.Volunt aliqui hanc eſſe quam vulgò dicunt herbam Hungaricam. Paul. lib. 7. ſylueſtris maluæ genus eſt.

Alipon qui ſit neſcio. Hoc ſcio plures de mente Athuarii velle alypon eſſe thurbit album: nam hoc ab ipſo habetur, vbi de tripheræ compoſitione agit: aliqui dicunt alypon eſſe alypiam, vt Paul. Aeg. aliqui dubitant an ſit ſena. Dioſcorid. capit. 173. quarti. Paul. bilem atram ſemen alypi ducit & vlcerat.

Alyſma niſi ea ſit, quàm Ruellius & Fuchſius fiſtulam paſtoris, & ab aliis plantaginem aquaticam, quę vulgò dicitur barba ſyluana, affirmare ne quid audeo: aliqui dicunt eſſe ſpeciem betæ aquaticæ. Dioſcor. cap.160. tertii, & Plin.cap. 10. lib. 25. duas ſpecies aſſignat. Damaſonium etiam vocatur à Gal. 6. de facult.ſimp. & habet vim abſterſoriam.

Aliſſon ſicut ex Plin.cap.11.24.lib.excerpitur.videtur eſſe herba quæ Rubia minor dicitur: verùm quia Aet. aliſſon vocat ſyderitim heracleam, quæ nullam prę ſe fert ſimilitudinem cum rubia minori, idcirco quid ſit affirmare non poſſum: de hac meminit Dioſc.cap.96.tertii, & Gal.6.de fac. ſimp.Nõnulli tamẽ duas ſpecies aſſignant, inter quas facilè poſſet rubia minor cõnumerari, verùm ea quæ morſibus canũ opitulatur, deperdita eſt, nec reperitur. Paul. lib.7. ſiccatoriam illi ac diſcuſſoriam, abſterſoriámque vim tribuit.

Aloes tria ſunt genera, hepaticũ, ſuccotrinum & caballinum.Dioſco.ca.23.tertii, meminit de hepatica, & Galen.6.de facul. ſimp. deſiccat in tertio, & calefacit in primo,adſtringſtque modicè.

Althæa, vulgò *maluauiſchia*, meminit Dioſcor. cap.154. tertii, Theoph. cap.19. lib.9.vocatur & hibiſcus, & eſt malua ſylueſtris.Galen 6. de fac. ſimp. ſub nomine hibiſci, & 7. de fac. ſimp. capit. de malua. Paul.lib.7.Diſcutit,relaxat,lenit & & concoquit.

Alumen, iuxta Dioſco.cap.77.lib.5.triplex eſt, ſciſſile, rotundum & liquidum, loquendo de his quæ in medicinæ vſum veniunt (nam plura apud nos genera

nunc

nunc habentur, ſicut alumẽ rochæ, plumæ, fæcis, catini, ſcaioli, & zucharini) ſciſſile illud eſt quod nos plumæ vocamus, alumen rotundum non habetur in Italia, nec liquidum: quãquam Braſauola affirmet eſſe alumen rochæ, quem validiſſimis rationibus cõfutare Mathiolus Sen. conatur. Alumen zucharinum ſit ex alumine rochę, quorum albumine, & aqua roſacea. Alumen catinum fit ex herba vocata ſoda, Arabice chali, vnde etiam ſal achali prouenit. Nota eſt herba apud Hetruſcos: alumen ſcaiolum fit ex petra lucida, ſcamoſa & tranſparenti, vulgo dicta, *ſpechio d'aſino*: alumen fæcis fit ex fæce vini combuſta. Gale. 9. de fac. ſimp. Plin. lib. 35. capit. 15. Paul. maximè adſtringit.

Ambroſia, iuxta Ruellium notiſſima eſt in Gallia, naſcitur inter ſegetes: verum eã nec vidi, nec ſcio quid ſit niſi ſit ſpecies artemiſiæ. Dioſc. capi. 120. tertii, & Gale. 6. de fac. ſimp. Abſtringit & repellit.

Ambræ odoriferæ tres ſunt ſpecies, colore diſtinctæ, citrina ſcilicet, albida, & nigricans, cuius mẽtio fit à Serap. lib. aggre. cap. hambar. Auic. lib. 2. Calida in ſecundo, ſicca in primo, roborat cerebrum, & cor confortat. Nullibi quòd ſciam, fit mẽtio de hac apud Dioſc. vel Galen. aut Paul. vulgò

dicit

dicitur Ambracane.

Amiantus, Græcè λίθος ἀμίαντος, lapis est qui ex Cypro affertur, similis alumini scissili, similis etiam ligno: vnde Brasauola dixit esse aliquos qui eũ credant esse lignum crucis Christi: nã in igne positus nõ comburitur, sed magis illucescit: meminit Pli. capit.19.lib.36.& Dioscapi.113.quinti lib. Paul.lib.7.

Amylum, voce parũ deflexa amido. Optimi amyli conditiones recitantur à Plin.ca. 7.lib.18.vt sit albus, leuis, recens, lenis. Fit amylum ex granis frumenti, vt Dioscor. cap.92.lib.2.Et Galen.1.de facu. alimentorum.excerpitur ex Plinio, capit. 25.lib. 22. quòd amylum corpus restringit, & fluxum sanguinis,& in doloribus vesicę media vncia sumitur cum oleo & passulis. Galen. 1. de fac.alimen.ἄποιον, id est, qualitate carentem Paul.Refrigerat mediocriter & siccat.

Ammi, Seplasiariis ameos, & est simile semẽ cymino, vt testatur Plin.cap.15.li.20. Et Galen.6.de facu.simp.huius meminit,& Dioscor.capit.63.tertii.Quod verò accipitur pro ammi non est verum, sed quid sit nescio. Paul. Calefacit & siccat in tertio. Gal.5.de fac.simp.itidem ait.

Ammoniacum, vulgò in officinis dicitur armoniaco, & est duplex iuxta Plin. ca.24.

lib.

lib.12.primum thrauſina dictum, & altero eſt excellentius. alterum phyrama, & eſt craſſum & veluti reſina. Primum thuris ſimilitudinem præ ſe fert, vnde à Paulò & Aetio ammonia cum thymiana nuncupatur:meminit Dioſco.cap.89.tertii, & Galc. 6.de facul.ſimp. Auer.5.collig. Calidum in tertio,ſiccum in primo Paulus libr.7.Molliendi vires habet.

Amomũ verũ, nonnulli volũt eſſe roſam de. Hierico, nõ verum eſſe quoddam ſemẽ habitum:ſed credo verum non haberi,ſi re ctè eius deſcriptionem perpendamus. Vtemur igitur loco amomi, acoro, vt placet Galen.Dioſcor,capit.14.primi.Plin.lib. 12. cap.13 Gal 6.de fac ſimp.Paul. libr.7.Eiuſdem virtutis cũ acoro,ſed paulò ſiccioris.

Ampelitis terra, Græcè γῆ ἀμπελῖτις, ſicuti & terra heretria, ſamiæchia, ſelinuſia, ſunt apud me incognita.De iis Galen.9.de fac ſimplic.diffusè, & Dioſc. capi.138.lib.5. Pau.lib.7.

Ampelopraſſon, agreſte porrum, vulgò *porandello*: de hoc Gal. 6. de fac ſimp. meminit & Dioſcor.139.ſecundi.Plin. lib. 24. capit.15.Paul. libr. 7. Acerrimum calidiſſimũmque in ſummo ordine, quamborem vlcerat.

Anagallis, morſus gallinæ: non defuerint,

rint, qui portulacam syluestrē esse affirmarent: aliqui etiam dixerunt anagallidem esse pauarinam, vel centonem, sed longè à vero decipiuntur, quum flores illis nō sint eius qualitatis, ac ab ipso Dioscо. pinguntur capi. 170. secundi. De vtraque anagallide scripsit Gale 6. de fac. simp. Deceptus est Razes, interpretatus anagallidem pro matrisylua. Paul. Vis est abstersoria, subcalida & attractrix. Serapio libr. aggre. Calefacit parum, & siccat sine mordacitate.

Anagyris, planta est arboreſcens, aliquibus herbariis valde cognita: hanc voluerunt quidam esse, quam dicunt esse vuluariam. Refert Mathiolus eius copiam inueniri in Trentino agro, ego eam minimè vidi. de hac Gal. 6. de fac. simp. meminit & Dioſc. cap. 158. tertii. Pli. lib. 27. cap. 4. Paul. lib. 4. Cālefacit & discutit.

Anchusa flores habet à buglossa nō valde dissimiles: huius tres species à Dioſc. ca. 25. 26. & 27. libro 4. connumerantur, & à Plin. cap. 20. 21. lib. 22. Et à Galen. 6. de facul. simp. quatuor species. Paul. Adstringendi vim habet: aliqui hanc Asini lactucam dixêre.

Androsæmon humani sanguinis herba est species hypericonis: differt ab eo, quum frutex sit gracilibus ramulis succosus, puniceo

niceo colore,rubentibus virgis,&c.vt Dioscor.capit 164.tertii, & Galen. 6. de facult. simplic Paul lib.7. Duplex genus, alterum quod diximus, alterum Dyonisias dictum, cuius fructus purgant & folia desiccant.

Anemone nisi ea sit,quæ à Brasauola vocatur papauer sylvestris, cuius flores sunt rubei:certè nescio si vnquam viderim, hoc scio certè non esse herbam venti, vt Ruellius:nam herba venti iuxta placitum Simonis Ianuensis est parietaria, quæ vulgò dicitur vitriola aut grassella : sunt qui anemonem viderint longè à papauere sylvestri differentem Dioscor,ca.167.secundi. Plin. lib.21.cap.23.Paul.lib.7.Vim habet acrem, absterforiam, & extrahendi ac recludendi ora vasorum.

Anethum similem fœniculo effigiem præ se fert, vt vix ab ipso nisi per gustum cognoscatur.Gal.6.de fac.sim.& Dioscap.it 60.tertii, Paul.lib.7.calefacit in secundo ordine intensius, & siccat paulò remissius.

Anisum,Gale. 6.de fac.simp.semen eius dicit esse calidum & siccum in tertio gradu,& Dioscap.58.tertii. Paul.lib.7.

Angelica calida & ficca in tertio ordine, vnicè valet contra venena, præseruat à peste, comesta confert humori pituitoso,

crass

crasso: sanat tussim ab humore viscoso, si eius decoctum bibatur: consolidat vlcera interiorum, coagulatum sanguinem soluit, roborat stomachum, recuperat appetitum, valet defectui cordis & morsibus canum.

Anonis, spina est in aratis terris nascens, vulgò bognacho. Gale. 8. de fac. simp. Anonis calida in tertio gradu, &c. Huius meminit Dioscor. cap. 19. tertii. & Theoph. cap. 5. lib. 6. de hist. plantarum: & Plin. cap. 4. lib. 27. Pau. lib. 7. Vrinam ciet, calculos cõterit, & dolores dentium mitigat.

Anthemis apud Dioscor. est camomilla: duæ aliæ species à me non visæ, nec dum cognoscuntur. Dios. cap. 145. tertii, & Gale. cap. 9. lib. 3. & 6. de fac. simp. inquit, quòd camomilla calida & sicca est in primo gradu. Paul. Virtute tenui discussoria laxatíq; constat.

Anthylis, nisi ea sit, quę vulgò dicitur salsola de mente Ruellii, certè quid sit diuinare non possum: huius duæ sunt species, de quibus Galen. 6 de fac. simp. meminit & Dioscor. ca. 144. lib. 3. Plin. lib. 21. cap. 29. Paul. lib. 7. Exiccat & absterget.

Anthirrinon, quid sit nescio, sunt qui viderint, & vulgarem in Italia nasci passim affirmant. Dioscor. 126. lib. 4. & Gal. 6. de fac.

simplicium.

Anthera non est flos, vt nonnulli putarunt, in medio rosarum positus, sed potius quædam compositio, vt ex Gal. Paul. Corn. Cel. elicitur ad oris vlcera, & pedum scissuras, & digitorum pterigia accommodata.

Aparine inter lentes nascitur, omnibus nota, vulgò (eò quòd folia in modum calcaris habet) *Speronella* dicitur, vel, vt aliqui volunt. in modum stellæ folia, hæret vestibus hominum. Dioscor. cap. 95. tertii. Gale. 6. de facul. simpl. Paul. libr. 7. Modicè abstergit & desiccat.

Aphace similis viciæ, sed non est vicia. Theoph. 7. & 11. c. lib. 6. cõnumerauit aphacẽ inter species cichorii, similiter & Plin. lib. 21. sed cap. 5. lib. 27. posteà historiam ex Dioscor. recitat: quare iuxta Dioscor. connumeranda est inter legumina, non autem inter herbas syluestres. Dioscor. capitu. 137. secundi. Galen. 2. de fac. aliment. Paul. libro. 7. Adstringit, valentius siccat, & mediocriter calefacit.

Apium satiuum, nil aliud est, quàm vulgare petroselinum, vt testatur Plin. capit. 11. lib. 20.

Apium syluestre, quo vtuntur seplagarii pro vero apio est apium aquaticum, eleoselinum à Dioscor. dictum, vt testatur Theophrast.

Digiti

phraſt.capi.6.lib.7.non autem eſt,vt placet Ruellio, quod vulgò dicitur *il macerone* Perroſelinum verò, id eſt ſaxatile apium, maximè Macedonicum, nuſpiam in Italia naſcitur:apium verò hippoſelinũ dictum, id eſt grande apium,illud eſſe tenetur,quod vulgò leuiſticum dicitur. De apio meminit Dioſc. 67. 68.69.70.& 71.tertii. & Galen. 8. de fac. ſimplic. & 6. eiuſdem Paul. libro 7. Tanti caloris, vt menſes & vrinas eliciat.

Apios, niſi ſit ſpecies raphani, haud ſcio quid dicere debeam. Ruellius familiarem herbam eſſe ruſticis Galliæ inquit,& communiter ab ipſis edi: ſed quum dicat Dioſcor.vomitũ ducere,neſcio an illi credendum ſit.Sunt qui dicant vidiſſe inter ſegetes naſci cum foliis rutæ, ſed paulò ſtrictioribus,& viridioribus:ego nec vidi,nec ſcio quid ſit.Dioſc.cap.170.lib.4.

Apiaſtrum,Græcè *μίλιαρόφυλλον*,vulgò cedronella, aut meliſſa, aut muliſerno, in paſſionibus cordis (ſi Serapioni creditur) multùm valens.Dioſco.capit. 109.tertii,& Galen.7.de facul.ſimpli.vtitur pro marrubio duplicata doſi Paul.lib.7.Viribus marrubio per omnia reſpondet.

Arbutus, Græcè *κόμαρος*, arbor ſimilis cotonea malo, vulgò dicitur in Hetruria

albatro. Dioſc. capit. 143. primi, & Galen. 7. de fac. ſimpl. Turdi libenter arbuti fructibus veſcuntur in hyeme. Paul. libro 7. Acerbæ qualitatis eſt, aduerſatur ſtomacho.

Arction, Latinis perſonatia, quid ſit, niſi vt Ruellius, ſit lapa minor, faciſè dicerem me neſcire, quanquam ſint qui lappam minorem dicant à Dioſc. vocari xanthion. De arctio loquitur Dioſc. capitu. 101. quarti, & Galen. 6. de fac. ſimp. Perſonatia tamen eſt lappa maior. Plin. lib. 25. capitu. 9. Paul. libr. 7. Vis tenuis ſiccans & mediocriter adſtringens.

Argemone inter ſpecies papaueris connumeratur, ego tamen nuſquam argemonem vidi, etſi vbique naſci Mathiolus Sen. affirmet. Hoc bene ſcio, non eſſe agrimonium ſiue eupatorium, vt nonnulli. Dioſc. cap. 168. ſecũdi, & Plin. cap. 8. lib. 25. De hac apud Gal. nil memini me legiſſe. Paul. Abſtergit & diſcutit.

Argentum viuum eſt duplex, artificiale & minerale: ſed quo pacto conficiatur, lege Dioſcor. cap. 64. quinti, Galen. 9. de fac. ſimp. nunquam auſus eſt experiri, an foris vel intus applicandum foret, veluti venenum mortiferum. Auer. 5. collig. capitu. 9. Eſt frig. & humid. Galen. quarto.

de

de fac. ſimpli. capitu. 18. Calidum eſt & ſiccum.

Ariſtolochia duplex eſt, rotunda & longa: tertia ſpecies eius eſt dematitis vocata, quę in Italia non habetur: de quarta ſpecie facit mentionem Plin. cap. 8 libr. 25. & vocatur piſtolochia. De Ariſtolochia meminit Galen. 6. de fac. ſimpl. & Dioſcor. capitu. 4. libro 3. Commendatur in epilepſia. Paul. lib. 7. Calida, tenuis, abſtergens, ſubacris. Auer. Calida & ſicca in ſecundo.

Armenius lapis, iuxta Manardi placitum, rarò inuenitur: licet Mathiolus Senenſis dicat in mineris argenti huius copiam inueniri, & dici vulgò verd'azurro, quòd nec affirmare, nec negare audeo: ſi quidem ſua experientia comprobatum refert in iis omnibus quæ ab antiquis ſcripta ſunt: vide Dioſcor. capitu. 59. quinti, & Galen. 9. de fac. ſimpl. & Alexand. Trallianum capitu. 22. libro 1. & Plin. capitu. 6. lib. 35.

Aron, ſpecies dracunculi ſiue ſerpentariæ, vocatur in Hetruria vulgò Gingaro & fit ex ex eius radicibus aqua ad dealbandam faciem. Dioſcor. capitu. 157. ſecundi, & Galen. 6. de fac. ſimpl. Plin. libr. 19. cap. 5. & lib. 24. capitu. 16. Et Galen. 2. de fac. alim.

Paul.lib.7.Calore & ſiccitate eſt primi ordinis, ex terreſtri calida & adſtringente ſubſtantia.

Artemiſia, vulgò Cermiſia, in hac deceptus eſt Braſauola, confundens Artemiſiam cum Partemo, vulgò Matricaria appellato: cognoſco ego primam & tertiam ſpeciem, & eſt apud Regienſes in vſu. Dioſcorides capite 118. & 119 tertii Plin.capite 7.libro 25.Galen.6.de fac. ſimplic. Calida in ſecundo, & ſicca in tertio ordine.

Aſaron, vulgò *Bacchara*. Dioſcor. capite 9.libro 1.Gal.6.de fac.ſimp.Plin.libr.21. capite 6.Paul.lib.7.Similem acoro virtutē habet.

Aſclepias niſi ea ſit herba, quam vocant hederam terreſtrē, aut vincetoxico, vt Fuchſius, certè neſcio quid ſit: hoc ſcio Empiricos pro mirabili potione in vulneribus ſanandis hedera terreſtri vti. Dioſcor. cap. 97.lib.3 & Galen.6.de fac.ſimp.Plin. cap.5. lib.27. Paul.lib.7. Calida & ſicca tenuiſque ſubſtantiæ.

Aſpalatus in Italia non habetur: ſunt qui dicant eſſe ſandalum rubeum. Ruellius agallochon vulgare: ſed quum non præ manibus habeatur, iuxta Galeni placitum in ſuccidaneis pro eo vtemur ſemine

vitic

Digitized by Google

viticis. Dioſc. cap. 16. lib. 1. Pau. libr. 7. Conſtat virtute acri & adſtringente.

Aſparagus duplex eſt, domeſticus & ſylueſtris per ſe naſcens. Galen. 6. de fac. ſimp. Sunt abſterſiui. Plin. 10. capit. lib. 20. Viſum corroborat, & doloribus thoracis & renum medetur. Auic. fen. vlt. libr. 4. Bonum odorem in toto corpore inſpirant, vrinam verò malè olere faciunt. Pau. lib. 7. Medius in calore & frigiditate.

Aſphodelus, vulgò apud Seplaſiarios dicitur *Haffrodilo*. Latinis haſtula regia. Gal 6. de fac. ſimp. ait, cinerem eius radicis facere renaſci pilos. Dioſc. capitu. 159. lib. 1. Plin. lib. 22. ca. 22. Pau. lib. 7. Vim habet detergentem diſcutientemque.

Aſplenon, vulgare citrach, etiam lingua ceruina eſt phyllitis apud Dioſ. Huius meminit Gal. 6. de fac ſimp. & dioſc. capi. 142. lib. 3. Ait Gal. Etſi ſubtilium ſit partium, nihilominus non eſſe calidum, frangit lapidem, minuit lienem. Plin. lib. 27. cap. 5. Pau. lib. 7. Eſt virtute tenui, ſed non calidum, vt ſuprà Galenus.

Aſter Atticus in pratis naſcitur, Serapio non diſtinxit hunc ab iringuo, quoniam vtrique flores in modum ſtellæ habent. Dioſc. cap. 115. lib. 4. Et Gale. 6. de fac. ſimp. Vocatur & bubonium, eo quòd bubones

sanat,& vocatur à Plin.lib.22.capitu.7.& 8. centum capita.Paulus lib.7.Mixtæ est vi: tutis, digerentis & refrigeratoriæ, idcirco bubonibus prodest.

Astragalus Dioscor.capitu.60. quarti. & Plin.cap.8.lib.26.Gal.6.de fac.simpl.Paul. lib.7.Non ignauiter desiccat, & eius radix adstringit.

Athara Dioſc.cap.83.secundi,genus pulticulæ, quod apud Teutonicos paratur ex farina, lacte & butyro, in conuiuiis, & in cibandis infantibus.Galenus primo de aliment.

Attractylis,à Theodoro fusus sylueſtris: Hermolaus vult carthamum, sylueſtrem enicum dictum esse attractylidem. Dioſc. cap.98.tertii.Plin.cap.15.lib.21.& Theoph. capit 4.lib.6.Paul.lib.7. Vi siccante & mediocriter calida pollet.

Attriplex,ἀτράφαξις, vulgò trepeſe, non defuerint qui spinachia vulgaria esse voluerint.Dioſc.capit.110.secundi,& Gale.6. de fac.simp. Facit eius semen vomere & purgare corpus per inferiora. Razes refert se vidisse hominem acceptis eius duabus drachmis assellasse vsque ad magnam debilitatem.Paul. Est humidum & frigidum in secundo.

Auellana, Græcè κάρυα πόντικα, sylueſtris

ſtris eſt & domeſtica. Dioſc. cap. 146. primi. Gal. 7. de fac. ſimp & 2. de fac. aliment. vulgò dicitur niciola. Paul. libr. 7. Frigidiores ſunt & auſterę, in cæteris iuglandibus æquales.

Auena, Græcis βρωμος. Dioſc. cap. 85. ſecundi, & Gal. 6. de fac. ſimp. Plin. cap. 25. lib. 22. Pau. lib. 7. Siccat & modicè diſcutit, alicuius aſtrictionis compoſ.

Baccaris non eſt aſaron, vt hucuſque putatum eſt à Seplaſiariis, nec eſt ſcarlegia, vt voluit Braſauola de mente Leoniceni, quum in radicibus ſcarlegia baccari non reſpondeat, vt videri poteſt ex Dioſco. cap. 46. tertii. quare dicendum eſt baccharem noſtris in partibus non haberi. Pau. libr. 7. βάκχαρις acris eſt & odorata, eius folia adſtringunt.

Ballote, marrubium nigrum, adeò ſimile eſt meliſſophylo, vt niſi per odorem malum agnoſceretur, vix id per viſum ſcires diſcernere. Dioſc. capitu. 109. tertii, & Pau. libr. 7. Acris eſt & abſterſoriæ facultatis.

Balſamum verum non habetur, ſed oleum antiquum pro balſamo vendunt. de balſamo lege Plin. ca. 12. lib. 25. & Theoph. cap. 6. lib. 9. & Iuſtinium hiſtoricum libr. 36. & Dioſcor. capit 18. primi. Galen. 6. de fac.

simp. Desicat & excalefacit in secundo excessu, & est tenuium partium: itidem asserit Paul. lib 7.

Barba birci, Græcè τραγοπώγων. in Hetruria vulgo dicitur sassefrica: herba nota est: sunt qui velint similem esse scandici: huius aqua chymico more stellata mirabiliter vulnera recentia carnis cum syndone applicata sanat. Theoph. cap 7. libr. 7. Dioscor. cap. 132. lib. 2.

Bdelliũ, res nota est: verùm quod pingitur, à Dioscor. non habetur, quod magis nigrescit & resinum est, magis mollit. Duplex repetitur, Sicilianum, quod foliis & radicibus palmæ assimilatur, & vulgò Neapoli dicitur *cephaleone*, cuius germen adhuc molle comeditur. Et Iudaicum, quod describitur à Dioscor. cap. 61. primi, de primo loquens Gal. 8. de fac. simp. dum de palmæ mẽtionem facit, dixit, medullam encephalon vocari, vnde corrupto vocabulo vulgò *cephaleone*, vocatur. Paul. libr. 7. Emollit, maturátque.

Beta, Græcè τεῦτλον, nota est, nam passim nascitur, nigra est & alba, & tertia species, vt refert Mathiolus in agro Trentino inuenitur, quæ rubea est, & radices habet carotis similes: comeditur, non minus insuauis, quam cæteræ radices in acetariis.

Galen.

Galen.8.de facu.ſimpl.Plin.lib.20..cap 8.& Dioſcor.capit.112.ſecundi.Succus betæ albæ per clyſterem infuſus mirum in modum ventrem conſtipatum ſoluit,etiam ſi per alia enœmata ſolui non poſſet.Pau.lib. 7. Nitroſam vim habet, abſtergit iccirco & diſcutit.

Betonica,Græcè κέστρον, notiſſima res eſt, habet multas vires quæ ab Antonio Muſa Cæſaris Auguſti medico exarantur. vide Dioſc.cap.1.quarti, & Galen.8.de fac.ſimp. Paul.lib.7.duas ſpecies enumerat, ſint qui velint calidam & ſiccam eſſe,ob id quod incidit & ſubacris eſt.

Bitumen, quod Græci ἄσφαλτον vocant eſt quædam mixtura cum pice & aliis miſcellis, quare ad eam non confert quæ à Dioſc. recitantur. Naſcitur bitumen in Iudæa in eo lacu quo Iordanus fluuius ingreditur,ſed de his latius vide ca.de Naphtha. Dioſcor cap.84 primi. Plin.lib.35. capit.15. Gale.2 de fac.ſimp. Bitumen in mari mortuo inuentum, vim reſiccatoriam & excalefactoriam habet in ſecundo ordine,ad glutinationes vulnerum cruentorum idoneũ. Itidem ait Paul. lib. 7.

Blatæ, Græcè σιλφαὶ, ſunt animalia quæ circa molas & in piſtrinis inueniuntur, ſimilia grillis vocatis,valent ad dolores au-

[illegible]

rium: vocatur etiam blatæ, quæ in carnibus porci salsis inueniuntur, sed non sunt quæ à Dioscor.capit.35.secundi recitantur: quæ verò circa molas inueniuntur, ab aliquibus vulgò pintolæ vocantur. Vide Pau. lib.7.

Blitum vulgò dicitur Biedone, duas habet species: alteram coloris rubei, alteram albi: nullum ferè vsum obtinet in re medica, peruertit stomachum. Dioſc.cap.108.secundi,& Plin.lib.20.capitu.22 Galen. 6.de fac.simp.Pau.lib.7.Frigidum & humidum in secundo ordine.

Botrys, herba aliquibus nota est herbariis, quæ nisi sit artemisiæ species, haud scio planè quid explicem. Meminit Dioſc. capitu.121.tertii Plin.lib.25.capitu.7. & lib. 27.cap.8. Paul.libr.7. Planta est insigniter odorata.

Brassica, nota & vulgaris est, vulgo dicitur cauolo siue verza, cuius multæ sunt species, vt refert Theoph.capi 4.lib.7. & Plin. cap.8.lib.9. Prima brassica est, quæ magnũ habet thyrsum cum longis foliis: est & altera quæ crispa habet folia,& dicitur apiana: alia est quæ caulem habet subtilem cum teneris & tenuibus foliis, est & apud Plin. lagotoria brassica, quam nonnulli volunt esse id quod dicitur vulgo il capuzzo

Borax. V. chrisocolla.

puzzo. Sunt & aliæ quamplures brassicæ ſpecies, quas narrare longum foret. Semina brassicæ inueterata ſi ſeminantur, in rapas transeunt, & econuerſo. Brassica marinæ eſt vulgaris ſoldanella. Vide Dioſcor. capit. 111. ſecundi Galen. 3. de facult. ſimpl. capit. 14. & ſeptimo eiuſdem & ſecundo de fac. aliment. Paul. libr. 7. Quæ comeditur ſiccat & abſtergit, valentius tamen ſylueſtris. 114

Britannica, niſi ſit biſtorta, aut betonica quæ nunc eſt in vſu, certè neſcio quid ſit. Dioſcor. cap. 2. quarti. Gale. 6. de fac. ſimpl. Plin. lib. 25. capit. 3. vocatur ab Auicen. Bertanich. Paul. lib. 7. Adſtringit & conglutinat: quidam dixerunt eſſe lapatium acutum ſed decipiuntur.

Bromos herba, ſimilis eſt auenæ, & eſt auena ſylueſtris: meminit Plinius libr. 22. capit. 25. & Dioſcor. 135. quarti. Galen. 6. de facul. ſimp. Deſiccat & digerit mediocriter & ſine morſu. Et primo de fac. aliment. itidem Paul. lib. 7 aſſerit.

Buccinæ, ſunt animalia oſtracodermata, id eſt duri corticis, & naſcuntur in mari, ſicuti & purpuræ: ſunt ſimiles buccinis ſiue tubis, vnde dictæ ſunt. Maiores iis ſunt purpuræ, & habent liquorem in gulæ venis, quo infectores in tingendis veſtibus purpureum

pureum colorem efficiunt. lege Plin. lib 9. & Dioſc. cap. 4 ſecundi. Gal. 2. de fac. ſimp. Deſiccant ſine morſu dum vruntur, & in polinem conteruntur.

Bugloſſum, lingua bouis, nil aliud eſt quàm noſtra vulgaris borago: de hac meminit Gal. 6. de fac. ſimp. & Dioſc. capi. 123. libr. 4. Paulus lib. 7. Humidum calidúmque temperamento eſt.

Bulbus vomitorius, niſi narciſſi ſit ſpecies, & bulbus qui edendo eſt niſi ſit Aſcalonia vulgaris, neſcio profectò quid ſint. Dioſc. capi. 160. & 161. ſecundi, Scio noſtras Aſcalonias non eſſe Galeni bulbos, quum acerrimæ ſint, nec quales à Galeno ſcribuntur. Vide Galen. 5. de facult. ſimpl. capit. 22. & ſecundo de facul. aliment. Paul. lib. 7. Amari ac adſtringentis ſaporis modicè eſt, ſiccat, glutinat vulnera & abſtergit. Vomitorius verò multò calidior. vide & Gale. 6. de fac. ſimp.

Bunium, vulgò *nauone ſaluatico*, duæ eius ſunt ſpecies, vt Plin. capit. 4. lib. 20. bunion & buniada, Huius meminit Galen. 6. de fac. ſimp. & Dioſc. capit. 119. quarti. Paul. lib. 7. Bunium calidum eſt, vrinam & menſes ducit.

Buphthalmos, oculus bouis, non eſt cotula, vt Fuchſius, ſed flos umilis camomil-

le,

læ, luteus est, non circumcirca albus, vt nonnulli. Huius meminit Dioscor. capit. 147. tertii, Et Gale. 6. de facul. simp. Plin. libr. 25. capit. 8. Paulus libr. 7. Discutit ac durities emollit.

Cacalia quum semen, vt ait Plinius cāpi. 2. lib. 25. paruum producat, ac sunt margaritæ paruæ, nescio profecto diuinare quid sit. vide Dioscor. capit. 117. quarti. Galen. 7. de facult. simp. Paul. libr. 7. Valet sicuti cancamus.

Cadmia fit ære in fornacibus acenso, ad hærente fornacum parietibus, & est res, quæ nunc vulgò tutia dicitur. Dioscor. cap. 42. quarti. Plin. libr 34. capit. 13. vide Gale. 9. de facu. simp. Paul. libr. 7. Desiccat, abstergit, & concaua vlcera explet.

Calamintha, est id quod vulgo dicitur *calamento*: huius sunt tres species, vt refert Dioscor. capi. 38. tertii. secunda species vulgò dicitur *nepeta*, nec est ea vulgaris herba quæ dicitur *herba gatta*, vt refert Brassauola nec ista herba gatta est tertia species, vt Ruellius putat, quoniam similis est mentastro, non autem vrticæ vel melissę, vt herba gatta. Gal. de calamintha meminit 7. de facul simp. Paul. libr. 7. Nepita calida & sicca in tertio ordine.

Calamus aromaticus. i. odoratus: verùm non

non habetur, sed pro eo accipitur radix acori Meminit Theoph. 9. de historia plantarum, & Plin. capit. 22. libr. 12. Et de viribus canarum capit. 11. lib. 24. Et Galen. lib. 7. de fac. simp. & Dioscor. cap. 17. primi Paul. libr. 7. Calefacit & desiccat in secundo ordine.

Calx viua, præsertim quæ ex fluminum excoctis lapidibus fit, omnibus nota est: hæc si diu lota fuerit, omnem mordacitatē amittit, & malignis vlceribus prodest. Dioscor. capit. 87. quinti, & Galenus 9. de facul. simp. Paul. lib. 7. Adeò vehementer vrit, vt crustam inducat.

Cancamon, est lacha, & lacha est lachryma arboris Arabiæ, quæ ad nos non affertur: quare caueant, qui dialacha componunt, quid per lacha imponere debeant: nam gumi rubeum quod demonstratur, nō est lacha, quum odore careat. Nec debent seplasiarii lacha artificiali vti, quæ componitur verzino, grana & cremesi, nec vti debent, quòd vulgò dicitur sanguine diđraco in lachryma: quoniam vires lachæ contrarias habet: hic adstringit, illa aperit. Dioscor. cap 24. primi. Paul. lib. 7. Extenuat, abstergit, aperit.

Canabis duplex, satiua & syluestris: sed syluestris non sic nota semē domesticæ generatam

nituram extinguit, sed in gallinis contrarium agit: nã quæ ex huius semine pascuntur, multa oua pariunt. Dioscor. cap. 156. & 157. & Gal. 7. de fac. simp. Paul. lib. 7. Semen discutit flatus, & ita siccat, vt genituram arefaciat.

Camphora, est arboris Indici, statura maximi, quoddam gumi frigidum & siccum in tertio ordine. Bona camphora cognoscitur, si intra panem calidum reposita resoluatur. Auic. lib. 2. & Serapio lib. aggre. cap. de camphora. Huius rei non memini quicquam me legisse apud Græcos authores: multas hæc habet species ex locorum diuersitate sumptas.

Capparis ex Alexandria affertur: de hac Gal. 7. de fac simpl. & 2. de fac. aliment. cap. 24. Dioscor. cap 164. secundi. Theoph. cap. 5. libr. 6. & Plin. cap. 8. lib. 19. Paul. libr. 7. Radix extergit, purgat, incidit, discutit, & sua acerbitate contrahit, stringit & densat.

Cardamomon verum non habetur, sed quod pro cardamomo venditur triplex est, maius & minus, quod nielam dicunt. Tertium vocatur ab aliquibus melegetta, aut granum paradisi, Arabicè dicitur cordumeni. Dioscor. cap. 5. primi, & Plin. cap. 13. lib. 12. & Gal. 7. de facul. simpl. Pro cardamomo accipitur cyperus vel myrthus, vt Galen. in

ſuccidaneis. Paul. lib. 7. Acre eſt, & lumbricos interimit.

Carduus, domeſti us eſt & ſylueſtris domeſtici cardones appellati, qui in poſtrema cœna crudi & cocti cum pipere & ſale cõmeduntur, vulgò *carchiofoli*. Theophr. cap. 4 lib. 6. & Gal. 8. de facul. ſimpl. vbi habet, quòd ſunt calidi & ſicci in ſecundo ord. Dioſcor. cap. 14. tertij.

Carum, vulgò *carui*. Dioſcor. cap. 59. tertij, & Gal. 7. de facul. ſimp. Calidum ſiccum in tertio ordine. & 2. de fac. alimen. itidem Paul. lib. 7.

Caſſia duplex, vera quæ cinnamomũ, & falſa quæ caſſia lignea vocatur. Caſſia verò ſiliqua eſt caſſia ſolutiua ex Aegypto proueniens, ſed nuſpiam à Græcis de hac quicquam proditum eſt. Quum verò apud Græcos legitur caſſia, intellige de ea quæ nunc cinnamomum dicitur. Dioſcorid. cap. 12. primi. Galen. de antidotis, & 7. de facult. ſimplic. Exiccat & calefacit in tertio ordine.

Caſtoris ſiue fibri teſticuli, Græcè κάστορος ὄρχις in vſu ſunt & cognoſcuntur, verùm qui iuxta heplaſiarios cernuntur, non ſunt veri, ſed compoſiti, vt refert Plin. ex renum partibus & teſticulis in veſicis repoſiti. Dioſcor. cap. 23. ſecundi, & Plin. 30.

cap. 8.

cap.8.lib.& cap.3. lib.32.Gale.11. de facult. simpl.de castoreo lib. scripsit Archigenes. Pau.li.7.Calefacit,siccátque cum extenuandi viribus eximiis.

Castanea,res nota est.Gal.4.de fac.simp. cap.7.& 2.de fac.aliment.Dioscor.cap.126. primi.Vocantur etiam Græcè λόπμα & connumerantur inter glandes.

Caucalis , secundum aliquos , est id quod vulgò dicitur *petrosello saluatico* , eo quòd apio similia folia habeat . Dioscor. cap.128.secundi,& Galen. 7.de facul.simpl. Paul. libro 7. Dauci modo calefacit & siccat: sunt qui vocent caucalim vuam lupinam.

Cedrus,est arbor vt iuniperus : sed quid sit cedrinus liquor, nisi sit vernix , certè nescio quid dicere debeam.Dioscor. cap.9. primi, & Gal.7.de fac.simpl.Plin. lib.13.cap.5. Maior & minor,& minoris sunt duo genera, lycea & fœnica. Paul.lib.7.Calefacit & siccat in rertio ordine.

Centaurium maius, nil aliud est quàm rhaponticum vulgare.Plin.cap.6.lib.25. & Gal.7.de fac.simpl.& Dioscor.lib.3.Paul. lib. 7.Radix est acris,calida & terreæ ad adstrictionis.

Centaurium minus, apud Hetruscos vulgò *biondella*, ob affectum quem circa mu-

lierum capillos facit, ventrem soluit: non autem maius, vt Arabes. Dioſc. cap. 7. tertij, & Gal. vltra particularem tracta. 7. de fac. ſimpl. etiam mentionem facit. Paul. libr. 7. Radix inefficax, ſed corniculi validè & citra morſum ſiccant.

Calcanthum, latinis atramentum ſutorium, vulgo *vitriol*. Dioſc. cap. 68. quinti, & Gal. 9. de facul. ſimp. Paul. lib. 7. Carnes humidas abſumit, ſiccátque.

Chamæciſſos, niſi ſit hedera terreſtris, vt Fuchſius, haud ſcio quid ſit, quũ tot hederæ terreſtris genera demonſtrentur. Dioſcor. cap. 121. quarti, & Gale. 8. de fac. ſimpl. Plin. lib. 24. cap. 10. & 15. Paul. lib. 7. Flos eius inſigniter amarus.

Chamædaphne, eſt Dioſcor. laureola, ſed laureola nõ eſt mezereon, vt putarunt non nulli, ſed potius chamelea. Dioſc. Plin. lib. 21. cap. 11. id vocauit chamædaphnen, quod vulgò dicitur *vinca pernnica*, ſed poſtea cap. 15. libr. 24. chamædaphnen appellauit, vt Dioſcor. cap. 144. quarti. de qua Gal. 6. de fac. ſimp. verba facit. Paul. lib. 7. Calida & acris eſt.

Chamædris, vulgò *Calamandrina*, recens comeſta hominem à peſte præſeruat: huius meminit Theop. ca. 10. lib. 9. Gal. 8. de fac. ſimpl. & Dioſco. cap. 103. tertij. Plin. lib. 24. cap.

Digitized by Google

cap.15.Paul.libr.7.in tertio ordine calefacit,exiccàrque.

Chamelea & Thimelea apud Arabes eſt mezereon.Dioſcor cap.166.quarti, & 167. quarti.Gal.8.de facul.ſimpl. Vincentem habet qualitatem amaram.

Chameleon albus eſt & niger : albus eſt id quod vulgò dicitur carlina,niger verò in medicinis,quæ per os aſſumuntur , non eſt mittendus:nam teſte Gal.8.de fac.ſimp.neſcio quid mortiferi in ſe habet.Arabes ſæpe confundunt chameleonem cum chamelea.In chameleonis nigri radice naſcitur viſcus,quod dicitur ixia,& eſt venenum:vnde quum in Plinio legeris remedia contra viſcum,intellige contra ixiam.Dioſc.cap.8.& 9.tertij. Galen.8.de fac.ſimpl. Calefacit in ſecundo,& ſiccat in tertio ordine.

Chamæpitys, vulgò *Iua regij*, orbica ſpecies à Dioſcorid. recitantur tres cap.166. tertij,& Galen.8.de facul.ſimpl.Expurgat, abſterget,calefacit in ſecundo, ſiccat in tertio ordine.

Camæſice niſi ſit ſpecies pepli, haud ſcio quid ſit: interpretatur enim humilis & terreſtris ficus.lege Dioſcor. cap.164. quarti. Gal.8.de facul.ſimpl. Abſtergendi ſimul & acrem vim poſſidet.itidem Paul.lib.7.

Chelidonium duplex, maius quod vulgò

dicitur cerdogna: & minus quod vocatur à quibusdam scrophularia minor, ob similitudinem quam cum scrophularia in radicibus tenet: in Hetruria vulgò dicitur *fauoscello*. Dioscorid. cap. 172. & 173. libr. 2. Plin. cap. lib. 25. Galen. 8. de facul. simpl. Chelidonium minus calefacit, & siccat in 4. ordine absoluto. Paul. lib. 7. Chelidonium maius calefacit in tertio, & valenter abstergit.

Crysanthemon, Romanis calta: putaui ego olim corrupto vocabulo id esse, quod nos vulgò dicimus *coitu*, & est similis camomillæ: sed quia non omnes conditiones seruat, quas crysanthemo tribuit Dioscor. nunc certè haud scio quid sit. Dioscor. cap. 56. quarti. Differt autem chrysantemus à buphthalmo, ea differentia quæ est in cap. 147. lib. 3. cap. 56. quarti.

Chrysocolla, vulgò *borace*, duplex est, artificialis & mineralis: quæ verò paratur ex alumine rochæ & sale ammoniaco, vocatur *borace riffetto*. Viridis est in medicinis excellentior. Dioscor. capit. 58. quinti, Galen. 9. de facul. simplic. & Plin. capi. 5. lib. 33. Paul. libr. 7. Abstergit, discutit siccátque.

Cichorium siue intybum, vulgò endiuia siue radechij. Dioscor. cap. 121. lib. 2. & Gal. 8. de

de facul. simpl. vbi inquit, Endiuia est herba amara, sed multò plus syluestris quæ ab amaritudine picris siue cichorium dicitur. Paul. libr. 7. Siccat, refrigerátque in primo gradu.

Cicuta similis ferulæ, sed mali odoris. Dioscorid. cap. 77. quarti, & cap. 11. libr. 6. Plin. cap. 10. lib. 21. Galen. 8. de facult. simpl. Paul. lib. 7. Habet vires summè refrigeratorias.

Cinnabaris, vulgò *sangue de draco* in lachryma, est gumi cuiusdam arboris Aphricæ stillans, sanguini humano simile, vnde nomen habuit. Cinnabaris verò, quo nunc vtuntur seplasiarij, duplex est, mineralis & artificialis: mineralis nascitur in mineris vbi argentum viuum foditur: artificialis fit ex sublimatione argenti viui & sulphuris, minium verò Dioscorid. est nostrum cinabrium. Vide Dioscorid. capit. 63. quinti. Galen. 9. de facult. simpli. Modicè acrem facultatem habet, & adstrictionis quidpiam.

Cinnamomum verum non habetur, sed nostrum duplicatum eosdem effectus quos verum cinnamomum efficit. Dioscor. ca. 13. primi. Vide de cassia Gal. 7. de facult. simpl. Calefacit in tertio, non tamen ita deficcati itidem Paul. lib 7. ait.

Circæa nondum à me cognita, nec visa est hucusque: de hac loquitur Dioscor. capit. 125. tertij. Galen. 7. de fac. simpl. Paul. lib. 7. Calida est eius radix & odorata, eius semen lac generat.

Cirsion, nisi sit nostra vulgaris bugloss a, nescio profectò quid sit. Dioscor. cap. 14. lib. 4.

Cistos & hipocistos, apud seplasiarios vocatur corrupto vocabulo hypoquistidos, & est succus radicis tragopoi, id est *barbæ de becco* ad solum inspissatus, & non est id quod habet Dosc. cap. 111. & 112 primi: nam est herba saxosis locis nascens. Galen. 7. de fac. simpl. Paul. lib. 7. Adstringit & modicè refrigerat.

Citra, siue citromala, omnibus nota sunt, in quorum numero ponuntur quæ nos vocamus limonia & aurantia poma, vnde Virgil. *Aurea mala decem misi*, vulgò dicuntur Arantiæ, quasi dixeris, aurantiã Dioscor. cap. 136. primi. Plin cap. 3. lib. 12. Galen. 7. de fac. simpl. Paul. libr. semen tertij refrigerãtium siccãtiúmque ordinis habetur, cortex siccat in secundo.

Clematis daphnoides vulgò *vinca pervinca*, sed altera clematis, nisi sit vitis alba, aut flamosa vulgò dicta, nescio quid sit. Dioscor. cap. 7. & 8. quarti. Galen. 7. de facul. simpli

simplicium. Paul. lib. 7. Clematis daphnoides siccandi virtute pollet: altera verò clematis acri & caustica facultate donata est.

Clymenon, sunt qui velint esse vulgarem saponariam, sicuti & periclimenon matrissyluam: decipiuntur verò qui credunt matrissyluam & caprifolium esse vnum & idem, quum caprifolium sit pixia cantha Dioscor. Vide de clymeno Dioscorid. capi. 14. quarti, & de periclymeno capit. 15. quarti, & Gal. 8. de facul. simpl. Plin. lib. 25. cap. 7.

Cnicus à seplasiariis dicitur carthamo, vulgo *Zafarano saraſinesco* Dioscorides cap. 182, quarti, & Galen. 7. de facult. simplic. & Theoph. capit 4. libr. 6. Paul. libr. 7. Tertij ordinis siccantium est, semen purgat aluum.

Condrilla, cichorij species est, & alterum condrillæ genus, quod vulgò ab ipsius lacte *lattarola* nuncupatur: vide Dioscorid. ca. 122. secundi, & Galen. 8. de facult. simpl. cap. de endiuia & cichorio. Plin. lib. 22. capit 22.

Coniza, vulgò pulicaria, eo quòd pulices enecet. Dioscor. cap. 127. tertij, Theoph. cap. 2. lib. 6. & Gale. 7. de facul. simpl. Paul. libr. 7. Siccat & calefacit in tertio ordine.

Corallium album & rubrum omnibus notum est, lithodendron etiam dictum, album rubro frigidius. Dioscorid. capit. 93. quinti, & Plin. capit. 2. lib. 32. Auicen. de viribus cordis. Paul. libr. 7. Validam siccandi vim habet, adstringendi verò mediocrem.

Coriandrum omnibus notum : in viribus eius dissentiunt Dioſc. & Gale. nam tenet Dioscor. cap. 64. tertij, quòd habeat vires frigidas, & similiter Auic. At Galen. 7. de facul. simpl. quòd sit tepentis facultatis cum pauxilla adstrictione : itidem Paulus lib. 7. tenet.

Cornus, mas & fœmina, non plantatur apud apum aluearia, ne apes corni floribus vescentes moriantur. Dioscor. cap. 140. primi, & Galen. 7. de facult. simpl. Exiccat valenter, ac vulnera conglutinat. Paul. libr. 7. itidem.

Ceronopos est, vt placet Manardo, id quod dicitur vulgò herba stella, & non Leoniceni sanguinella, quæ est species graminis spinosæ, vt placet Plin. capit. 19. libr. 24. & vocatur dactylus. Dioscorid. capit. 119. secundi, & Plin. lib. 22. idem ait quod Dioscorid. Galen. 7. de facult. simpl. Paul. lib. 7. Creditur prodesse ad colicos cruciatus manducata.

Cordumeni. i. Chirui agrestis/ Costus Arcul. de lapid. cap. 467.

Costus verus non habetur, sed pro costo quædam vulgaris radix venditur, nec inuenitur dulcis & amarus, vt vulgus putat, sed bene albus & niger, nunc Venetiis optimus venditur. vide Dioscorid. capit. 15. primi. Galen. 7. de facult. simpl. Plurimam acrem & calidam qualitatem simul & facultem habet, adeò vt etiam exulceret. Paul. libr. 7. itidem refert.

Cotonea mala, vulgò *pome codogne*, fortè à Cydone Cretensi oppido oriunda, quæ minora, & in parles diuisa citrina & lanuginosa sunt, cæteris meliora: nam odorem longè aliis suauiorem reddunt. Struthia verò à Galen. appellata, sunt quæ in magnitudine maiora & carnosiora, nec sic citrina, vt prædicta conspiciuntur: muliana verò à Plinio dicta sunt cotonea, vulgò *pome bastarde* appellata. Dioscorid. capi. 130. primi. Paul. lib. 7. Frigidi, & terrestris temperamenti sunt. Galen. 2. de fac. alim.

Crimnon est ex tritico vel zea granum, crassius triturarum quàm farina, quo antiqui vice panis vescebantur. Dioscorid. cap. 81. secundi, & Plin. capit. 8. libr. 18. Galen. 7. de facult. simplic. & primo de fac. alim. vbi de zea loquitur. Paul. lib. 7. Valde nutrit, ægrè conficitur.

Crithmon, plures existimarunt id esse quod

quod vulgò dicitur, *fenochio marino, ouer herba di san Pietro*: ego crederem esse mentam Florentinam. Dioscor. cap. 118. secundi. Galen. 7. de facul. simpl. Vis eius est exiccatoria & abstersoria. Paul. lib. 7. idem refert.

Crocodilion est species chameleontis, sed non est carlina. Dioscor. cap. 10. tertij. Plin. cap. 8. lib 22. & Gale. 7. de facul. simpl. Paul lib. 7. Calidam, siccam, & discutiendi vim obtinet.

Crocus melior ex aquila Abruci affertur Venetias, nascitur multò precioſior in multis Lombardiæ locis, sed rarior. Dioſc. cap 25. primi, & Gal. 7. de facul. simpl. Paul. lib. 7. Calefacit in 2. & desiccat in primo ordine.

Cucurbita, vulgò zucha, & est vel longa, vel rotunda, vel lata. Ex semine colli cucurbitæ fiunt longæ, & ex semine in parte rotunda contento, rotundæ: sicut & in parte lata latæ oriuntur. Crassiores euadunt cucurbitæ, si semen cum acumine versus terram plantetur. Dioscor. cap. 123. secundi, & Plin. ca. 5. lib. 18. & Galen. 7. de facult. simpl. Paul. lib. 7. Humida & frigida in secundo abscessu.

Cucumis est id quod vulgò dicimus, *cucumere ouer cedrone*, vt probatur ex Plin.

cap.

Digitized by Google

cap.5.lib.19 & ex Dioſc. nec eſt anguria vt volunt aliqui: omnes tamen ſpecies cucumerum, melopeponum & peponum, vt affirmat Gal. 2.de facult.alimen.vocantur nomine peponis.Melopepones ſunt noſtri vulgares melones: ſed quid ſint pepones, niſi fortè ſint,quos Venetiis vulgò vocant *peponi*,haud ſcio quid ſint:ſcio hos non eſſe angurias,quum ſeorſum Serapio capita de omnibus faciat, Dioſcor.capit.124. ſecundi. Paul.Refrigerat & humectat in ſecundo ordine,ſemen abſtergit & incidit: vide etiam Galen.8.de fac.ſimpl.

Cucurbita ſylueſtris, vulgò *coloquintida*, valet mirabiliter in aſthmate & tuſſi antiqua & iuncturarum doloribus.Oleum in eius concauitate bullitum nigros efficit capillos, nec ſinit canos fieri, & prohibet eorum caſum, auribus ſibilantibus medetur.Dioſcor.capit.171.quarti,& Galen.7.de fac.ſimp.vide etiam Meſu.Paul.lib.7.Validam habet vim purgandi.

Cucumis ſyueſtris, vulgò *cumere aſinino*, ex quo fit elaterium, decoctum radicis & eorum foliorum, & ſuccus eius valet ſummopere hydropicis, cum melle abſtergit maculas liuidas ex percuſſione,valet etiam ad lentigines & maculas faciei. Dioſcor,cap.149.quarti,& Galen.8.de fac. ſimpl.

simpli.Paul.li.7.Radix detergit, dissipat & emollit,succus verò siccandi vires habet.

Cupressus, formicis familiarissima, non nascitur vbi sit aqua,nec eius lignum marcescit.Dioscorid.capi.87.primi,& Plin.cap. 15 lib.24.& Galen.7.de facult.simpli. Paul. lib.7. Siccandi vires habet absque calore conspicuo.

Curmi Plin.vlt.potus veluti ceruisia:vide Dioscorid.cap.79.lib.2.

Cuscuta tantùm iuxta Arabes memoratur, & est satis nota herba: habet vim adstringendi & confortandi, valet ad obstructiones hepatis & lienis & sanguinem purificat.

Cyclaminus,vulgò *pan porcino*,& est omnibus nota: altera verò cyclaminus dicta à Dioscorid.haud certè scio quid sit. Dioscor. cap.153 secundi,& Gal.7.de fac.simpl.Paul. lib.7. Extergit,incidit,aperit,attrahit & dissipat.Plin.cap.9.lib.21.

Cyanon puto esse lapidem lazuli, inuenitur in æratiis fodinis,& in quibusdam maris littoribus.Dioscorid.cap.60.quinti, Gal. 9.de fac.simp.

Cyminum satiuum omnibus notum, vulgò *cummo* dicitur. Syluestre verò quòd sciam,non cognoscitur, nisi sit quod vulgò dicitur *rucheta*.Calidum est, vt placet Gale.7.

Digitized by Google

len 7.de facult.simpl.Dioscorid.cap.61.tertij.Paul.lib.7.In tertio ordine calefacit,flatus discutit.

Cynocrambe, canina brassica, species mercurialis herbæ, Discorid.cap.184.quarti.Galen.5 de facult.simpl.Paul.lib.7.Lecha lis homini est,fœdi odoris,citra siccitatem, digerit etiam.

Cynoglossa,lingua canina,duplex est:altera à Plinio descripta, altera vulgaris,quæ vera non est. Dioscorid. cap.124.quarti, & Plin.cap.8.lib.25.

Cyperus duplex, alter passim in Longobardia inuenitur, alter angulosi iunci radici similis, nascitur in India, & est vulgaris nostra curcuma:Curcuma verò Serapionis,non est curcuma nostra, sed radix chelidoniæ.vide Dioscorid.capit.4. primi. & Galen.7. de faculta. simplic. Paulus libro septimo, Siccat, calefacítque citra morsum.

Cytisus, vulgò *trifolio caualino*, *ouer tribolo*. Impinguantur equi cytiso, & à quocunque morbo liberantur: libentiùs quàm hordeo, equi cytiso vescuntur. Dioscorid. capit. 108. quarti, & Galen.7.de facultat. simplic. & Plin. libro 13. capit. 25. Paulus libro 7. Tepidæ naturæ & leniter discutientis.

Daphnoi

Daphnoides laureola, non est mezereon, quum sit chamelea Dioscoridis, vt dictum est, chamædaphne-posteà est species daphnoidis. Dioſc. ca. 143. quarti, Plin. cap. 15. lib. 24. & Gal. 6. de facul. simpl. Paul. lib. 7. Calida, acris, & subamara est.

Daucus est secundum aliquos pastinaca syluestris: verus daucus nondum habetur, quoddam aliud à seplasiariis pro dauco venditur Dioſc. cap 66. tertij. Galen. 6. de fac. simp. Paul. lib. 7.

Dictamnus nuper inuentus habetur Venetiis: verùm quod vendunt pro dictamno, est species fraxinellæ, quæ nec dictamno Cretensi, vel salsæ conformis est: sed quæ sit fraxinella nuncupata, quum nullibi ab antiquis mentio fiat, haud scio quid explicare debeam. De dictamno scribit Dioscor. c. 32. & 33. & 34. tertij. Gal. 6. de fa. simp. Theophra. ca. 16. lib. 9. Paul. libr. 7. Virtutē habet pulegij.

Dipsacos, siue labrum Veneris, vulgò dicitur *scarzo ; da scarzare li panni* : vocatur & ineptè à seplasiariis virga pastoris, sic etiam Pandectarius, vbi dipsacum confundit cum polygonio, qui est *centinodia* siue *corrigiola, ouer sanguinaria de dipsaco*. Dioscorides. cap. 2. lib. 3. Galen. 6. de fac. simpli. Plin. cap. lib. 24. & cap. 9. lib 27. Paul. lib. 7.

Desi

Deficcat in secundo ordine, & nonnullam adstringendi vim obtinet.

Dracunculus duplex, maior & minor, & est res ab aro differens & alia, vulgò dicitur serpentaria maior & minor, non est tamen herba nomine serpentina, siue herba argentina, quæ in recentibus consolidandis vulneribus mirabilis est, & in intestinorũ rupturis, Dioscor. cap. 155. & 156. secundi, & Gale. 6. de fac. simpli. Magis calefactorium & tenuioribus partibus constat ipso aro: itidem Paul. lib. 7.

Dryopteris, quercuũ filix, similis esset filici, sed multò minores foliorum incisuras habet, depilat hæc cum radicibus emplastri modo imposita. Dioscor. capi. 181. quarti, & Galenus 6. de facultа. simplic. Plin. capit. 9. libr. 27. Paulus. Vim habet excedentem. Deceptus est Pandectarius, credens esse polypodium.

Ebenus, species ligni guaiaci, vel sancti appellati, in quorũ ordine id melius ac excellentius esse existimarunt, quod minus nigricat. Ebenus olim in multa fuit veneratione, vt testatur Plin. cap. 4 libr. 12. & de eius viribus scripsit Plin. cap. 2. libr. 24. Galenus 6. de facult. simpli. Dioscorid. cap. 114. primi. Paulus lib. 7. Vis est & calefactoria, & detersoria & subtilis.

Ebulus & Sambucus res ſunt notiſſimæ. Aqua ex eorum floribus elicita, dolores capitis à vaporibus calidis factos mitigat. Succus ebuli ad ſolem cõcretus ac ſiccatus pondere vnius drachmæ cum decocto iuæ datus dolores podagricos, & iuncturarum & morbi gallici tollit, & in enœmate poſitus ſciaticis prodeſt. Dioſcorid. capit. 168. quarti, & Galen. 6. de facult. ſimplic. Plin. cap. 8. libr. 24. Paul. libr. 7. Vterque deſiccandi facultatem habet, digerit, congluttinat, & aquam per aluum educit.

Ebur ἔλεφας vulgò *auorio*, & eſt dens elephantis. Ariſtot. 6. de natura animal. Ebur valet fluxui albo mulierum cum lacte ex ſeminum lactucæ extracto cum aqua chalybeata bibitum. Dioſcorid. capit. 50. libro ſecundo.

Echion volunt aliqui eſſe buglooſſum ſylueſtre, flores iuxta folia purpureos habet, in quibus ſemen eſt viperino capiti ſimile. Dioſcorid. capi. 28. quarti. Plin. cap. 19. libra 25.

Echinus, vulgò *riccio terreſtre*. Vide eius vires iuxta Dioſcoridem capit. 2. libro 2. & apud Razem in tracta. 6. animalium. Gale. 2. de facult. ſimplic. Plin. libr. 9. capit. 25. & libr. 32. capit. 1. Paul. libr. 7. Fel eius pilos fluentes glutinat, caro diſcutit

&

Digitized by Google

& siccat.

Echinus, herba, nisi sit species spinæ albæ, eo quòd capitellum simile echino pisci habeat, certè diuinare nescirem. Plin. cap. 8. libr. 23. Galenus 6. de facul. sim. Acerba repellit & siccat. itidem Paul. lib. 7.

Electrum, Latini succinum, Arabes charabe vulgò *ambra da corone*, habet vim retinendi fluores stomachi & ventris. Dioscor. cap. de populo nigra. capi. 98. primi. nec est gumi albæ populi, vt Brasauola. Plinius capit. 2. & 3. libro 37. post longam improbationem fabularum Ouidij, inquit, certum esse electrum gigni in insulis septentrionalibus,, &c.

Elleborus duplex, albus & niger: vocatur etiã veratrũ: & est omnibus notũ, cuius vsum damnauit Mesues, sed conuenienter nõ solùm eius infusio, sed etiam puluis nũc in vsu est absque alicuius patientis incommodo: radices quum extrahuntur, statim purgantur, & abiecta parte interiore cortices tantùm ad solem exiccantur ex quibus deinde fit puluis. Vide de eius viribus Actuarium. Gal. 6. de facul. simpl. & Dioscorid. ea. 145. 146. quarti. valet suffusis felle, scabiei, lepræ, volaticis. Paul. lib. 7. Vterque calefacit, & siccat in tertio abscessu.

Ephemeron duplex, colchicõ & epheme

ron nuncupatum agrestis iris, vulgò *giglio matto*. Colchicum verò id est, quòd nunc dicitur hermodactylus, & est res venenosa. Hermodactylus verus ac legitimus non inuenitur, nec ephemera est lilium conuallium, vt Fuchsius. Paul. Mixtæ potestatis est repellentis & discutientis.

Epithymon, thymi inuolucrum, verum est id quo nunc vtimur. Dioscorid. capi. 172. quarti. & Plin. capit. 8. libr. 26. Galen. 6. de fac. simpl. Paul. lib. 7. Siccat & calefacit in tertio absceſſu.

Eryngium, vulgò *Rinzzo*, non est secacul Serapionis, imò nec istud secacul adhuc cognoscitur: idcirco qui eryngio vim excitandi venerem tribuunt (quum nullibi à Galen. vel Dioscor. hoc dicatur) summopere decipiuntur. Vide Dioscorid. capi. 22. tertij, & Galen. lib. 6. de facul. simp. Plin. cap. 2. lib. 25. Paul. libr. 7. Calefacit quidem non manifestè, siccat verò nec modicè.

Eruca duplex, satiua & syluestris: satiua, dicitur Ruchetta in Hetruria, & Ruchula in Lombardia, & comeditur in acetariis eius semen tritum cum felle bouino cicatrices nigras, albas reddit, & cum melle maculas faciei & lenrigines delet. Vide Dioscorid. capit. 129. secundi, & Galenus 2. de facult. alim. & 6. de facult. simpl. capit.

de

de vitice. Plin. capit. 13 libr. 20. Paul. libr. 7. Flaculenta est & venerèm instigat, sed syluestris valentior est.

Eruum, vulgò orobo inuenitur inter varias segetes, & species vitiæ esse præsumitur. Orob⁹ verò qui ex Alexãdria Venetias affertur, non est verus. Brasauola putauit id esse Eruum, quod vulgò dicitur *Ruuione*, quod à Galeno vocatur ochron, sed decipitur: nam non prouocat sanguinem cum vrina vt orobus. Discor. cap. 100. secundi. Et Gale. 8. de facult. simpli. Plin. cap. 25. lib. 22. Paul. lib. 7. Calefacit in primo, siccat in secundo gradu.

Eupatorium est nostrum vulgare agrimonium, sed apud Arabes, & maximè apud Auic. & Mesu. sunt diuersa eupatoria: nam quod ab Auicen. describitur, id esse volunt quòd vulgò dicitur canuarola. Eupatorium Mesu. est quod in Hetruria dicunt herbam Iuliam, quæ vehementer vermes interficit: idcirco in compositionibus Auicennæ vterer suo eupatorio, & similiter in Mesu. herba Iulia, & iuxta Græcos agrimonio vulgari. Dioscorid. cap. 39. quarti, Gale. 6. de fac. simpli. Paul. lib. 7. Tenuem vim & incidentem sine conspicuo calore habet.

Euphorbiũ est, quo vulgariter vtimur, vide de eius viribus Mes. & Dios. c. 87. tertij,

& Gal.7.de facul.simpl.Plin.cap.7 lib.25. Paul.lib.7. Vim adurentem habet.

Faba, Græcè κύαμος, omnibus nota: Aegyptia verò ea est, quæ vulgò dicitur colocasia, vide Dioscorid.cap.96 & 97.secundi,& Theoph.cap.4 lib.4. & Galen.1.de facult. aliment. Paul. lib.7. Non recedit multùm à medio temperamento in refrigerando & siccando.

Ferula, νάρθηξ, in Apulia maximè cognoscitur, vbi lignorum loco comburitur: vide Theophrast.lib.6.& Galen 8.de fac.simpl. & Plin.cap.24.lib.20 & Dioscorid.cap.82. tertij.

Ficus, σῦκος, satiua est & sylvestris: vide Dioscorid cap.149.primi, & Gale.2.de fac. alim.& 8.de fac.simp.Paul.lib.7. Aridæ siccant in secundo, maturant,detergũt,ac discutiunt. Ficus verò arbor calidi tenuísque temperamenti, adeò succus foliorum abstergit,vt etiam exulceret.

Filix, πτέρις, vulgò *felese*, mas est & fœmina: vide Dioscor.c.178.quarti,& Theoph. capit.20.lib.9.& Plin.cap.9. lib.27.& Gal. 8.de facul,simplic.Paul.lib.7.vim siccandi & amaram habet, fœtus corrumpit, lumbricos enecat.

Flos æris res est diuersa à viridi ære, quo passim vtuntur sepiasiarij pro flore æris. nam

nam est pars æris tenuissima ex vapore æris fusi eleuata: quæ verò vi quadam excutitur, ærugo æris dicitur, & est æs viride. Dioscor. cap. 45. quinti. Plin. cap. 2. lib 34.

Fœniculum, μάραθρον, domesticum & sylvestre. Domesticum omnibus notum. vide Dioscoridem cap. 74. tertij, & Galen. 7. de facult. simplic. Plin. libro vigesimo, capite 23. & Galen. 2. de facult. aliment. Paul. libro 7. Calefacit in tertio, siccat in primo ordine.

Fœnugræcum, τῆλις, omnibus notum, buceras à corniculis suis à Theophrast. vocatur. Gal. 8. de facult. simpl. Discor. cap. 93. secundi. Plin. cap. 19. lib. 23. Pau. lib. 7. Calidum in secundo, siccum in primo.

Fraxinus, μελία. Dioscor. cap. 93. primi. Theophrast. cap. 11. lib. 3. vide de eius viribus Plin. cap. 8. lib. 24. Paul. lib. 7. Morsui viperarum folia succurrunt, ligni ramenta ferunt esse lethalia.

Fumaria, καπνὸς, vulgò *fimus terræ*, omnibus nota: vide Mes. de eius viribus, & Dioscor. cap. 105. quarti, Gal. 7. de fac. simpl. Pau. lib. 7. Acris & amara est, eo dicta, quòd lachrymas eius succus eliciat.

Fungi, μύκητες. Dioscorid. cap. 81. quarti, Galen. 7. de facult. simplic. Frigidos & humidos eos appellat. Plin. cap. 3. libro 19.

Paul. libro 7. Frigidi & humidi, nonnulli exitiosi, præcipuè putridæ qualitatis participes.

Galbanum, vulgò galbina, liquor est cuiusdam plantæ nascentis in Syria ferulæ. Dioscor. cap. 88. tertij, & Gal. 8. de fac. simp. Calidum in primo tertij, & siccum in primo, secundi ordinis. Plin. cap. 26. lib. 12.

Galiopsis, herba similis vrticæ, & est secundum aliquos vrtica fœtida, vulgò vrtica mortua, *ouer quella ortica che ha le machie bianche*. At secundum Fuchsium est scrophularia, sed reuera scrophularia non fœtet, veluti vrtica mortua. Vide Dioscorid. capite 90. quarti. Plin. libro 27. capite 9. Paul. lib. 7. Dissipat & emollit scirrhosos humores.

Gallion, quo lac coagulatur, herba est similis rubiæ minori, quæ aparine dicitur: alia certè à præsura vocata. Dioscorid. cap. 91. quarti, & Gale. 6. de fac. simp. Pau. libro septimo. Siccandi vim cum mediocri acrimonia habet.

Garum est id iuxta Dios. quod vulgò dicitur *salamoia*, sed apud Plin. cap. 7. lib. 31. erat condimentum ex interioribus gari piscis maceratis, & cum sale resolutis. Paul. lib. 7. Calefacit & exiccat.

Genista, γενίστη, vulgò *genestro*. Dioscor. cap.

cap.152 quarti, Gal 8.de fac.simp.& Mesu. inter alia sua solutiua.Plin.capite 9.lib.24. Paul.libro 7. Semen & flores per inferiora purgant.

Gentianæ radicis aqua per balneum mariæ elicita, febres oppilationum sanat, vermes interficit, & sæpe lauando maculas faciei omnes repurgat. De hac Dioscо.cap.3. tertij, Plin.cap.7.lib.25.Galen.6.de facult. simp.Pau.lib.7.Extenuat, perpurgat, absterget & aperit.

Geranion, vulgò herba gruaria, quòd in summitate habeat caput gruis. Huius species sunt tres, vna Latinorum, quæ est id quod vulgò dicitur rostrum gruis: & aliæ duæ Græcorum, inter quas est pes columbinus, & alia quæ folia maluæ similia habet.Dioscо.cap.122.tertij Plin.cap.6.lib.16. Pau.lib.7. Radicem habet esculentam quæ inflammationes vteri dissoluit.

Gingidium, nisi sit quòd vulgò dicitur *cerofoglio*, vt putat Ruellius & Fuchsius, nescio certè quid sit: nam in Cicilia & Syria nasci traditur. Dioscо.cap.126.secundi. Galen.6.de facult.simpl.& secundo de fac. alimentorum. Paul.lib.7.Non habet calorem manifestum, sed siccat in tertio & adstringit.

Git, μελάνθιον, siue nigella, idem sunt.

Brasauola vult id esse, quod vulgò dicitur *gitone*: aliqui volunt esse quod vulgò dicitur *rosola*, aut id quod pro nigella à seplasiariis venditur: nam omnia indicia præter colorem habet. Vide Dioscoridem cap.84. tertii. Galen.7.de facul.simpli.Plin.cap.17. libro 20. Paul. libro 7. In tertio calefacit & desiccat.

Gladiolus Plinij est acorus, sed gladiolus Dioscoridis est cuius flores in Hetruria dicuntur Monacacie, Græcè dicuntur ξιφίδιον. Dioscorid.cap.22.quarti,& Gal.8. de facul. simplic. Paul.lib.7. Radix trahit, discutit,& siccat.

Glaucium est quod dicitur memithe, à Serapione & ab Auicen. Nota tamen duo esse in Serapione capita: alterum de glaucio Græcorum, alterum de chelidonia minori. Dioscor.cap.91.tertij.Galen.6.de fac. simplic. Plin.cap.10.lib.27. Paul.lib.7. Adstringit & manifestè refrigerat.

Glaux nisi sit, vt Ruellius, quòd dicitur vulgò *galenga*, siue *ruta capraria*, quid esset profectò nescirem: valet enim galenga in peste,& ad venena serpẽtum,epilepsiæque, si eius succus ad mediam vnciam bibatur: sed quia galenga lac non facit multiplicare, dicere possem non esse glaucum, vide Dioscorid. cap. 136. quarti, & Galen.6. de

fac.

fac. simplic. Pau. libro 7. Calida & humida temperamento est, vnde lac generat.

Glycyrrhiza, vulgò *regolitia*. Theoph. scitica, cap. 13. libro 9. Et Galenus sexto de facul. simplic. Dioscorides cap. 5. tertij. Plin. cap. 9. lib. 22 Paul. lib. 7. Tepidi humidíque temperamenti, alicuius adstrictionis particeps.

Gramen, ἄγρωστις, multas habet species, sed apud nos duæ tantùm inueniuntur: altera scilicet communis, altera quæ vulgò dicitur *sanguinella, ouer capriola*. Nota tamen non habere proprietatem vllam contra vermes, vt communis erat opinio. Dioscorides cap. 31. & 32. quarti, Galen. sexto de facul. simplic. Plin. cap. 19. lib. 24. Pau. lib. 7. Siccat & modicè refrigerat, tenuis & subacerbæ substantiæ.

Halicacabus est apud Arabes alchechengi, & est species solatri: vide igitur fusiùs de speciebus solatri, cap. de solatro.

Halcyonium, vulgò spuma maris à seplasiariis dicitur, cuius species quinque enumerantur à Dioscor. cap. 90. quinti, Plin. cap. 9. lib. 32. non nisi quatuor species recensuit: ego quum essem Veneriis, vix duas species vidi. Galen. 11. de fac. simpl. quinque etiam memorat. Pau. lib. 7. Abstergit, discutit, acri qualitate præditum.

Har

Harundo quinque ſpecies habet, vt Dioſcorid. ſed Plinius ſpecies 29. enumerat, capite 36. lib. 16. & cap. 11. lib. 24. Vide Theophraſt. cap. 12. lib. 4. & Gal. 7. de fac ſimpli. Dioſcor. cap. 99. lib. 1.

Hedera, κισσὸς, tres habet ſpecies, & omnes cognoſcuntur. Qui maiorem de hedera lectionem cupiũt, legant Theophraſt. cap. 18. lib. tertij. & Plin. cap. 34. libro 16. & Galen. 7. de fac. ſimp. & Dioſco. cap. 171. ſecundi. De hedera terreſtri lege Chamæciſſos. Paul. lib. 7. Hedera contrariis conſtat viribus, adſtringit, refrigerat, acris eſt & calida, aqueæ ſubſtantiæ & tepidæ.

Hedyſaron, eſt herba quæ creſcit inter ephacen, id eſt vitiam, vnde Theophraſtus cap. 8. libro 8. inquit, quòd hediſaron eſt veluti aphacæ peſtis, ſicut lolium tritico. Vocatur etiam ſecuridaca, eo quòd ſemen in ſiliquis contentum ancipiti ſecuri ſimile habeat. Dioſco. cap. 137. tertij. Plinius cap. 17. lib. 18. Pau. lib. 7. Amarum eſt, & leuiter adſtringit.

Heliochryſon, niſi ſit quod à nobis dicitur garyophilum Hiſpanicum, haud ſcio quid ſit: vide Dioſcorid. cap. 55. quarti. Plin. cap. 25 lib. 21. Galen. 6. de facul. ſimplic. ſub nomine amarinthi. Facultatem habet incidentem & extenuantem, vnde grumos

ſang

ſanguinis liquat ac diſſoluit. Pau.lib.7. itidem adſerit.

Heliotropium duplex, maius & minus. Maius apud nos vulgò dicitur *Miraſole*, apud Hetruſcos dicitur verrucaria, & vulgò *herba da porri*, quoniam porros diſſipat. Valet etiam mirabiliter cancris, idcirco dicitur etiam herba cancri: vide Dioſcor. cap. 185. & 186. quarti. Pau. lib. 7. Maius calidam ſiccam & abſtergentem vim habet, Minus verò lumbricos interimit.

Helxine, vulgò *vitriolo*, alij dicunt eſſe ſpeciem inuolucri, quod flores in modum campanæ albos fert. Dioſcorides cap. 37. quarti. Credo ego verè quòd ſit parietaria: vide Galenum ſexto de facult. ſimplic. & Plin. cap. 15. lib. 21. Paul. lib. 7. Vis eſt abſtergendi & leuiter adſtringendi cum humiditate ſubfrigida.

Hemerocallis, eſt lilium ſylueſtre, non autem lilium conuallium, vt volunt nonnulli. Germani vtuntur lilio conualli ad corroborandum cor, cerebrum, & omnia membra ſpiritualia: valet etiam tremori cordis, epilepſiæ, & apoplexiæ, morſibus & puncturis venenoſorum animalium. Dioſc. cap. 128. tertij. Galenus 6. de facul. ſimplic. Paul. lib. 7. Radix viribus lilio reſpondet: vide etiam Plin. cap. 21. lib. 21.

Hem

Hemionitis, herba est apud me incognita, nec est scolopendria illa, quæ dicitur lingua ceruina, quum sit phyllitis apud Dioscoridem capite 143. tertij. Paul. libro 7. Adstringit, & simul amara, lienosis succurrit.

Hiberis duplex, altera Democratis, altera à Paulo & Plinio recitata, quæ habet folia lauro similia. Prima est lepidion Dioscoridis, secunda vocatur piperitis siue piperella, à sapore piperis acuto: vide Dioscoridem capite vltimo primi, & Plin. cap. 8. lib. 19.

Hieracion, id est, lactuca erratica, est herba spinosa similis soncho, id est cicerbitæ, de qua Plin. capite 7. libro 20. Valet cum lacte mixta infirmitatibus oculorum, præsertim cicatricibus, suffusionibus, caligini: cum aqua verò & aceto bibita ventrem purgat: valet cum vino morsui serpentum & vulneribus, si folia cum caule terantur, somnum excitat, Venerem prohiber, refrigerat, & sanguinem auget: vide Dioscoridem cap. 65. & 66. tertij. Plin. cap. 7. lib. 20.

Hippoglosson, vulgò *bis lingua vel bonifacia*, valet præfocationibus vteri, si cochleare eius radicis fumatur. Valet etiam mirabiliter ruptis siue crepatis, si puluerisco coch

Digitized by Google

cochleare cum brodio carnis quotidie sumatur: videntur tamen in primis diebus eorum velle intestina exire, nihilominus postea conglutinantur, idcirco diligenter in primis illis diebus ligentur. Dioscorid. cap. 127. quarti. Plin. cap. 10. lib. 27. Paul. lib. 7. Molliendi virtute pollet.

Hippuris siue equisetum, vulgò *cauda equina*, huius aliud genus asprella dicitur. Valet, vt testatur Galen 6. de fac. simplic. omnibus vulneribus, etiam si nerui essent præcisi. Dioscorid. cap. 44 quarti. Pau. lib. 7. Adstringit, & valenter circa mordacitatem exiccat.

Hordeum, κριθὴ, ex quo paratur prisana. Dioscorides capite 78. secundi. Gale. 7. de facult. simplic. & primo de facultat. alimentorum. Refrigerat & exiccat in primo ordine cum pauxilla adstrictione: itidem Paul. lib. 7.

Hordeum murinum, ζιζάνιον, vulgò lolium syluestre, vbique nascitur ac ipsum frumentum. Dioscorid. cap. 40. quarti. Plin. cap. 25. libro 22.

Hyacinthus, est secundum aliquos id quod vulgo dicitur *cepola selnatica*, nec est ille hyacinthus, de quo fabulantur Poëtæ, ex Aiacis sanguine natus: nam ille producit florem rubeum iridi similem. Dioscor.

cap.

cap.61. quarti. Galen.8. de facult. ſimplic. Paul.libro ſeptimo. Refrigerat in ſecundo, ſiccat in primo, ſemen leuiter abſtergit & adſtringit.

Hydropiper non eſt, vt Ruellius, vulgaris *carnuarola*, ſed potiùs quædam ſpecies perſicariæ, quæ nullam in foliis maculam præ ſe fert: hæc enim ſeruat omnes illas conditiones, quas illi tribuit Dioſcorides cap.150 ſecundi. Galen.8.de facult.ſimplic. Paul.lib.7. Aquaticum piper calidum, ſed piperis modo.

Hyoſcyamus albus & niger non inuenitur, ſed tãtum qui flores flauos profert, vulgò dicitur *iuſquiamo*, *ouer dente cabalino*. Dioſcor.cap.67.quarti. Latinè dicitur apollinaris herba ſiue altercum. Galen.8.de facult.ſimplic Plin.cap.4.lib.25. Paul. lib.7. Eſt ex tertio refrigerantium ordine.

Hypecoon, vulgò ruta ſeluatica. Dioſc. cap.66.quarti. Galen.8 de facult.ſimpl. Plinius cap.11.libro 27. Paulus libro 7. Refrigerat in tertio.

Hypericon, aſcyron, androſemon, & cori, vna & eadem res eſt, & ſi aliqua in foliis, caule, & floribus differentia adſit. Vocatur vulgò perforata, nec eſt ruta ſylueſtris, vt opinatur Braſauola, ſed eſt vera perforata, qua vulgariter vtimur. Dioſcor.

cap.

Digitized by Google

cap.162.& 163.& 164.& 165.Galen.8.de facult.simplic. Plin. cap.8.lib.26.Paul.lib.7. Tertia species calefacit & siccat tenui substantia prædita. De aliis dictum est in Androsemon.

Hyssopus, vulgò etiam *hyssopo* dicitur, aliqui putarunt gratiolam esse hyssopum montanum, sed decipiuntur: nam graciola in locis humidis nascitur,& soluit vẽtrem, educens bilem & pituitã,& vlcera conglutinat. De hyssopo lege Dioscoridẽ. cap.27. tertii. Galen.8.de fac.simp. Calidus & siccus in tertio ordine.

Iaspis, vulgò dicitur *diaspro*: meminit Dioscor.cap.160. lib.6 & Galen.9.de facult. simpl.Paulus lib.7. Confert non continentibus cibum in stomacho.

Indicus lapis, vulgò *endego*, naturalis non habetur:quo verò vtimur,fit ex isatide siue gado. Dioscorid. cap.61. quinti. Plinius cap.6.lib.35. Paul.lib.7. Contra hæmorrhoidas valet

Inula, ἐλένιον, vulgò *enola ouer iola*. Dioscorid.cap.27. primi,& Plin.cap.5.lib.19. & Galen.6.de facultate simplic. Valet pectoris humoribus viscidis, item sciaticis in modum cataplasmatis, & fluxionibus paruis ab humiditatibus factis. Paulus lib.7.Calida est & sicca cum excremen-

titia humiditate.

Ireon ἴρυσμον, modò inter segetes, modò inter herbas nascitur, acuta est ac nasturtium: certè puto quòd res sit similis syrsamo: nascitur vbique cum foliis erucæ, floribus paruis & flauis, à quibus corniculæ quædam, in quibus est semen, proueniunt. Dioscorid. cap. 147. secundi. Plinius duobus in locis 7. & 10. cap. lib. 28. & cap. 25. lib. 22. similiter Galen. 6. de facult simplic. & primo de facultate alimen. Paulus lib. 7. Erisimi semen igneum calefactoriúmque est.

Iris, seplasiariis irios, vulgò *xilio morello*, de hac nullibi iuxta Galen. nisi in Andromachi theriaca, vbi illirica commendatur. Dioscori. cap. 1. primi libri. Et Plin. cap. 7. lib. 21. Paul. lib. 7. Affatim calefacit, extergit, & maturat, tenuis substantiæ, tussi vtilis.

Isatis, vulgò *guado da tingere*: nam colores in sua viuacitate omnes cõseruat. Dioscor. cap. 107. & 108. secundi, Galen. 6. de facult. simp. Paul. lib. 7. Siccandi vires & adstringendi habet.

Isopyron hucusque non vidi, nec qui viderit vel cognouerit adhuc intellexi. Dioscor. cap. 116. quarti. Galen. 6. de fac. simpl. Paul. lib. 7. Abstergit, incidit semen eius.

Iuncus

Iuncus odoratus, χύνος, vulgò *ſquinanto*, prouocat vrinam & menſtrua. Vide Dioſcor. cap. 16. primi. Gal. 8. de fac. ſimp. Plin. cap. 18. lib. 21.

Iuncus, ὀξύχοινος, vulgò *Zuncho*. Dioſco. cap. 50. quarti, & Galen. 8. de facult. ſimpl. duas ſpecies iunci memorat, vt oxyſchenō & oligoſchenon. Paulus lib. 7. Oxyſcheni ſemen ſomnificum eſt, vtriuſque ſemen frixum deſiccat, & fluxus cohibet.

Iuniperus, ἄρκευθος, gummi eius ſandaraca ſiue ſcriptorum vernix eſt, ſandaracam inquam Arabum: nam ſandaraca Dioſcorid. eſt res mineralis, ſimili auri pigmento. Fit ex hoc gummi, & oleo de ſemine lini artificialiter vernix liquida, qua vtuntur pictores ad illuſtrandas picturas: valet combuſtioni ignis & doloribus ac tumoribus hæmorrhoidarum: gummi vero iuniperi valet catarrhis, cohibet menſtrua, fiſtulas exiccat, vermes interficit, & reſolutis neruis confert. Dioſcorid. cap. 89. primi. Galen. 6. de facult. ſimpl. Valet etiam ſciſſuris manuum ac pedum ex frigore factis, & fluxum ſanguinis, & hæmorrhoidarū conſtringit.

Ixia, viſcus eſt radicibus chamæleonis adhærens, quo pennæ ſagittis adglutinantur. Dioſc. cap. 21. lib. 6.

Ixus est viscus quercinus, qui paratur à pueris in capiendis auibus. Dioscorid.cap. 94.tertii.Galen 6.de facult.simpl.Paul.lib. 7.Calefacit cum acrimonia,& humores ex alto elicit.

Lactuca res nota est.Galen.6.de facult. simplic.Frigida & humida, sed nō excessiuè,tollit sitim, & semen eius fluxū spermatis cohibet. Et secundo de facult. aliment. Generat sanguinem,quàm alię herbę,meliorem,sed non omnino laudabilem. Dioſco.cap.125.secundi.

Labrūsca,est vitis sylvestris omnibus cognita. Dioſc.cap.2.quinti. Plin.cap.29.lib. 12.Paul.lib.7.Germina habent vim abstergendi nonnihil & adstringendi.

Ladanum, aromatarii laudanum dicunt, Plin.cap.17.lib.12.& Galen. 7. de fac.simp. Dioſc.cap. 13. primi. Paul.lib. Calidum in secundo,emolliens mediocriter discutiens & maturans.

Lagobus,id est pes leporinus,nisi sit garyophillata, vt Pandectarius: nescio certè quid sit: valet in potionibus pro vulneribus & menstruis & sputo sanguinis,dyenthericis & ramicis per os sumpta, & emplastri modo imposita:est calida & sicca.Dioscorid.cap.19.quarti.Galen.7.de facul.simp.i.Paul.lib.7.Desiccat.

Lauar

Lauaria herba siue radicula, res erat tempore Dioscoridis multùm in vsu, sed apud nos quid sit nescio: valet enim summopere in dealbandis lanis, cuius semen condisi dicitur, quod etiam minimè habetur. Dioscor. cap. 152 secundi. Plin. cap. 3. lib. 19. & Gal. 8. de fac. simp. Calida in quarto quodāmodo ordine, siccáque est.

Lapathum siue rumex, vulgo dicitur *romice*, de quibus plura Dioscor. cap. 106. secundi. Oxylapathon enim & hippolapathon, & oxalida sunt species lapathi: vocatur primum lapathium, acutum: secundum, magnum lapathiū: quod folia rheubarbaro similia habet ex oxalida, quam acetosam, & vulgò herbam bruscam vocāt Plin. cap. 21. lib. 20. & Galen. 7. de facult. simplic. Paul. lib. 7. Oxylapathum discutit, & pauxillum repellit.

Lapsana, res est incognita, sed iuxta Pli. est species brassicæ sylvestris. Dioscor. cap. 107. Plin. cap. 8. lib. 20. Galenus 7. de facult. simplic. Paulus libro 7. Abstergit, discutit.

Lacer siue lacerpitium, vulgò assa, quæ in fœtidam & odoratam diuiditur. Assa fœtida est quæ habetur apud aromarios: odoratus verò lacer, est quod vulgò dicitur *belzoino*. Nota tamen non ha-

beri assam dulcem, nec eius loco sucum glycyrrhizæ poni, sed potius *helxoumo* vocato. Dioscor. cap. 85. tertii. Gal. 8. de facult. simp. Paul. lib. 7 Probè calefacit, extrahit, emollit. Plin. cap 3. lib 19.

Lathyris, est quæ vulgò dicitur *cataputia* siue *cacabarsia* maior, nã minor est ricinus. Dioscor. cap. 171. quarti. Gal. 7. de facul. simpl. Plin. cap. 11. lib. 27. Paul. lib. 7. Purgandi vim obtinet.

Laurus, arbor notissima, olim in pretio habita. Sunt qui velint per se laurũ ignem accendere, dummodo rami simul confricentur & sulphur sursum proiiciatur. Dioscor. cap. 9. primi. Galen. 6. de facult. simp. Paul. lib. 7. Folia siccant & calefaciunt insigniter.

Laurus Alexandrina, siue laureola, & si ruscо & hypoglosso similis sit, imò pro hypoglosso à Fuchsio accipiatur, quum revera non sit, mihi incognita restat. Dioscor. cap. 142. quarti. Galen. 6. de facult. simplic. Paulus lib. 7. Calida, acris & subamara est.

Lemnia terra, est vetus bolus Armenius, orientalis dictus, si bene consideretur Galeni locus lib. 9. de facult. simp. nec est terra illa sigillata, quam tanti faciunt Dioscorid. cap. 67. quinti. Plin. cap. 6. lib.

lib.35.Paulus lib.7.Siccat & adstringit mediocriter.

Lentes siue lenticulę, vulgò dicũtur lenticiæ Dioscor.cap.98.secundi Galen. 8. de facult. simplic.Paul.lib.7.Siccant in secundo ordine, medio caloris & frigiditatis temperamento.

Lens paluſtris, vulgò dicitur Zen vel lenticularia, oritur in aqua. Dioscor. cap. 34. quarti.Gale.8.de facultate simpli iũ. Paul. lib. 7. Humectat & refrigerat in secundo abscessu.

Lentiscus arbor, Græcè χῖνος τὸ δένδρον, est quæ mastichen producit. Dioscorid. cap.77. primi. Galen.8. de facult. simplic. Plin.cap.6.lib 13. Paulus lib.7. Siccat in secundo, medius in calefaciendo & refrigerando.

Lepidum, est piperitis, vt dictum est de Iberide. Dioscorid. cap. 165. secundi. Ruellius, Hermolaus, & Manardus putant, quòd sit Raphanus. Plinius cap.8. lib. 19. Galenus 7. de facultate simplicium. Calefacit in quarto, & est simile nasturtio. Paul.lib. 7. idem refert, sed ipse inquit in tertio.

Lichen, seplasiariis hepatica. Plinius cap. 4.lib.26.duas species cõmemorat: alterã quæ solùm latifolium apud radices habet,

alteram quæ petris adhæret, veluti muſcus. Valet lichenis, id eſt volaticis. Dioſcor. ca. 51. quarti. Galenus 7. de facul. ſimplicium. Paul. lib. 7. Extergendo purgat, mediocriter ſiccat & refrigerat.

Liguſticum, ab aliquibus pro leuiſtico accipitur, ſed ſi litera Dioſcoridis bene ponderetur, non eſt verum liguſticum: vide Dioſcorid. cap. 53. tertii. Galenus 7. de facultate ſimplic. Paulus lib. 7. Excalefaciunt ac probè flatus diſcutiunt ſemen & radix.

Lilium vulgare eſt, quod vulgò *martegone* dicunt. de vulgari Dioſcor. cap. 107. tertii. Galenus 7. de facultate ſimp. Plinius cap. 5. lib. 21. Paul. lib. 7. Flos lilij diſcutiendi ac emolliendi vires habet.

Limoniũ, ſimile eſt betæ ſylueſtri. Plin. cap. 8. lib. 20. Quanuis affirmet Galenus ſe nunquam betã ſylueſtrem vidiſſe. Dioſco. cap. 18. quarti. Gal. 7. de facult. ſimpl.

Lini ſeminis oleum, neruorum & iunƈturarum durities mollit, & eſt mirabile hæmorrhoidibus, ignis combuſtionibus cum aqua roſacea lotum. Sumuntur & in principio morbi lateralis ex eo vnciæ quatuor, & ſanat. Dioſcorides cap. 94. ſecundi. Galenus 7. de facultate ſimplicium. Calidum quaſi in principio, medium inter

ſiccum

ſiccum & humidum.

Lithargyros ex plumbo & ære prouenit, dum argentum & aurum depuratur. Dioſcorides cap. 56. quinti. Plinius cap. 6. lib. 33. & Galenus 9. de facultate ſimplic.

Lithoſpermon, ſeplaſiarii milium ſolis vocant: crederem ego id eſſe quod vulgò dicitur *lacryme da corone*. Miratur Plinius cap. 11. lib. 17. de lithoſpermo. Dioſco. cap. 149. tertii. Paulus lib. 7. Calculos frangit & vrinas elicit.

Lolium, vulgò dicitur *loio*, nec eſt pſeudo melanthium, vt Fuchſius. Gale 6. de facult. ſimp. Dioſcor. cap. 191. ſecundi. Paul. lib. 7. Calidum in primo tertii, & ſiccum in fine ſecundi.

Lotus Aegyptia, vocatur à Serapione handococa, ex cuius ſemine paratur oleum ad dolorem iuncturarum: verùm de vtraq; loto intelligit Serapio. Dioſcor. cap. 109. quarti. Galen. 7. de facult. ſimplic. Plin. cap. 17. lib. 13. & cap 31. lib. 15. Paulus lib. 7. Lotus arbor extenuat & ſiccat, ac mediocriter adſtringit.

Lotus ſatiua, niſi ſit melilotus vulgaris, haud ſcio quid ſit. Lotus ſylueſtris ignota eſt. Dioſcorid. cap. 106. & 107. quarti. Paulus lib. 7. Lotus domeſtica à nonnullis

triphyllon appellatur:abſterſorias vireis & modicè ſiccanteis obtinet.

Lupini, quanuis amari, coctione tamen dulcorantur & comeduntur, maximè domeſtici.Dioſcorid.cap.101.ſecundi, & Galenus 1.de facultate aliment.& 6.de facultate ſimplicium.Paulus lib. 7. Eſculentum obſtruit,amarum abſtergit,diſſipat, & ſine morſu deſiccat,lumbricos occidit,& viſcera purgat.

Lychnis, niſi id ſit quod vulgò dicitur *roſete*,profectò neſcirem quid ſit:nã Plinius cap.4.lib.21. inquit, roſarum ſpeciem eſſe in aquoſis locis naſcentem cum quinque foliis. Dioſcorides cap. 105. & 106. tertii. Galen.7.de facult.ſimpl.

Lycium, aliud eſt quo ſeplaſiatii vtuntur, aliud quod à Dioſcorid.cap.117. primi recitatur. Quod verò in officinis venditur, alii componunt ex baccis liguſtri, alii ex matriſylua, vtriſque ſimul: ſed vti poſſumus pro lycio ſumach. vide Galenum 7. de facultate ſimplicium: nam ex pixiacantha arbore fieri inquit, valens vlceribus oris malignis & ſerpentibus. Plinius cap. 7. lib. 12. & cap.14. lib. 24. Paulus lib. 7. Calefaciendo & refrigerando medium eſt, deſiccat verò in ſecundo abſceſſu.

Lycop

Lycopsis, nisi sit species anchusæ, aut cynoglossa vulgaris, nescio profectò quid sit. Vide Dioscorid. cap. 27. quarti. Plin. cap. 11. lib. 27. Paulus lib. 7. Radix adstrictoria.

Lyncurion, est electrum siue succinum plumas siue paleas trahens, vt refert Dioscor. cap. 73. secundi: vnde pterygoforon dictum: vide de Electro.

Lysimachia, non est cereta, sed alia longè diuersa herba: nam cereta folia lino similia habet, non salici. Dioscorides cap. 3. quarti. Plinius cap. 7. lib. 25. Galen. 7. de facultate simpl.

Macer, siue macis, est cortex nucis Indicæ, vt coniectari possum. Dioscorî. cap. 95. primi. Galenus 8. de facult. simpl. malè interpretatur à Pandectario cortex mali punici. Paul. lib. 7. Inter frigiditatem & calorem medium obtinet, siccat in tertio ordine, & adstringit.

Malabathron, vulgò folium Indicũ, nobis ignotũ, pro quo vtimur cassia vel nardo Indico, vt Galen. in succidaneis. Dioscor. cap. 11. primi. Plinius cap. 27. lib. 12.

Malua, μαλάχη. Dioscor. cap. 109. secundi. Galenus 2. de facultate alimen. Theoph. cap. 5. primi. Plinius cap. 21. lib. 20. Paul. lib. 7. Syluestris mediocriter discutit

& mollit, hortensis verò imbecillior.

Mandragora pluribus in locis Italiæ nascitur. Vanum est credere mandragoræ radices habere formam hominis: verùm propter pomum, quod cum radicibus euellitur formam hominis sine brachiis præ se fert, vnde Pythagoras ἀνθρωπόμορφον appellauit Dioscor. cap. 74. quarti. & Galenus 7. de facultate simpliciũ. Frigidus est in tertio, sed poma eius aliquid caliditatis in se habent. plura habet Serapio in libr. aggre.

Manna, nõ dico thuris, sed solutiuũ est in multiplici differentia, vt referunt Arabes. Duplex est quod ad nos affertur, masticinum scilicet, & bombicinum: masticinũ dictũ, quia simile est grano masticis & est excellentissimum, bombicinum nullius ferè pretij. Calabrensis dictum validius est in foliis, quàm quod in ramis arborum colligitur, vnde vulgò dicitur *manna di foglia*, minutis granis transparens, graue, album, dulce, & suaue. Arabes duas species assignãt, Mannam scilicet & Tereniabim, nec inter se hæ duæ differunt, nisi quòd Tereniabim est liquidius. Vide de manna Galenum 3. de fac. aliment. ad eorum cõfusionem, qui Galenum mannam non cognouisse affirmant, in capite de melle, vbi multa de manna pronuntiat. Est & manna thuris,

ris,& est quidam puluis, vt testatur Dioſc. cap.69.primi: vide de manna Auicen.&Serapionem cap.de tereniabim & memb.

Marrubium, πράσιον, Galenus 8.de fac. ſimpliciũ,& Theoph. cap.2 de hiſto.plant. Dioſcor.cap.110.tertii.Eſt & alterum marrubium nigrum, *bellote* dictum, quod adeò meliſſæ eſt ſimile,vt vix ab ipſa, niſi malus odor adeſſet,agnoſceretur. Dioſcori.capit. 108. tertii. Paulus libro 7. Nigrum eſt, acris & abſterſoriæ facultatis. Praſion verò calefacit in ſecundo, ſiccat, & viſcera laxat.

Marum, niſi ſit quod vulgò dicitur *maiorana fina* haud ſcio quid ſcit:nam bene redolet, vt marum. Vide Galenum de antidotis,capi.de compoſ.hedicroi, & Dioſcoridem cap.44.tertii.

Medica, herba in Hiſpania abundantiſſima,in Italia non habetur, Arabicè *alfaſafat*. Ruellius hanc naſci in Gallia adſerit, vocaríque trifolium maius cap. 136. ſecundi.Plinius cap.16.libr.18. A Medis inuenta dicitur.

Medium, quum nec viderim, nec apud me de eo aliqua ſit imago (in Media enim tantummodò naſcitur) neſcio quid affirmare debeam.Dioſcorides capit.20. quarti.Plinius capit.12.lib.27. Galenus 7.de facult

cultate ſimplicium. Contrariam ſemini eius habet temperiem : nam menſtrua herba conſtringit, quæ ſemen prorſus elicit.

Melilotus, quem etiam ſertulam campanam vocant, affertur ex Neapoli Venetias: quo verò vtuntur ſeplaſiarii, verus non eſt, ſed ſpecies trifolii : ſunt tamen qui dicant melilotum vulgare eſſe lotum. Dioſcorides Plinius capit. 9. libr. 21. Et Galenus 7. de facul. ſimplic. Dioſcorid. cap. 3. tertii, Paulus libr. 7. Diuerſis facultatibus pollet, adſtringendi ſcilicet & diſcutiendi & concoquendi.

Meliſſophyllon, vulgò dicitur *moliſerno ouer cedronella*, cardiacis & triſtibus, vt referunt Arabes, & paſſionibus cordis valet, & aperit oppilationes cerebri. Dioſcorid. capit. 109. tertii. Galenus 7. de facul. ſimplic. Paul. lib. 7. Viribus marrubio reſpondet.

Menta & mentaſtrum excitant Venerem, vt Gale. & Dioſcorid. quanuis contrarium ſentiat Plin. capit. 14. libr. 20. Vide in hoc Galenum 6. de facult. ſimplic. & Dioſcorid. capit 36. & 37. tertii. Vermes etiam interficit. Paul. libro 7. Calida in tertio ordine, tenuis, acris cum humiditate ſemicocta.

Meon etſi multa co; ũ naſcatur in Hiſpania

ſpania, nullibi tamen, quòd ſciam, in Italia habetur: nam quod paſſim oſtenditur pro meo, eſt radix ſapori paſtinacæ ſimilis. Eius vice funguntur myrobalani, vulgò dicti *bendelli profumeri*, vnde etiam ſub nomine nucis vnguentariæ appellantur. Dioſcorides capit. 3. primi. Plin. cap. 23. libro 20. Galen. 7. de facu. ſimplic. Paul. libro 7. Calefacit in tertio ordine, in ſecundo ſiccat.

Mercurialis herba, ob enœmatum vſum notiſſima: vide Plin. cap. 5. libr. 25. Gal. 7. de fac. ſimp. & Dioſcor. capit. 183. quarti. Paul. lib. 7. Aluum liberaliter ſubducit, & illita diſcutit.

Millefolium duo capita habet. Dioſcorid. alterum de ſtratiote millefolia, & alterum de myriophyllo. Sunt qui velint, ſtratiotem eſſe millefolium vulgare noſtrum, quum in myriophyllo vnus tantùm coliculus, & in noſtro vulgari plures inueniuntur. De ſtratiote loquitur Galenus 8. de facultat. ſimplic. & Dioſcorid. capit. 110. quarti, de myriophyllo capit. 100. quarti, & Galenus 7. de facultat. ſimplic. in fine. Plinius capit. 16 libro 24. Paulus libro 7. Vim ſiccandi adeò obtinet, vt conglutinet vulnera.

Mora tam alba quàm nigra cognoſcun-

tur:

tur : habent vim soluendi & constringendi. Dioscorid. capit.147. primi. Galenus 8. de faculta.simplicium.Paul.libro 7. itidem adserit.

Muscus arborum , vulgò dicitur *vsnea* quæ,vt refert Serapio , somnum prouocat, vomitum & fluorem ventris cohibet,& est medicina cordis,vt Auicen. Dioscorid capit. 2 o.primi, Galen.6. de faculta.simplic. Paul. libro 7. Quod cedris adhæret , distrahendi simul & molliendi vim moderatam habet.

Muscus odoratus est res quæ in gazellarum folliculis continetur, recens & immatura , grauis ac pessimi odoris , sed quum maturuerit , tanquam sanies è folliculis egrediens est gratissima ac pretiosissima, calida & sicca in secundo ordine.lege Serapionem lib.aggre.

Muscus marinus est vulgaris corallina, quæ pro enecandis vermibus datur pueris.Gal.6.de fa.simp.Dioscorid.capit.94. quarti,Paul.lib.7. infrigidat & adstringit.

Numia vera non habetur, sed posset parari vera , corpora mortuorum ex aloe, myrrha & croco condirentur, deinde id liquoris ad tempus excerperetur. Valet ita parata doloribus capitis frigidis , paralysi, oris torturæ , vertigini , si extrahatur per

nares

nares cum aqua maioranæ, & doloribus aurium cum oleo violaceo albo. Est calida & sicca in tertio secundum Arabes.

Myos, otis, id est muris auricula, nisi sit quod vulgò dicitur *centone*, haud scio quid sit. Galen. 6. de facul. simpli. Dioscorid. cap. 175. secundi Plin. capit. 12. lib. 27. Pau. lib. 7. Refrigerat & humectat, & vocatur ab ipso alsine.

Myrrha vera non habetur, nisi fortè nostra communis sit, quæ à Dioscor. dicitur caucalis siue ergasine: nam nostra cunctis conditionibus requisitis indiget, quum nec sit viridis, nec crassa, nec acuta, nec odorata, nec colore vnita: quare caueant qui in potionibus ac catapotiis eam imponunt. Dioscorid. cap. 69. primi. Gale. 8. de fac. simp. & in libr. Antid. in compos. Theriacæ. Paul. libro 7. Calefacit in secundo, & siccat. vide etiam Plin cap. 16. & 17. lib. 12.

Myrrhis, herba, nisi sit cicutaria, vt communis est opinio, vel cerefolium, vt Manardus, nescio quid aliud sit. Qui tenent hanc esse angelicam herbam, valde decipiũtur: siquidem angelica cicutæ folia non habet sed potius pastinacæ. Dioscor. cap. 111. quarti. Paul. lib. 7. Calefacit in secundo, & nonnihil extenuat.

Myrthus, μυρσίνη, frigida est & terre-

ſtris. Galen. 7. de fac. ſimp. Quod verò myrtidanum dicunt, eſt quoddam gibboſum veluti adnatum myrtho. Dioſco. cap. 33. primi. Pau. lib. 7. Valentiùs ſiccat.

Naphtha eſt veluti oleum petroleum, vel de monte zibio appellatum: reuera bituminis genus, quod in mari mortuo, quod eſt ſtagnum minoris Syriæ, naſcitur. Calefacit, exiccat, & vulnera recentia conglutinat. Dioſcor. cap. 86. primi.

Napellus Auicennæ niſi ſit toxicon Dioſcoridis, vt putat Manardus, neſcirem profectò, niſi Dioſcoridis capita huc referrem: eſt enim mortiferum venenum Auicennæ, libro 2. Calidum & ſiccum eſt in ſummo.

Napus, *βουνιὰς*, vulgò *Nauon*, ex cuius ſemine oleum in Aegypto extrahitur. Dioſ. cap. 103. lib.

Narciſſus, ſimilis eſt hermodactylo, folia habet porracea, tenuiora tamé & anguſtiora, caulem ſine foliis concauum, in quo candidus flos exiſtit. Dioſcorid. capitu. 155. quarti. Theophraſtus. capit. 6. lib. 6. Plinius capitu. 3. lib 21. Galen. 8. de facul. ſimp Pau. libro 7. Vim habet aliquam attrahendi & abſtergendi.

Nardus eſt, quam ſpicam nardi ſeplaſiarii vocant, & eſt Syriaca ſpica, & non Indica-

dica. Sed mirari satis non possum, quòd si ab vna eadémq; radice multæ ac numerosæ spicæ pullulent (vt inquit Dioscorides) cur non spicas, sed radices esse Galenus dixerit in Andromachi theriaca. Nec satis est dicere montanam spicam non ita oriri, quum ipsa, teste Dioscoride, non nisi bonitate odoris, torosioréq; spica differat. Quare caueat Mathiolus Senensis, quomodo in Manardum alioqui doctissimum tam aperte latret: nam & Galenus in eodem loco iubet in his & aliis Dioscoridē consuli. Pau. libr. 7. Calefacit in primo, siccat in secundo. Vide & Gale 8. de fac. simp. & Plin. cap. 12. lib. 12.

Nardus gallica, vulgò spica Celtica, non habetur apud nos: vide Dioscorid. capit. 7. libr. 1. Quòd verò non sit saliuncula Plinii, non est vt probem. Galen. 8. de facul. simp. Pau. libro 7. Calidior superiori, minúsque adstringit.

Narcapthon, vulgò *tignamo*, ac si diceretur thymiama, quod nihil aliud sonat, quàm suffumigium: vide Dioscor. capi. 22. primi.

Nasturtium, κάρδαμον, vulgò *agretto*, est familiarissima herba, de qua Galen. 7. de fac. simp. loqnitur, calida est. Dioscor. capit. 144. secundi. Paul. libro 7. Semen modo

ſinapis vrit.

Nerion, vulgò dicitur *oleandro*, eſt veluti venenum, vt Galen. 8. de faculta. ſimp. Enecant etiam (inquit Dioſcor. capitu. 80. quarti) flores & folia omnes quadrupedes: valent etiam emplaſtri modo morſibus venenatorum, non autem ſumpta; vt putarunt nonnulli. Plin. capitu. 2. libro 24. Paul. libro 7. Extrinſecus vim habet diſcuſſoriam, & ſi intus aſſumatur, occidit. Dicitur etiam alio nomine rhododaphne.

Nymphea, vulgò *nenupharo*, potentior eſt, quæ radicem albam fert: Vide Gal. 8. de fac. ſimp. Dioſcor. ca. 140. & 139. tertii. Plin. ca. 7. lib. 25 Pau. lib. 7. Vires habet ſine eroſione ſiccas, ventrem reprimit, & genituram arefacit.

Ocra eſt terra gialla, quanquam alij velint eſſe terram rubeam: vide Dioſcor. cap. 6 2. quinti.

Ocymoides, vulgo *baſilico ſaluatico*, Dioſc. cap. 29. lib. 4. inuenitur inter frumenta. Gal. 8. de fac. ſimp. Pau. lib. 7. Radix inutilis, ſemen ſine eroſione ſiccat.

Ocymum, vulgò *baſilico domeſtico*, Dioſcor. cap. 130. ſecundi, & Gal. 2. de fac. alimen. & 8. de fac. ſimp. Calidum in ſecundo ordine cum ſuperfluâ humiditate: itidem

Paul.

Paul.lib.7.adſerit.

Ocymum aquatiquum ἔρινος, vocatur. Dioſcor.cap.30. quarti, & eſt fortè apud Gal. echinum dictum.6.de fac.ſimp.

Oenanthe eſt filipendula, Fuchſi. Theophraſt. cap. 7.lib. 6. & Plin.cap. 24. lib. 21. Dioſc.cap. 126. tertii. Oenanthe etiam accipitur pro flore vitis ſylueſtris, qui inſigniter adſtringit ſtomachum, & aluum firmat, ſed Oenãthe Dioſc. eiicit ſecundinas, ſtillicidio vrinæ & morbo regio medetur. vide Pau.lib.7.

Oloſteon, eſt ſpecies conſolidæ, & non eſt piloſella, vt nonnulli putarunt: nam piloſella eſt herba valde adſtrictoria, ita vt vulnera conglutinet, cohibet flores ventris & ſputum ſanguinis, & fluxus mulierum albos. vide Dioſco. cap.12.quarti. Gal.8.de facul.ſimp.

Olyra, eſt ſpecies zeæ, vulgo ſpelta nominatę, nec eſt ſegala, vt Virgilius Marcellus: nam ex olyra panis dulciſsimus conficitur, & ex ſegala amarus, nec ſiligo eſt ſegala, vt aliqui putarunt, ſed potius ſpecies grani, ex cuius flore panis albiſsimus & optimus olim conficiebatur: quod contrarium omnino accidit noſtræ ſegalæ ſeu ferragini, vt à Plinio vocatur cap. 16. lib. 18. vide Dioſc. de olyra cap.82. ſecundi, &

Gal.1.de fac.alimen.&.8.de fac.simp.

Opium fit ex lacte,quod à papaueris capite destillat,vt Dioscor.cap.63.quarti.Paulus lib.7.tenet,quòd sit frigidum in quarto: nihilominus eius amaritudo non frigidum simpliciter,sed aliquatenus calidum potius affirmaret,quare diligentius res cõsyderetur.vide Gal.7.de fac.simp.vbi de papaueris specie agit.

Opopanax fit ex panacis herculei liquore.vide Dioscoridem capitu.50. tertii, & Galenum 8.de faculta. simplic. calidum in tertio, & siccum in secundo.Mesu. capit.de opo. Pituitam crassam & viscosam in remotis partibus corporis contentam soluit.Paulus libro 7. Mollit etiam & discutit.

Origanum,quo vtimur,vt refert Brasauola,est heracleoticũ,sed iuxta aliorum opinionem,est origanũ syluestre & heracleoticum,& onitis nostro tempore non inueniuntur.Dioscorides capit.29.tertii,Theophrastus ca.2.lib.6.Plin.cap.17.lib.20. Gal. 8 de facul.simpl.Habet vim incidendi,extenuandi,siccandi & calefaciendi in tertio abscessu.

Orminum nisi sit, vt Ruellius, selarea, nescio certè an reperiatur.Dioscо.cap. 126. tertii.Plin.capit. vltimo,libro 22.Galen. in

fine

fine primi, de fac. Alimen. alteram ſpeciem ormini memorat. Pau. libro 7. Marrubio ſimile, calidum, mediocriter ſiccum & abſtergens.

Ornithogalos, quanuis vbique inter ſegetes naſcatur, nondum à me viſa eſt: radices habet quas edunt pueri vt refert Ruellius. Sunt in Veronenſi agro quædam radices dulces, & in ſapore caſtaneis ſimiles quæ thraſſe vocantur. Dioſcori. capitu. 133. ſecundi.

Orobanche non ſolùm orobum ſtrangula, ſed omnes quæ vicinæ ſunt, plantas ſternit, vnde ab aliquibus herba lupa, ab aliis cauda leonis, ab aliis verò herba taurina, eo quòd a bobus comeſta ad coitum eas promouet. Dioſcor. capitu. 131. ſecundi. Theophraſt. 8. de hiſtor. & quinto de cauſis plant. Plin. capitu. vlti libr. 22. Pau. lib. 7. Eſt temperamenti ſicci & frigidi ad primum ordinem.

Oryza, vulgò *riſo*, naſcitur paluſtribus & vliginoſis locis, aluum cõpeſcit: vide Dioſc. cap. 86. ſecundi. Plin. lib. 18. cap. 7. Pau. lib. 7. Vim habet adſtrictoriam.

Oſyris, vulgò *limaria*: vide Dioſc. cap. 138. quarti. Gal, 8. de fac. ſimp. Plin. capitu. 12. lib. 27. Pau. libro 7. Amara eſt, & vires iecoris laxat.

Oxyacantha, Arabis berberi, nec est, si bene huius plãtæ notæ cõsiderentur, quod vulgò dicitur *crespini*. Dios. capi. 107. primi. Gal. 8. de fac. simp. Pau. lib. 7. Fructus ipsius myrthi baccis respondet. Auic. tenet quòd sit frig. & sicca in tertio.

Pæonia fœmina, est notissima, sed mascula non inuenitur. Gale. 6. de facul simpl. Est tenuium partium, sed non nimis calida, imò magis temperata, aut à temperie parũ in calore distans. Dios. cap. 148. tertii. Plin. lib. 25. cap. 4. Pau. lib. 7. Radix acris leuiter, subamara & siccans, cui nonnihil adstrictionis inest.

Paliurus quid sit, re vera nescio: nam omnes antiqui in paliuro discrepant. Theophrast. capitu. 17. libri tertii. & capit. 4. lib. 4. Dioscapit. 113. primi. Plin. cap. 19. lib. 13. & cap. 13. lib. 24. Pau. lib. 7. Adstringit, & semẽ incidit.

Palma, φοίνιξ, res nota est: nam dactylis, quos ipsa fert, libenter vescimur: in quorũ numero ponuntur etiam tamarindi, qui nil aliud sunt quàm dactyli indiani. Dioscapit. 129 primi Galen. 8. de fac. simp. & secundo de fac. alim. Pau. libr. 7. Fructus iam maturus calefacit, reliqua palma valde adstringit.

Panax quum triplex sit, Asclepium scilicet

cet ab Aesculapio, chyronium à Chyrone, & heracleum ab Hercule: etsi aliquibus cognitum dicatur, reuera tamen ego non vidi. Sunt qui pro panace Asclepio monstrãt millefolium vulgare, & pro chyronio inulam campanam: vide tamen Dioscor. capi. 50. & 51. & 52. tertii. Galen. 8. de fac. simpl. Plin. cap. 25. lib. 12. & capitu. 4 lib. 25. Pau. libr. 7. Herculeum calidum in tertio, & siccum in secundo, mollit & discutit: ex hoc fit opopanax Asclepium & chironium: priora sunt calidiora.

Pancration est minor & rotundior scilla: vide Dioscor. capit. 165. secundi. vide etiam de scilla Gale. 8. de fac. simp. Pau. lib. 7. Specie & viribus scillæ simile est.

Panicum omnibus notum. Galen. 6. de facul. simpl. Paul. libro 7. Siccat & refrigerat.

Papauer, μήκων, duplex est, alterum syluestre, quòd flores puniceos, siue rubeos habet, qui vulgo in laterali morbo sicci habentur pro efficaci remedio: alterũ domesticũ quod rursus duplex est, album scilicet & nigrum, quanquam horum à Dioscor. tertia species assignetur: vide Dioscor. cap. 62. & 63. quarti. Gal. 7. de fac. simp.

Papauer cornutum, μήκων κερατίτης, sępius à me visum, sed spumeũ, quod prope ma-

re naſcitur haudquaquam. Theoph. capi. 13. lib 9. Qui dicunt glauciũ ex hoc papauere fieri, quod & *memiſe* Arabes vocant, reuera decipiuntur. Dioſc. cap. 64. & 65 4 Gale. 7. de fac. ſimp Pau. lib 7. Adſt. ingendi vireis habet.

Papyrus in Italia non habetur, vt Theophraſt. cap. 9. libr. 4. & Plin. capitu. 11. lib. 13. ſed tantum in Aegypto. Olim ex papyro chartæ conficiebantur, vnde etiam nomen adhuc retinet. Dioſco. cap. 100 primi Gale. 8. de fac. ſimp. Pau. lib. 7. Siccat, chartę crematæ modo.

Paronychia etſi à multis herbariis cognita, nunquam à me viſa eſt, ſcio tamen folia iuxta radices rotunda habere ſimilia peplo: vide Dioſcorid. capitu. 52. quarti, Galen. 8. de facul. ſimp. Pau. libro 7. Extenuat, ſiccat paronychiis medetur citra eroſionem.

Partenium, vulgò *matricaria ouer amarella*, nomen adhuc ſeruans amaraci, nec eſt ſecunda ſpecies artemiſiæ, vt Braſauola & Fuchſius, nec eſt cotula fœtida, nec helxine, quam parietariam dicunt, vt nonnulli ſunt qui dicant arhanaſiam vulgò *daneda* vocatam, eſſe ſpeciem matricariæ. Dioſ. ca. 146 lib. 3.

Paſtinacæ, σαφυλῖνοι, tam domeſticæ quã

ſylu

sylueſtres, vulgò *paſtonache* dicuntur, nec ſunt carubiæ ſine carotæ, vt Ruellius, quũ non habeant radices ſanguineas, vt carobæ. Decipiuntur etiam qui pro dauci ſemine, ſemen paſtinacæ accipiunt, quum alia res ſit d iucus à paſtinaca Dioſc o. cap. 54. tertii, Galen 8 de facultat. ſimplic. Paul. libro 7. Vrinas & menſes mouet, adſtringendi viribus prædita, ſylueſtris tamen eſt valentior.

Paſtinaca, piſcis eſt qui vulgò dicitur *peſce columbo*, in cauda habet ſpinam acutiſſimam & venenoſiſſimam, vnde Plin. ca. 8. libro 32. Paſtinacæ quoque radio ſcarificare gingiuas & in dentium dolore vtiliſſimum, conteritque is, & cum helleboro albo illitus dentes ſine vexatione extrahit. Dioſcorid. capi. 19. ſecundi, Ex oleo in quo hepar huius piſcis ſit decoctum, ſcabies nõ ſolùm in hominibus, ſed etiam in beluis probè expellitur.

Peplus à Seplaſiariis eſcula rotunda dicitur, & eſt herba lacte plena. Peplus verò quum in maritimis locis naſcatur, nunquã à me viſus eſt. Dioſcorid. capit. 162. & 163. quarti. Gale. 8. de fac. ſimp. Paul. libr. 7. Eius liquor tithymalorum modo purgat.

Peucedanum olim Dioſcoridi familiare, ſed quod pro peucedano monſtratur

non

non est verum peucedanum. optimum in Sardinia oritur. Dioscor. cap. 83. tertii. Gal. 8. de facult. simp. Plin. cap. 9. lib. 25. Paul. lib. 7. Calefacit, discutit, & siccat in tertio ordine.

Phalaris, species lithospermi, maior & minor reperitur. Dioscorid. capitu. 150. tertii. Plinius capite 12. libro 27. Paulus libro 7. Calida est & tenuis, doloribus vesicæ prodest.

Phaselus, vulgò *fasolo*, huius species plures enumerantur coloribus distinctę. Nam aliqui sunt rubri, albi, alii citrini flauíque, & ex diuersis coloribus picti. Dioscorides capite 99. secundi. vide de smillace Auerrhoim. Declinant ad calidum & humidum, impinguant corpus.

Phu Valeriana duplex, maior & minor. Minor autem lanuginosior & breuior est, flores fert albos & purpureos, simul mixtos, multas radices tenues habet. Maior verò similis est oluſatro, caulem habet cubitalem & maiorem, & cætera quæ in Valeriana visuntur, demptis floribus, qui Narcisso non sunt similes: quanquam locum hunc in Dioſco. corruptum putat Ruellius, quod fieri potest quum cætera sint satis manifesta. Dioscor.

cap.

cap.10.primi.Galen.8.de fac.simp.Vim habet nardo similem.

Phycus marinus, φῦκος θαλασσιος, quid sit nescio, algam vertit Theodorus, sed non est alga, quæ Venetiis in seruandis vitris reponitur.Dioscapit.95.quarti.Gale.8.de fac.simp.Plin.cap.23.libr.13.Paul.lib.7.Refrigerat, siccat in secundo, & mediocriter adstringit.

Phyllitis est lingua ceruina, olim pro scolopendria habita,quum reuera nunc sit asplenon siue citrach Arabicè dictum, nec est hemiotitis lingua ceruina, vt Manardus,Leonicenus & Fuchsius & Ruellius adserunt,si locus rectè perpendatur. Dioscor. cap.112.tertii.Galen.8.de facul.simp.Diarrhœam cohibet phyllitis.Paul.lib.7.Acerba qualitate constat.

Phyllyrea non est tilia, vt Hermolaus, Ruellius & Marcellus Florentinus interpretantur: nam tilia, Græcè φύλυρα, & non φυλυρία dicitur. De tilia scripsit Theophrast. capit.10.libr.4. cuius cortex modo emplastri recentia vulnera conglutinat, & folia eius trita inflammationes pedum resoluunt, & facit capillos renasci, prohibens etiam eorum profluuium. Phyllyrea arbor, ignota est nostro tempore: vide Dioscorid.capit.110.primi.Paul.

lib.

lib.7.Tiliæ folia adstringunt, iccirco vlceribus oris medentur.

Phyllon, vulgò *folio*, nisi sit persicaria maior, vt Ruellius: nescio profectò quid sit: vide Dioscor.capit.131.ter.Nullibi à Gal. nec à Paulò mentio habita est.

Pityusa à seplasiariis Esula maior vocatur, cuius radices ab iis qui à monte Gargano siue sancti Angeli veniunt,pro turbit venduntur, à peritis tamen medicis negle-ctæ:hæc verò Esula maior alcebram & scebram à Mesue nominatur, cuius rei fidem facit Serapio cap.de screbam:vide Dioscor. cap.160.lib.4.

Plantago, ἀρνόγλωσσον, maior & minor inuenitur: quanquam non desint, qui lanceolam herbam esse plantaginis affirmant. Maior constat septem neruis, media quinque, minor tribus: habent facultatem aqueam,frigidam, cum aliquali austeritate, vt Gal.6.de facul.simp.Dioscori.cap.115 secundi.Paul.libr.7.Refrigerat & desiccat in secundo, temperata ex aquea & terrestri substantia.

Platanus in Italia, vt refert Theophrast. non nascitur,vide tamen Dioscor.de eius viribus,cap.92.primi.Plinium capit.7.lib.15. & Galen.8.de facu.simpli.Exiccat & infrigidat, à latis foliis dicta est quæ habet in-

star

ſtar fici folia. Paul. libr. 7. Frigidiore & humidiore vi conſtat.

Polemonia, niſi ſit galego, ſiue gearcha dicta, vt refert Braſauola, neſcio quid ſit. nō habet tamen in ſummitate corymbos, vt refert Dioſc. cap. 9. quarti. vide Galen. 8. de facul. ſimp. & Plin. cap. 6. libr. 25.

Polium ſunt qui pluries vidiſſe affirmēt, ſcio ego in hoc ſeplaſiarios decipi: nā herbam pro polio oſtendunt, quę caules valde tenues & lino ſimles, ſeminibus rotundis onuſtos habet, quæ polium reuera non eſt. vide Plin. cap. 7. libr. 21. & Theoph. capi. 21. lib. 9. Gal. 8. de fac. ſimp. & Dioſc. capit. 115. tertii. Paul. libr. 7. tertii. Calefacientium & ſiccantium ordinis eſt.

Poligonon, herba ſanguinalis, tam maſcula quàm fœmina omnibus nota, vulgò corrigiola ſiue centinodia dicitur. Dioſco. capit. 4. & 5. lib. 4. Plin. capit. 12. lib. 27. Gale. 8. de facult. ſimp. Paul. lib. 7. Habet vim adſtringendi, frigida & humida in ſecundo ordine.

Polligonaton, vulgo *fraſinella* ſiue *ginochiella*, cuius radicibus mulieres ad fucum vtuntur: ab aliquibus etiam vocatur ſigillum ſanctæ Mariæ, & ſigillum Salomonis. Manardus in hoc deceptus eſt, credens poligonatum eſſe ſecacul

Arab

Arabum: nam Serapio scribens de secacul, nihil refert quod ad polygonatum attineat. Galenus 8. de facultate simplicium. Dioscorides capite. 6. libr. 4. Paul. libr. 7. Variæ facultatis est, adstrictoriæ, acris & amaræ.

Polipodium, inquit Actuarius, purgat bilem nigram & pituitam. Manardus, soluit sine molestia. Mesues, extenuat corpora, quod & Galen. 8. de facultate simpli. valenter exiccare inquit sine mordacitate. Dioscorid. capit. 179. quarti, Plinius cap. 8. libr. 26. Paulus libr. 7. Siccat abundè citra morsum.

Pompholyx, qua vtuntur seplasiarii est potius cadmia: quòd verò tucia non sit, apparet, quum tucia vera, leuissimus quidam puluis sit, non autem vt lapis ac nostra videtur. Quare apud pharmacopolas nō inueniri tuciam nunc affirmarem, nisi aliam habere fortè inuestigauerint. vide Dioscor. cap. 43. quinti: nec ausus est aliquis, quòd sciam, hanc in capatotiis siue pharmacis, quæ per os deglutiuntur, tuciam imponere. Galen. 9. de fac. simp. Plin. cap. 13. libr. 34. Paul. libr. 7. Siccat sine erosione.

Populus, ἄγνος, tam alba quàm nigra, nota est omnibus, vulgò ab Hetruscis dicitur *oppi*, à Longobardis *Piope*, ex

quib

quibus fabulantur electrum oriri, sed reuera ab insula quapiam olim Austrauia dicta, à quibusdam arboribus nostro pino similibus effluit, & ad Germaniam per maris inundationem aliquãdo perfertur. Hoc vulgò dicitur à seplasiariis charabe. nec est gummi populi, vt nõnulli retulerunt. Dioscorid. cap. 94. & 98. primi Plin. cap. 24. lib. 16. Paul. libr. 7. Nigra calefacit in primo, modicè siccat, tenuis substantiæ: alba aquosa est, tepida terrestríque substantiæ & absterſoria.

Porrum capitatum dictũ, quod in tempore transplantationis, si folia & radices porris incidantur, & aliquid quod illud descendere prohibeat, in plantando subterponatur, facilè capitatum euadat. Dioscor. cap. 38. lib. 2. De porro verò agresti, lege Ampelopraſon. Paul. lib. 7. Mali succi est & acris, extenuat & abstergit.

Portulaca, ἀνδράχνη, vulgò *porcellana*, Galen. 6. de facult. simplic. Frigida in tertio, & humida in secundo, bilioſos ac calidos humores cohibet, &, vt refert Plin. cap. 21. libr. 20. rupturas vmbilici constringit. Dioscor. cap 113. secundi. Paul. lib. 7. Refrigerat in tertio, humectat in secundo.

Potamogeton, vulgò beta aquatica, na-

scitur in lacustribus & aquosis locis, pruritibus ac vetustis & depascentibus vlceribus prodest. Dioscor. cap. 96. quarti. Gal. 8. de facul. simplic. Paul. lib. 7. Refrigerat & adstringit.

Psylii, semen, vt refert Gale. 8. de facult. simpli. frigidum est in secundo, humectat & desiccat mediocriter. Plin. cap. 9. lib. 25. Dioscor. cap. 68. lib. 4.

Ptarmice, vulgò *oliuella*, ea plerique pro scopis vtuntur, & dicitur ptarmice, eo quòd odorata planta statim sternutamenta irritet. Dioscor. cap. 151. secundi. Galen. 8. de fac. simplic. Viridis, calida, & sicca in secundo: siccata verò in tertio ordine.

Pulegium omnibus notum, inuenitur masculum cum floribus albis, & fœmellum cum floribus purpureis. Qui dicunt speciem calamenti esse id quod in vsu est, valde decipiuntur, siquidem calamenti species per se omnes inueniuntur. Dioscor. cap. 31. tertii. Gal. 6. de facul. simp. Plin. cap. 14. lib. 20. Extenuat, calefacit, concoctionésq; adiuuat, vt Gal.

Pumex, est lapis combustus ex monte Aetnę, vel Vesuuino monte Campanię, qui si iterum comburatur, non erit smyra inferior. Dioscor. cap. 79. quinti, & Galen. 9. de facult. simplic. Habet vim exiccandi, &

abst

abſtergendi.

Pyrethrum ſua radice notiſſimum, habet folia veluti daucus & fœniculus agreſtis. Dioſc. cap. 78. tertii. Gal. 8. de fac. ſimpl. Facultas eius eſt cauſtica.

Pyrites lapis, vulgò Marchesita, probatur qui eſt aëri ſimilis. Dioſc. cap. 96. quinti. Galen. 9. de fac. ſimpl. Paul. libr. 7. Validè diſcutit tumores, ſanguinémque in grumo concretum.

Quercus, δρῦς, connumeratur inter arbores glandiferas, ſicuti etiam Elix, Fagus, Cerrus, Suber, Farnia, Iſchia: vide Dioſcor. cap. 126. primi. Galen. 6. de fac. ſimpl. Paul. lib. 7. Folia ac fructus ſiccant, ac tepida vi pollent.

Quinquefolium, πεντάφυλλον, maius folia mentæ ſimilia habet, & florem in pallido candidum. ſecunda ſpecies à prima tantùm in colore differt: tertia per terram ſerpit: quarta folia ſimilia viti tenet, ab aliquibus diapēſia, vel ſanicula dicitur: vide Dioſc. cap. 40. quarti. Gal. 8. de fac. ſimp. Radix eius exiccat in tertio, nec euidentem habet caliditatem. Plin. cap 9 lib. 25.

Radix, ῥάφανος, vulgò *Rauanello*. Galen. 8. de fac. ſimp Calida eſt in tertio, & ſicca in ſecundo. Dioſcor. cap. 104. lib 2.

Radicula ſiue herba lanaria ſicuti tem-

pore Dioſco. cognita, ita nunc maximè reſtat incognita. Dioſco. ca. 153. ſecundi. Gal. 8. de fac. ſimp. Paul. libr. 7. Calefacit in tertio, ſiccat in ſecundo.

Ranunculus βατράχιον, eſt apium raninum, cuius ſpecies quatuor enumerantur: ſcilicet apium, quod eſt pes columbinus, pes paipi, pes milui, & apium riſus, quod herba ſardonia aliàs appellatur; vnde Virgilius,

Imò ega ſardonijs videar tibi amarior herbis.

Hæc ſi ab homine deuoretur, ita interficit, vt contractis neruis inſtar ridentis moriens videatur. Dioſco. cap. 166. ſecũdi. Plin. cap. vlt. lib. 25. Paul. lib. 7. Omnia genera ſunt excellenter calida, ſicca, acria, vrentia.

Rheubarbarum, vulgò *rheubarbaro*, cognoſcitur differẽter ab omni rhapontico, de quo ſatis amplè tractauit Meſues.

Rhamnus, vulgò dicitur *ſpincerumo*, aut id quod Hetruſci dicunt *marucho*. Dioſco. ca. 104. primi. Gal. 8. de fac. ſimp. Exiccat & digerit in ſecundo. Plin. cap. 14. lib. 24.

Rhaponticum, Dioſco. cap. 2. tertii. Paul. cap. 12. lib. 27. Galen. 8. de facul. ſimp. Paul. lib. 7. compoſitum ex terreſtri frigida & tenui ſubſtantia, aëreáque, calida, & leuiter acri.

Rho

Rhodia radix, nisi sit quæ garyophillata dicitur, certè nescio si vnquam viderim: hoc scio eam rosas, vnde nomen accepit, redolere, vide Dioscoc.cap 43.quarti Gal.8. de fac.simpl.Paul.lib.7. Calefacit in secundo, tenui & discutiente vi prædita.

Rhu obsoniorum, vulgò dicitur *sumacho*: in condendis enim cibis antiqui hoc loco salis vtebantur, quod etiam nunc in Syria & Aegypto obseruatur. Dioscor.capi. 128.primi.Gale.8.de facul simp.Paul.libr.7. Constringit & exiccat in tertio, detergit in secundo.

Ricinus, frutex vulgò *mirasole* dictus, est ricinus ab animale reciño, vulgò *zecca*, quæ in equis & canibus sæpe visitur, quan quam heliotropios sit mirasole, dicitur à seplasiariiis cherua maior, & à Mes. granum regis. Galc.7.de facul.simpl. Dioscor. 158.quarti.Paul. lib. 7. Purgat, abstergit & digerit.

Rosmarinum, λιβανωτὶς, habet duas species, quæ à me nondum visæ sunt: rosmarinum coronarium ex quo passim vtimur, & vulgare nostrum. Dioscor.cap.79 & 80. tertii. Galen. 7. de facul. simp. Habet vim incidendi & abstergendi. Plin. capit. 11. lib.24.

Roſę, excellentiores sunt rubrę, post has

purpureæ, demum albæ. Componuntur ex diuersis substantiis, vt Galen. Putarem ego earum infusionem potiorem fieri, si ex Damascenis rosis pararetur. Dioscor. cap. 115. primi. Gal. 8. de fac. simp. Paul. lib. 7. Iuxta constant substantia, aquosa scilicet calida, adstringenti & amara: flos autem magis adstringit & dessiccat.

Rubus caninus, κυνόσβατος, non est rosa syluestris, vt nõnulli putarunt, teste Theophrasto, qui diuersa capita agit: nam de cynosbato loquitur cap. 18. tertii, & de rosa canina cap. 6. lib. 6. Dioscor. cap. 108. primi. Galen. 7. de facult. simp. Fructus astrictorius, &c.

Rubia, ἐρυθρόδανον, omnibus nota, cuius caulibus & foliis ob suam asperitatẽ vtuntur fœminæ ad illustrandum stannum. Dioscor. cap. 151. tertii. Gal. 6. de facult. simpl. Paul. libr. 7. Radix acerba & amara ita iecur & renes purgat vt sanguinẽ & menses euocet.

Ruscus, ὀξυμυρσίνη, apud seplasiarios bruscus, herba spinosa, similis myrtho, quam & syluestrem myrthum dicunt: eius germina in acetariis comesta, valẽter vrinam prouocant, & obstructiones aperiunt. Dioscorid. cap. 141. lib. 4.

Ruta, πήγανον, duplex est syluestris mon-

tana,

tana, & satiua hortensis, & ambæ species cognoscuntur. Gal. 8. de facult. simp. Calida in quarto est sylvestris, & satiua in tertio. Contra fascinationes eam commendauit Aristoteles in suis problematis. Dioscor. cap. 47. tertii.

Ruta sylvestris, πήγανον ἄγριον, hanc *harmel* Arabes vocant, ex Cappadocia & Galathia affertur, nimirum nostris partibus non habetur. Qui verò pro harmel, semen cicutæ accipiunt, valde decipiuntur. Volunt aliqui geargam esse rutæ speciem, vulgò *galega* dictam, cui attribuunt in peste & contra venena miram quandam virtutem. vide. Dioscoridem ca. 48. tertii. Gal. 7. de facul. simpl. vocat eam *moly*.

Sabina, βάρυλον, tam quæ similis est cupresso, quàm quæ Tamarisco cognoscitur. Dioscor. cap. 89 primi, Gal. 6. de facult. simp. Plin. cap. 11. libr. 24. Paul. lib. 7. Calefacit & siccat in tertio.

Saccharum Dioscoridis & Galeni nonnulli esse ex eodem liquore quo nostrum affirmant, nec à nostro differre dicunt, niti arte & natura: alii verò longè à nostro differentem existimant, nec eodem liquore confici, sed veluti ex rore factum credunt. Dioscorid. cap. 74. ad finem lib. 2.

Gal.cap.de melle. Paul.lib.7.cap.de melle. Sachar minus dulce noſtro, ſed ęquales vires obtinet, nec nocet ſtomacho, nec ſitim efficit.

Sagapenum, vulgò *ſerapino*, liquor eſt ferulaceæ herbæ : electiſſimum habetur Venetiis, potentius eſt orientale. De eius viribus vide Meſuen & Dioſcor.cap. 86. tertii. Gale.8. de fac.ſimp. Suffuſioni oculorũ & debilitati viſus valet. Pau.lib.7. Calidum & tenue, cui abſterſoria vis ineſt.

Salix, arbor, ἰτέα: eius ſpecies tres recitantur à Theophr. & Plin. de tribus ſuccis eius mentionem facit, ſcilicet de gummi, & de eo qui fit inciſo eius cortice, & de eo qui inciſis ramis tempore autumnali per ſe deſtillat : habent enim vim exterendi quæcunque claritati oculorum officiunt. Plin.cap.38.lib.16. Gal.6.de fac.ſimp. Paul. lib.7. Folia & flores ſiccant citra roſionem, & nonnihil adſtringunt.

Saluia, ἀλειλίτφακος, ab Agrippa herba ſacra vocabatur, eius ſuccus bibitus facit quæ ſteriles ſunt mulieres, prolificas; & cõfert ſputo ſanguinis, vide tamen de his Aetium & Dioſcoridem cap.35.tertii. Gale.6. de facult.ſimpl. Plin.cap.6. libr.26. inquit, quòd ſuccus foliorum capillos generat. Paul.libr.7. Euidenter calefacit, & leuiter

adſtrin

adstringit.

Sambucus & ebulus, ἀκτή, succus corticum radicum hydropicis succurrit, & semen ebuli in decocto iuæ, dolores iunctu-rarum, podagræ, & morbi Gallici tollit: succus etiam eius in sole exiccatus, & in clysteribus iniectus, sciaticis medetur: fomentum etiã ex eorum radicibus factum tumores pedum, qui ex longo morbo prouenerunt, optimè resoluit. Discor. cap. 168. quarti. Galen. 6 de facult. simpl. Exiccat & conglutinat. Plin. cap. 8. libr. 24. Paul. libr. 8. Desiccat, modicè digerit, & conglutinat.

Sampsuchum, vulgò *maiorana*, nec miretur quispiam, si per diuersa capita mentio fiat à Galen. & à Dioscor. de sampsucho & amaraco: nam hoc fieri potuit, vt rem melius exprimeret Dioscorid. nam in Galeno creditur in eo textu esse menda, vbi pro amaraco legi debeat maro, & non amaraco. Dioscorides cap. 4. tertii. Galen. 8. de facult. simp. Paul. lib. 7. Calefacit & siccat in tertio, tenuis ac discussoriæ naturæ.

Sandaracha non est vernix, vt aliqui putarunt, quum vernix sit gummi iuniperi: sed est potius res mineralis, quæ ab auri pigmento non differt, nisi in coctura: nam si

quis diu auri pigmentum coxerit, facile illud in sandaracham conuerti efficiet, nec arsenicum chrystallinum ex auri pigmento per sublimationem paratur, vt nonnulli crediderunt, sed potius est res mineralis per se oriens. Verùm quod vulgò dicitur *risagalum*, ex arsenici & auri pigmenti pari potione per sublimationem bene conficitur. Vide Dioscorid. de sandaracha. cap. 76. quinti. & Galen. 9. de facult. simp. & Paulum libr. 7. Adurentis est facultatis.

Sarcocolla, est gummi cuiusdam in Perside arboris, mirè cõglutinat recentia vulnera, & vlcera antiqua mundificat, glutinat, & carnem inducit, & est mirabilis in oculorum distillationibus. Optima cognoscitur, si sit amara & alba, valet etiam vlceribus aurium, si in melicrato bombix intinguatur: deinde pulueri sarcocollę inuolutus auri imponatur. Dioscor. cap. 90. tertii Galen 8. de facul. simpl. Plin. cap. 11. lib. 13. Paul. libr. 7. Siccandi ac opplendi vires habet.

Satyrion non habetur nostris temporibus, sed eius loco testiculi canis: nec Satyrion habet duas radices, vt putarunt nonnulli, sed vnam tantùm bulbosam pomo similem. Plures sunt deinde testiculorum

canis

canis ſpecies, inter quæ palma chriſti repo nitur. Dioſc. cap. 134. & 135. tertii. Gale. 8. de facult. ſimp. Paul. libro 7. Calidi & humidi temperamenti eſt, vnde Veneris appetentiam facit.

Saxifraga, vulgò *ſaxifragia*, vulgaris herba eſt, in frangendis lapidibus, & in prouocanda vrina ſummopere commendatur. Dioſcor. cap. 17. primi, & Paul. libr. 7. Vrinam mouet, & calculos conterit.

Scammonia, vera & optima erat quæ ex Myſia Aſię olim afferebatur, ſed quę à Dioſcoride reprobatur, in Iudęa & Syria oriẽs, tantummodò nunc in vſu eſt, nec vera ſic alacriter ſoluit ac noſtra: nam olim drachma ſcãmoniæ cum duobus granis hellebori pro doſi tribuebatur, ſed noſtra ſi ad pondus decem vel quindecim granorum exhibeatur, adeò ventrẽ exonerat, vt etiam quàm maximè ſupérque euacuet. Dioſ. ca. 165. quarti. Plin. cap. 8. libr. 26. Paul. libro 7. Calefacit, digerit, & bilioſa extergit, magíſque eius liquor.

Scilla, vulgò deflexa voce à ſeplaſiariis dicitur *ſquilla*: aiunt minutim inciſam, & in vaſe vitreo melle pleno per totam æſtatem Soli expoſitam, deinde colatam, præſentaneum eſſe remedium epilepticis. Galen. 8. de facul. ſimplic. Incidit ſcilla, ſed

non

non adeò calida, vt ſecundum gradum tranſcendat. Dioſcorides capi. 102. ſecundi. Paulus libr. 7, Incidit & calefacit, & deſiccat in ſecundo ordine.

Scordion verum nunc inuenitur, ſimile chamædrio, differens tamẽ odore allii. Cretenſe à Galen. in lib. antid. laudatur. Et 8. de facult. ſimp. Componuntur ex diuerſis ſubſtantiis, conſolidat omnia viſcera, ruptis & ſpaſmo cõfert, valet doloribus lateris modo emplaſtri, & recentia vulnera ac vlcera conglutinat. Dioſcorid. capi. 116. tertii. Paulus, Variis conſtat facultatibus, quum amarum, acerbum, & acre ſit: purgat igitur & calefacit.

Sedum, ἀείζωον vulgò *ſempre viuo* dicitur, cuius ſpecies tres numerantur à Dioſc. capit. 85. & 86. quarti. Maius vulgò dicitur orchiella, minus dicitur vermicularis vel pignola, & eſt maſcula & femella. Galen. 6. de facultate ſimplic. Frigida in tertio mediocriter adſtringit, & ſiccat leuiter. Plin. capit. 2. lib. 25.

Senecio, ἱερακίον vulgò ſpelicioſa, coliculus quodammodo rubens, foliis longis & inciſis veluti in eruca viſitur flores lutei citò in pappos deſinenteis. Galen. 6. de facultate ſimplic. Dioſcorides cap. 92. quarti. Nonnulli eſſe carduum benedictum affir-

mant.

mãt. Paulus lib. 7. Mixtas habet vireis, refrigerat enim & modicè discutit.

Serpyllum, Dioscorid. capit. 41. tertii. Galen. 6. de facult. simplic. Plin. cap. 22. lib. 20. Paul. lib. 7. adeò calefacit, vt vrinam & menses moueat.

Sesamum, est simile milio, sed aliquantulo crassius, & altius folia fert rubra cum flore viridi, & producit in siliquis semen veluti papauer. Dioscorid. capi 90. secundi. Galen. 8. de facul. simp. Plin capit. 10 lib. 18. Paul. lib. 7. Mediocriter calefacit, mollit & opplet. Auerrh. quinto collig. Calidum in primo, humidum in tertio.

Seseli, Arabicè si'eleos, notum est præsertim Massilienſe: validissimè vrinam prouocat, & epilepsiæ ac spirandi difficultati medetur. Creditur à ceruis inuẽtum: nam à partu id statim comedunt, vt denuò concipiant, sicut refert Arist. 9. de natura animalium, capit. 5. Dioscorid. cap. 55. tertii, & Galen. 8. de facult. simpl. libr. Plin. capit. 5. libr. 20. Paul. libr. 7. Calefacit, tenuisque substantiæ est.

Sideritis, non est herba Iudaica, vt Ruellius: nam herba Iudaica est quam virgam auream appellamus. Hæc caulem fert rubrum ad duorum cubitorum altitudinem cum foliis modo oliuæ circumcirca incisis

&

& floribus in ſummitate aureis, vulneribus & fiſtulis mirè confert, ſimiliter in frangendo lapide, vt Arnaldus de villa noua. Dioſcorid. capit. 33. quarti. Galenus 8. de facultate ſimplicium. Paul. lib. 7 adſtringit.

Sinapi triplex eſt: ſylueſtre, quod ſemen habet paruum: commune, folia habet rapo ſimilia: tertium, vulgò dicitur *Rugetta*, album ſemen ferens, & eo vtimur in ſeruanda vinorum dulcedine. Dioſcorid. cap. 143. libr. 2. Galenus 8. de facultate ſimplicium. Plin. capit. 8. lib. 19. Auicen. libr. 2. Calida & ſicca in quarto.

Siſer, propemodum ſimile eſt paſtinacis domeſticis, naſcitur in Germania, & vocatur rapa citrina. vide Plinium capit. 5. libro 19. Dioſcoridem ca. 106. ſecundi. Galenum 8. de facultate ſimplicium. Paulum libr. 7. Calidum in tertio ordine. Radix cocta ſtomacho vtilis, vrinam cit, ſemen tenue & diſcuſſorium, cum vino valet ſingului.

Siſymbrium, eſt ſeplaſiariorum balſamita, vulgò menta Romana vel menta Florentina. Siſymbrium verò aquaticum eſt id quod vulgò dicitur *creſcione*. Dioſcorides capit. 117. ſecundi. Theophraſt. capit. 7. libro 6. & capit. 8. libro 5. de plantag. cauſ. & Plinius capit. 10. lib. 19. Galen. 8. de facultate ſimplicium. Paulus libro ſeptimo. Ca-

leſa-

lefacit ſiccátque in primo, humidum in ſecundo abſceſſu.

Sion, non eſt quod vulgò dicitur *creſcione*, ſed aliud: verùm vnum abſque altero rarò inuenitur. Sion habet folia lata oluſatro ſimilia, ſed creſcionus habet quales in eruca viſuntur. Dioſcorides cap. 116. ſecundi. Plin. confundit vtrunque ſion; id eſt ſion verum & ſiſymbrium aquaticum, vt apparet cap. 22. lib. 22. Galen. 8. de facult. ſimplic. Paul. libro 7. Calidum eſt, vrinam citat, diſcutit, & renum calculos frangit.

Smilax aſpera & lenis: inuenitur aſpera, quæ folia habet periclymeno ſimilia, arboribus aduoluitur, & habet innumeras viticulas ſpinoſas cum fructu vuæ, racemi modo rubenti: lenis verò hederæ folia habet ſimilia, & viticulas ſimiles antedictæ, ſed non ſpinoſas, vulgò *viluchio*, & à ſeplaſiariis volubilis dicitur, flores habet orbiculatos veluti campana. Theophraſt. capit. vlti. tertii. Dioſcorid. capi. 139. & 140. quarti. Gal. non ſmilacem, ſed milacem vocat. 7. de facultate ſimplicium. Plin. ca. 2. lib. 16. & cap. 10. libr. 24.

Smilax, arbor, vulgò deflexa voce à taxo ſic à Romanis appellata, *Naſſo* dicitur. Vide Dioſcorid. cap. 78. libro quarto. Caue tamẽ ab huius fructibus, quoniã interficiũt.

Plutar

Plutarchus inquit, quòd ſola vmbra interficit, ſed de ea tu intellige, quæ in Carbonia naſcitur. Paul. libr. 7. Eſt viroſæ virtutis.

Similax hortenſis, ſunt qui eſſe exiſtimẽt phaſelum rubeum, qui vulgò *faſolo turcheſco* appellatur. Manardus tenet, quòd ſit Galeni dolicus, & vulgò quòd dicitur *rouiglione*: ſed credo illum decipi, quoniam quod dicimus *rouiglione*, Galen. & Paul. non dolicum vocant, ſed potius ocrum. Dioſc. cap. 135. lib. 2. Galen. 1. de facult. alimen.

Smyrnium vulgò dicitur *Macerone*, nec eſt imperatoria, vt nonnulli, quę commendatur in omnibus frigidis ægritudinibus, ſicut in doloribus colicis & ſtomachi, menſtrua prouocat & vrinam, dolores dentium tollit, & cum vino ſtrangulatui vuluæ medetur, cerebrum maſticata purgat, & eius puluis ad epilepſiam, ſpaſmum, paralyſim, & ad febrem quartanam ante eius paroxyſmum per horam vtiliter cum vino bibitur: valet in peſte, & ad omnia venena: ſpiritum reficere, & membra ſenſuum roborare poteſt: datur inſuper aſthmaticis, ictericis, hydropicis & lienoſis. Dioſcorid. capit. 72. tertii. Galen. 8. de facultate ſimplicium. Plinius capit. vltimo libro. 19. Paulus libro 7. Calefacit & ſiccat in tertio ordine.

Solan

Solanum, στρύχνον, vulgò *solatro*, cuius ſpecies à Dioſcorid. quatuor enumerantur, hortenſe. halicacabum, ſomnificum, & furioſum. Hortenſe & halicacabum nunc paſſim cognoſcuntur: nam halicacabum eſt id quod Arabes voce parũ deflexa Alchachengi dicunt. Plures etiam ſpecies inueniri dicuntur, ſed de his quaſi per ſomnium loquũtur authores. Vide Dioſcoridem ca. 69. 70. 71. & 72. lib. 4. Galenum 8. de facultate ſimpli. Plinium cap. 31. libr. 21. Paul. lib 7. Hortenſe & Halicacabum adſtringunt, & in ſecundo ordine refrigerant.

Sonchos, ſunt qui ſcariolam eſſe dicunt, Scio apud Hetruſcos vocari *Circebita*. Dioſcorides cap. 120 2. Galen. 8. de faculta. ſimplicium, Paulus. lib. 7. Adſtringit & manifeſtè refrigerat.

Sparganium hucuſque non vidi, etſi ab aliquibus reperta eſſe dicatur: hoc ſcio, non eſſe ſpatulam fœtidam, vt Ruellius, ex cuius ſucco ſanantur ſcabies & volatica. Dioſcorides capitu. 23. 4. Galen. 8 de facultate ſimplicium Paulus libro 7. Siccandi vireis habet. Plin. cap. 9. lib. 25.

Spina alba, λευκάνθα, vulgo *hedeguar* ſicu i Arabicè. Sunt qui pro ſpina alba accipiunt carduum benedictũ, alii carduum carlinam dictum, aſii alium carduum. Ad-

uerte tamen bedeguar tãtùm naſci in montibus & ſyluoſis locis. Dioſcorid. capitu. 12. 3. Gale 6. de faculta. ſimplicium. Radix deſiccat & modicè adſtringit, ſemẽ eſt tenuis eſſentiæ & calidæ facultatis.

Spina Arabica, eſt ſimilis albæ. Ego eam non vidi: hoc ſcio non eã eſſe, vt Ruellius putat, ſpinam arboris acatiæ. Dioſc cap. 73. 3. Galen. 6. de facultate ſimpli. Validius adſtringit & deſiccat.

Spondylion audiui ab aliquibus eſſe inuentum: valet epilepſiæ eius fructus & orthopnœę. Vide Dioſc. cap. 81. 3. Gale. 8. de facultate ſimplici. Paul. lib. 7. Conſtat virtute acri & diſcuſſoria.

Stachys, niſi ſit marrubium album, neſcio quid ſit. Dioſc. cap. 3. 3. Gale. 8. de facultate ſimplicium. Plin. capitu. 15. lib. 24. Paul. libro 7. 3. In calefaciendo tertium ordinem occupat.

Stacte, eſt ſtyrax liquida. Dioſcorid. capitulo. 64. 1.

Staphys agria, ἀγρία ſταφὶς, vulgò *ſtrafuſani*, ſiue vua ſeluatica. Dioſ. cap. 150. 4. Gal. 6. de facultate ſimplicium.

Stibium & ſtibi, antimonium eſt, vt placet Auicen. & Serap. Funditur ipſe, & omnia metalla facit fluida, vt ferrum. Dioſcorid. capir. 53. 5. Galen. 9. de facultate

simplicium Exiccat & constringit. Plin. ca. 6. lib. 33.

Sthœchas, Arabicè stichados, est res notissima. Vide Mesu. & Dioscorid. capitu. 28. 3. Galen. 8. de facultate simplicium. Pau. lib. 7. Aperit, extenuat, detergit & confirmat viscera.

Stœbe non cõuenit cum scabiosa, vt non nulli affirmarunt, ex cuius decocto sanantur scabies & pulmonis vitia. Dioscor. de stœbe capit. 13. 4. & Gal. 8. de facult. simpliciũ. Pau. libro 7. Semẽ & folia in tertio adstringunt.

Styrax, vulgò *storace calamita*. Dioscorid. capitu. 70. primi. Galen. 8. de facultate simplicium. Plini. capitu. 25. libro 12. Paulus libro septimo. Calefacit, emollit, & concoquit. *Styrax medicus gdez protos tristitiã ligenit multos et turbulentos somnos facit. lect 17. b. 46.*

Sycomorus, arbor nostro moro non dissimilis, fructum fert non ramis, sed caudice ficorum grossulis dulciorem. Diocorides capitu. 148. primi. Galen. 2. de aliment. Theoph. capi. 2. libro 4. Plin. capit 7. lib. 13. Pau. libro. 7. Fructus nullius nutrimenti, liquor arboris emollit, vulnera conglutinat, & tumores discutit.

Tamarix domestica aqud nos non inuenitur. Dioscorid. cap. 101. primi Galen. capi. vltimo 7. de facultate simpliciũ. Plin. ca. 21.

lib.13.Pau.libr 7.Incidit, extergit,ita tamẽ vt manifestè non exiccet, sed adstrictionis particeps sit.

Telephium , est *faba crassa*, vulgò dicta. Dioscorid.cap,vlti.lib.2.Galenus 8. de fac. simplicium.Paul.lib.7.Calefacit in primo, & in secundo desiccat.

Tamarindi, aliàs dactyli Indi vocantur vide suprà.

Terebinthus,res est nũc nota,olim quasi incognita recessserat.Nunc eius resina non liquida sed potius cocta ad nos adfertur. Dioscorid.cap.77.primi,Theophr.capi.15. tertii.Inuenitur tã masculus , quàm fœmina.Gal.8 de facultate simplicium. Fructus abstrictorium quiddam habent , sed in secundo calefaciunt & desiccant.

Teucrium adhuc non vidi.Plin.ca.5.lib. 25.duas species teucrii memorat, & secundum habere folia fabæ similia adserit:vnde nonnulli id esse voluerunt, quod vulgò dicitur *faba grassa*,.Dioscorid.cap.102.libr. 3. Gal.8.de faculta.simp.Exiccat in tertio,calefacit in secundo.

Thalictron est secundum Ruellium herba Argentina, quæ folia coriandro similia habet Dioscorid.capit.93.quarti.Gal.6. de facultate simplicium.

Thapsia rarò ad nos adfertur.Valet liuidita

ditati carnis cum thure & cera, vt refert Plinius cap.20.libr 13 Galenus 6 de facult. simplic.Dioscorides capi.111.quarti. Theophrastus capit.23.lib.9.Est radix vomitoria. Paul.libro 7 Acris est & vehementer cum humiditate calefacit, ex alto attrahit, & attractum discutit.

Thlaspi quid sit, non possum affirmare: nam bursa pastoris multùm à thlaspi differt,si quis rationem vtriusque perpendat. Dioscor.cap.145.secundi.Galen.6.de facul. simp.Paul.lib.7.Semen viribus acre, vt intestinorum abscessus potu rumpat.

Thymbra siue Satureia, siue cunila, vulgò *SauoreZ* siue *peuerella*, apud Tuscos *conrella*, pollet ac ipsa thymus.Dioscor.cap.40. tertii.Plin.cap.8.lib.19.& cap.20.lib.20. Reperitur domestica & sylvestris: quare non mirũ si Columella inter thymbram & Satureiam,diuersitatem posuerit.Pau.lib.7.Sylvestris præstat,quæ thymus,hortensis verò imbecillior.

Thymus inuenitur albus & niger: at niger iuxta Aetii placitum est malus. Dioscor. cap 39.tertii.Gale.6.de facult.simp. Theophrast.capitu.2.lib.6.Pau.lib.7.Calefacit in tertio, & desiccat, & glutinosos humores incidit.

Tithymali genera sunt septem, chara-

tias & myrthites,quæ sũt nobis incognita: Paralius verò ab aliquibus cognoscitur, & vulgò vocatur *herba mora*, ex qua pisces moriũtur.Cyparisius est esula minor:dẽdro des, à me nunquam visus. Platyphylos, apud Tuscos dicitur *torto maglio*. Nota tamẽ quòd cyparisius vocatur à Mesue alsce bram,& ab Auicen.scebram, alscebram verò mezeheregi est pityusa à Dioscorid.Lac eorum depilat oleo in sole inunctum,& ortum tandem prohibet.Dioscorid.capit.159. 4.Galen.8.de facultate simpliciũ.Plin.capi. 8.lib.26. Pau.lib.7.Omnes è quarto ordine calefaciẽtium,acrimoniæ & validæ amaritudinis participes.

Tragacantha,vulgò *dragant*: eius gumi vocatur:in Creta & Achaia nascitur.Galen. 8.de facult.simpli.exiccat.Dioscorid. capi. 21.tertii.Plin.cap.21.lib.13.Pau.lib.7. Similes gumi vireis habet.

Tragion quid sit diuinare nescio, sicut etiam de eius secunda specie dicerem, nisi fortè sit pimpinella, vel saxifragia hircina. Gal.8.de fac.simp.Dioscо.ca.47.& 48.quarti.Plin.cap.21.libr.13.Pau.libro.7. Calidum in tertio,attractorium discutiens.

Tragum nisi sit species iunci, haud etiã scio qnid esse possit:nã sine foliis Plin.eam sum minimis ramentis pingit, cap. vltimo lib.

lib.27.Dioſc.cap.49.libri quarti.

Tragoriganum vt placet Leoniceno, in acetariis comeditur, vulgò *tragone* appellata.Dioſc.cap.30.tertii.Plin.capit.17.lib.20. Galen 8.de facul.ſimplic.Pau.libr.7. Vires habet origani,& nonnullam etiam adſtrictionem.

Tribulus habet duas ſpecies, vt Theoph. cap.5.libr.6.quarum vna producit fructum ſpinoſum,cuius radices à multis pro iringo condiuntur,& revera decipiuntur.Dioſco. cap.16.quarti.Gal.8.de fac.ſimp.Plin.capit. 16.lib.21.Pau.lib.7.Mediocriter refrigerat, ſed terreſtris in ſiccando valẽtior eſt,aquaticus leuiter humectat.

Trifolium, τρίφυλλον, omnibus notum, cuius ſpecies apud nos tres enumerantur: prima habet folia rotunda & magna, ſecunda longa,tertia rotunda & minuta.Plinius capit.9.libro 21.Scripſit etiam de trifolio acuto Scribonius, & eſt ſpecies trifolii acetoſi, vulgò dicitur *Alleluia*, ſiue *pan cuculo*, Decipiuntur qui pro andacocha ſemen trifolii accipiunt: nam andacocha nil aliud eſt quàm lotus ſylueſtris ſiue Aegyptius.Gal.8 de facul.ſimp.Dioſc. cap. 114.tertii.

Trinitas herba nota ferè omnibus,habet enim folium in tres partes diuiſum, ſimile

foliis cyclaminis cum cæleſtis flore coloris. Conglutinat vulnera & inteſtinorum rupturas, & quæ in ſcrotum deſcendunt, præſertim ſi medium huius pulueris cochleare cum vinō ſtyptico ſumatur.

Tripolium etſi ab aliquibus credatur eſſe turbit, nihilominus decipiuntur: ſi quidem noſtrum turbit odorem non habet vt tripolium, ſed creditur potiùs turbit noſtrum eſſe alipiam Dioſcoridis: ſed quum verum tripolium non habeatur, id quod à monte ſancti Angeli affertur, eſſe cortex pityuſæ creditur. Dioſcorid. capi. 130 quarti. Galen. 8. de facul. ſimplic. Plin. capite 7. lib. 26. Pau. lib. 7. Calida radix eſt in tertio, & acris.

Tubera, Græcè ὕδνον, vulgo *tartufi*, de quibus mentionem facit Plinius capite 2. libro 19. Galen. 2. de facult. alimentorum. non habet, vt ipſe inquit, euidentem qualitatem. Auicen. 2. ſuorum can. Componūtur ex terreſtri & aquea ſubſtāntia, & ſapore priuantur, generant humorem melancholicum, craſſum, & quandoque paralyſim, ſtomachum aggrauant, & malè digeruntur. Dioſc. ca. 134. ſecundi. Pau. lib. 7. Conſtāt ex terreſtri ſubſtantia cum modica virtute tenui.

Tuſſilago, Græce βήχιον, vulgò farfara

vel

vel vngula caballina dicitur, nota est: eius fumus prodest tussientibus, vnde nomen accepit. Dioscorides cap. 117. tertii. Gale. 6. de facult. simplic. Paulus, Constat ex calida & aquosa substantia.

Turbit Mesuæ est radix alipiæ, vt dictum est de Tripolio.

Thypha, τύφη, vulgò *massa surda*, hæc nascitur in aquosis ac palustribus locis. Surda idcirco dicta, quia eius lanugo si aures alicuius ingrediatur, facilè ille surdescit: est nota etiam pueris, quum sæpe illam primò manibus habeant. Dioscor. capit. 124. tertii. Theoph. cap. 13. primi libri. Apud Galenum vel Paulum nulla de hac fit mentio. Plin. cap. 10. lib. 18.

Vmbilicus Veneris, Græcè κοτυλήδων, vocatur apud Tuscos coopertorium. Sunt qui in Lombardia cymbaria quadam pro Veneris vmbilico vtuntur. Dioscorid. capi. 87. quarti. Gal. 7. de facult. simplic. Plin. cap. 2. lib. 25 Pau. lib. 7. Refrigerat, repellit, abstergit, dissipat.

Verbascum, Græcè φλόμος, vulgò *tasso barbasso*, & est omnibus notum. Inuenitur mas & fœmina: mas ex foliis strictis, fœmina ex latioribus: cæteræ species nondum mihi sunt cognitæ, etsi Ruellius primulam veris esse vnam phlomi speciem

crediderit, seſe profectò decipiens, quum nullibi de eius flore agat Dioſcorides. Succus ex flore huius herbæ omnes faciei maculas abſtergit. De verbaſco loquitur Gal. 8. de facul. ſimpli. Dioſc. cap. 99. quarti. Plin. ca. 6. lib. 26. Pau. lib. 7. Folium omnium ſiccantem & mediocriter adſtringentem vim referunt.

Verbenaca tam recta quàm ſupina, à Græcis περιστερεὼν dicta vulgò *berbena* vocatur, nec virtute hæ ſpecies inter ſe differunt, niſi quòd altera mas, quæ raris foliis conſtat, altera fœmina magis folioſa. Dioſcori. cap. 58. & 59. quarti. Plinius capit. 9. libro 25 Gal. 8. de facul. ſimp. Vim habet ſiccantem.

Vetonica, κέστρον, vulgo notiſſima eſt, quæ tot virtutes præſe fert, quot Anto. Muſa, Cæſaris Medicus, illi attribuit. Vide Dioſc. cap. 1. quarti. & Galen. 8. de fac. ſimp. Mundificat renes, pulmonem, pectus, & hepar. Plin. ca. 8. lib. 25.

Viola alba, λευκόϊον, ex qua vnguentum iaſminum fit, nota omnibus eſt, ſicuti & viola lutea, quæ à ſeplaſiariis vocatur κειρί, de cuius viribus Gal 7. de facul. ſimpli. tractat. Dioſc. cap. 129. tertii. Pau. lib. 7. Frutex abſtergendi extenuandíque vires habet, magis autem flores.

Vitex,

Vitex, Græcè ἄγνος, vulgò *agno casto* dicitur, & est duplex, albus & niger, maior & minor, vt testatur Plinius capite 9. libro 24. Galenus 6. de facul. simplic. Calidum & siccum est in tertio. Dioscorid. cap. 110. primi.

Vitis alba, Græcè ἄμπελος λευκή, vulgò *brionia* dicitur, siue *Zucha saluatica*, & est res notissima: vide de eius viribus Dioscoridem capite 179. quarti. Galen. sexto de facultat. simplic. Radix soluit splenis duritiem.

Vitis nigra, siue ἄμπελος μέλαινα, vulgò dicitur *vua tamina*, & apud Tuscos *tamaro*, & est res nota. Dioscor. cap. 177. quarti. Plin. cap. 2. lib. 23. Paul. lib. 7. Pollet, sed non ita efficaciter vt alba.

Viticella, quæ ab aliis dicitur momordica, ab aliis balsamina, ab aliis coranzana, inuolucris herba est, florem habens cucumeri similem, à quo postea fructus oritur, ouo gallinę similis, sed minor satis, cũ quibusdam veluti acutis spinis viridis existens ante maturationem, & rubens post ipsam maturationẽ: cuius folia neruorum vulnera conglutinant, & oleũ ex infusione eius fructus vulneribus, apostematibus, & vlceribus mammillarum non solùm prodest, sed mirum in modũ dolores matricis

per

per clysterem in ectum & hæmorrhoidarum, vulnerum, & apostematum maximè leuat ac tollit, cicatrices extenuat, &c. vt videre poteris iuxta Matthiolum Senensem cap. de vite nigra.

Vitis syluestris, Græcè ἄμπελος ἀγρία, omnibus nota: longas enim ex se mittit viticulas, vinum vitis modo ferentes, lignosas & asperas. Folia solatro similia, latiora tamen & longiora, florem ceu musculosum capillum, fructum exiguis vuis similem, radices in aqua decoctæ dantur contra cutem subeuntes aqua, acini vuarum asperam & discolorem cutem, omnésque alias maculas repurgant. Dioscori. cap. 17. quarti. Galen. 6. de facult. simplic. Paulus libr. 7. Germina abstergunt, & nonnihil adstringunt.

Vrtica, Græcè ἀκαλύφη, res notissima est: vide de eius viribus Dioscoridem capite 89. quarti. & Galen. sexto de facultat. simplic. Plini. capite 15. libro 21. Paul. libro septimo. Tenuem habet substantiam, citra rosionem siccat, tumores discutit, abstergit, & ventrem subducit.

Xanthion, vulgò lappa minor dicitur, inuenitur in pinguibus locis, & in paludibus per æstatem siccatis: vide Dioscoridem capite 133. quarti. Galen. octauo de facultat.

simp

simplici. Paul. libro. 7. Fructus discutiendi vires habet.

Xyris, sunt qui eum esse velint vulgarem acorum, ego eum nuspiam vidi: scio tamen ex Galeno, septimo de facultat. simpli. eius semen est validissimum in prouocanda vrina, & in duritie splenis. Dioscorid. capit 24. quarti. Paulus libro 7. Tenuis & discussoriæ & extrahentis est facultatis ac etiam exiccatoriæ.

Zea nil aliud est, quàm nostra spelta vulgaris. Dioscorides capite. 80. secundi. Plin. capite octauo, lib. 18. Galenus sexto de facultat. simplic. Paul. libro 7. Viribus tritici respondet, & medium inter calorem & siccitatem obtinet.

Zingiber, res nota est seplasiariis, & affertur ex Arabia & ex Aegypto, germinat quotannis, folia habens harundini similia. Dioscorides cap. 149. secundi. Galenus sexto de facultat. simplic. Paul. libro 7. Impensè calefacit.

Zedoaria, radix est gingiberi similis, odoratior tamen & aliquantulum amara, non autem sic acuta vt gingiber, impinguat, flatum discutit, & comesta affert odorem allii, cepari & vini. Confert etiam morsibus animalium venenosis, resoluit apostemata maturis, curat vomitum &

do

dolores colicos : & vt refert Auicennas, est theriaca Napelli. Serap. lib. aggre. capi. Zerumbet & Auic. lib. 2. Calida & sicca est in tertio gradu.

Zythum, siue ζυθὸς, nil aliud est quàm potus, qui ex hordeo & frumento paratur, quemadmodum ceruisia. Vide Dioscoridem cap. 7 .secundi. Plinium capi. vltimo, libro 12. Paulum libr. 7. Compositæ est substantiæ, acris enim est & frigidus.

FINIS.

INDEX EORVM QVÆ IN LIBRIS CONSENSVS Medicorum, de morbis curandis, continetur.

AN Absinthij succus magis stomacho conferat quàm ipsa herba pag. 613
Aetas quid 29
Aetates quot sint 30
Aetatum temperamenta quot 30
Aetates an sint plures, quàm quatuor 30
Aetates an possint præfiniri 31
Aetatum doctrina an sit vtilis 31
Aetas non dicitur calida vel frigida, nisi ratione subiecti 32
Aegritudines compositionis quot 68
Alfeniati 329
Alteratricis officium 60
Alteratio corporis quot modis fiat 67
Alteratio duplex 110
Alteratio, concoctio, humorúmque præparatio ac digestio, quomodo differant 111.112.

Alteratio per se an sit causa doloris 174
Angina quid sit 454
Anginæ differentiæ 455. causæ 456. indicia 459. cura 460. conferentia, prognostica 464. an conueniant repercussiua 466
Angina an magis à pituita, quàm à cæteris humoribus fiat 465
An omni anginæ conueniat sectio venæ 466
Anhelitus an sit motus naturalis vel voluntarius 497
Anima quomodo à natura distinguatur 11
Animæ sedes vbi 58.59
Animalis virtus ex motu cognoscitur 59
Appetentia quot modis lædatur 592
Appetitus duplex 593
Appetitus canini causæ 594. signa 595. cura 596. conferentia 599. prognostica 600
Appetitui canino an semper vinum cõferat 603
Aperitiua in sputo sanguinis ex retentione menstruorum facto an conferant 521
Apertio quid referat 74.75
Apoplexiæ species 261. causæ 245
signa 246. cura 250. prognostica 259
Apoplexia an à calido humore fiat 261
Apoplexia an à simplici frigore fiat 262

Apoplexia fortis an possit sanari 262
Error eornm qui apoplecticum dormire non sinunt 257
Aphtarum causæ 444. indicia & cura 545. 546. 547. prognostica 547
Arcuatus morbus siue aurigo 640
Ars curatoria quotuplex 95
Arteriarum tres dimen iones 85
Arteriæ an tantum moueantur motu pulsus 86
Articularis morbi causæ 840. 842. signa 843 cura 848. prognostica 849
Asciti an semper incisio conferat 688
Asthma an sit verus morbus pulmonis 497
Asthmatis causæ 489. 490. indicia 492 conferentia 496. cura 493. prognostica 49
Asthmati an conueniant valde soluentia 498 Atrophia. 522.
Attracticis officium 60
Auctio 58
Auctrix & nutrix ant sint idem 61
Aurium dolor 378. doloris causa 379. indicia 380. cura 382. 383. prognostica 391 Atrophia
Auditum acuentia 364
Auditui nocentia 388
Ausonij epigramma de intensionibus me-

dicorum 235
Azarauius prohibet ſecari venam in phrenitide 188
BAlneum quid proficiat in ophthalmia 332
Balneum quibus caſibus non conueniat 869
Batrachi cauſæ, indicia & cura 358.359
Βρόγχως 469
Bulimi 601. cauſæ, ſigna 602. cura & prognoſtica 603
Bulimus an idē cum appetitu canino 604
Bulimo an cibi craſſi conferant 604
CAchexia 522. 668
Cachexia an ſemper præcedat hydropem 689
Cacochimia 91
Calculorum renum prognoſtica 773
Calculi an poſſint generari à calido temperato 774
Calculoſis dormire ſuper dorſum an noceat 775
Calidum quot modis dicatur 24
Calidiora membra 176
Calor naturalis & extraneus 852
Calor an accendi poſſit tantum in ſpiritibus 863
Caput lædentia 171
Capilli cur defluant 531

Cardiaca passio 551
Catarrho conferentia 477
Cataracta oculorum 360
Causæ salubres & insalubres 67
Causæ morbi quot sint in genere 68
Causæ morborum calidorum 69
Causæ frigidorum & siccorum humorum 69
Causæ morborum an semper considerandæ 71
Cephalæa 138. quem locum occupat 139. signa 143. cura 138. cur dolorem per interualla efficiat 145
Cephalææ & hemicraniæ prognostica 171
Cephalæa an à cephalalgia differat 173
Cepæ cur noceant capiti 199
Cerebri ventriculos respirare 90
Cerebri substantia an possit inflammari 193
Charibitus 92
Chiragra 840
Cibi melancholici 278
Cibandum aliquando in morbi vigore 99
Coitus an valeat in morbis pituitosis 812. 823
Colicæ an in principio conueniant narcotica 617
Colici doloris causæ 739. signa 742. cura 745. nocentia & conferentia 752.

prognostica 753
Columella 449
Concoctio duplex 112. præcedit digestionem 115. an à frigido fiat 116
Concoctio quot modis lædatur 581
Concoctionis corruptæ causæ 580
Concoctionis corrupta signa 584. cura 586. prognostica 589.590
Concoctio an lædatur à siccitate & humiditate absque aliis qualitatibus 591
Contraria contrariis curantur 74
Conuulsio 284. an sit morbus vel symptoma 284. diuisio & causæ 385. an sit curabilis 289. quod fieri possit à flatu 287. signa 291. cura 293. prognostica 302
Conuulsio ex helleboro quomodo intelligatur 302
Conuulsio ab inanitione an semper mortalis 306
Conuulsio ex repletione, an à febre semper curari possit 306
Conuulsio incurabilis 307
Cordialis medicina quot modis dicatur 559
Cordi nocentia & conferentia 561
Coriza 468
Corpus fluidum quomodo intelligatur 71
Corpus respirat etiam per venas 90

Corporibus ſanis quod nutrimentum 100
Cura ſingulorum morborum in genere 72
Curationis præcipua intentio 73
DElirium fit interdum non patiente cerebro 192
Dentes an per ſe patiantur 435
Dentes an ab aliis oſſibus ferant 435
Dentes an poſſint apoſtemari 435
Dentium dolor 386. cauſa 387. ſigna & cura 430.431. prognoſtica 434
Dentibus nocentia 433
Diſtillatio quid ſit 468
Diſtillationum cauſæ 469. indicia 471. cura 472. prognoſt. 478
Deſtillationes quæ veræ vocentur 478
Deſiderium an ſit ex cerebro 822
Diabetis ſigna, & eius cura 783.785
Diabeti conferentia, & eius prognoſtica 279
Differentiæ partium quatuor 52
Difficultas ſpirandi an proueniat tantùm à læſione ſpiritualium 497
Digeſtio 112. duplex 116. an ſit humorum alteratio 11
Diſcordia Auicennæ cum Galeno in cura appetitus canini 597
Diuretica an in principio calculi conueniãt 774
Dolor, & eius ſpecies 737

Dolor an fiat ab humido tantùm 173
Dolor an fiat à ſolutione continui tantùm 173
Dolor aurium 379. cauſæ 380. indicia 380. cura 182. prognoſtica 390
Dolor dentium 386. cauſæ 387. ſigna & cura 431. 432. curantia 433. prognoſtica 434
Dolores dẽtium an magis caliditate, quàm frigiditate fiant 435
Dolor ſtomachi & eius cauſæ 605. ſigna 606. cura 607. conferentia & nocentia 612. prognoſtica 613
Dolori maximo an ſemper phlebotomia conferat 614
Dolor colicus, cauſæ 739. ſigna 741. cura 745. noçentia & conferentia 752. prognoſtica 753
Dolor iuncturarum 840
Doloribus iuncturarum conferentia 841
Dyſenteria quid, & eius cauſæ 701
Dyſenteriæ ſigna 701. cura 704. conferentia 711. prognoſtica 713
Dyſenteria ſanguinea an bilioſa deterior 715
Dyſenteria ab atra bile an ſemper lethalis 715
Δυσκρία 789
Δυσωνία & eius cauſæ 489

ELementum physicum & medicum 14
Elementa quot 15
Elementa hominis 16
Elementorum doctrina an sit vtilis 18
Empyema §22
Empyematis signa §25. cura §26. prognostica §30
Empyema an per vstionem vel incisionem curandum §33
Epilepsia an sit morbus vel symptoma 223
Epilepsiam excitantia, curantiáque 154
Epilepsia per consensum an post pubertatem curetur 242
Epilepsia an curetur per omnem mutationem calidi & sicci 242
Epilepsia an habeat cum apoplexia eãdem causam & locum affectum 242
Epilepsiæ causa immediata an sit vapor absque materia fouente 242
Epulis quid sit 436
Euacuatio quot modis fiat 125
Euacuationi quot requiruntur 126
Euacuatio nimia morbum parit 127
Euacuationes quando non debeant fieri 129
Euacuatio an fieri possit in principio morbi materia non turgente 129
Euacuatio an sit optima, si copia humorum

exeat 130
Excrementa quandoque partes, quandoque signa sunt 77
Extremis morbis extrema remedia 109

FAcultas triplex 54
Facultas vitalis an naturali sit prior 60
Facultates omnes vbi collocentur 55
Facultates propriæ corporis quot sint 57
Facultates naturales an sint in qualibet corporis parte 60
Facultates an alibi sint, quàm in animato corpore 60
Facultatum cognitio vtilis 60
Febris quid & vnde dicatur 852
Febris an sit calida & sicca complexio 862
Febris an diuidatur in morbum & accidens 862
Febris ephemeræ causæ, signa & cura 863 864.865.
Febris bilioſa 887
Febris ephemera an sit accidentalis 870
Febris hectica an possit per se incipere 877
Febris hectica cur difficilis cognitionis & facilis curationis 878
Febris heppiala 917
Febris lypiria 929

Febris quotidiana 903
Febris quartana 908
Febris tertiana notha 896
Febris tertiana pura 886
Febris tertianæ cauſæ, ſigna, cura, prognoſtica 879.882.886
Febris tertiana an poſſit per acceſſionem de tertio in tertium cognosci. 901
Febres accidentales 853
Febrium diuiſio 874
Febrium cauſæ in genere 855
Febrium tempora 858
Febricitantibus an omnes fructus noceant 901
Febribus an aliquod vinum conueniat 901
Febris ſanguineæ genera 915. cauſæ 917. ſigna 918. cura 918. prognoſtica 921
Febris putridæ diuiſio & numerus. 879. 883
Febris cauſon 921
Finis medicinæ 8
Fluxionum differentiæ 437
Fluxus in apoſtematis hepatis an mortalis 637
Fluxus vehemens an in principio ſit compeſcendus 715
Fluxus hepatici ſpecies 716. cauſæ 720. ſigna 721. cura 723. conferentia 752. prognoſt

gnoſt. 653
Fluxui hepatico an conueniant ſtyptica 754
Fluxus hepaticus an requirat tenuem victum 754
Fluxus hepaticus an ſit facilis curationis 755
Frictiones an cóueniát i prine. lib2.

GEneratio non eſt ſimplex naturæ actio 57
Gingiuarum affectus 436. cauſæ 437. ſigna 438
Gingiuæ cur corrodantur 439
Glaucoma quid 360
Gonagra 840
Gonorrhœa 814. cauſæ & ſigna 815. conferentia 817. prognoſtica 818
Gonorrhœa an ſit propria paſſio pudendi vel expultricis facultatis 822
Grauedo 470. 478
Gurgulio 452
Gutturi nocentia 463

HEctica 870
Hemicraniæ 163. cauſæ, ſigna 164. cura 166
Hepatis imbecillitas 614. cauſæ 615. ſigna 616. cura. 619. conuenientia 621. prognoſtica 617

Hepati ſupercalefacto an conueniat ceruſa 685
Hepatis apoſtematibus an conferant ſtypticiora, quàm in morbis ſtomachi 157
Hepatis apoſtemati an conferat ſectio venæ in pede an in brachio 638
Herniarum ſpecies 804.805
Homo an poſſit viuere ſine cibo vel plures dies 590.591
Humidiora membra quæ 108
Humiditas quomodo efficiat dolorem 175
Humores quid ſint 25.122
Humores vnde generentur, & quomodo 35.36
Humores mali an poſſint nutrire 48
Humores calidi & tenues num præparatione indigeant, antequàm euacuentur 116
Humores craſſi an coquendi & maturandi 116
Hydropis ſpecies 672.673. cauſæ 674. ſigna 677. curatio 679
Hidropum ſigna 686
Hydropi tuſſis an ſemper mala 687
Hipoſarca an deterior aſcite 689

ICtericia quid 640
Icterici cur flatuoſi non ſint 651

Ictericia ante septimum an semper mala 652
Ilei causæ signa 757. curatio 758. nocentia & conferentia 760. prognostica 761
Ileus an possit generari ex stranguria 762
Ileus an possit curari per fluxum vrinæ 762
Inflammatio quid sit 337
Inflammationis iecinoris causæ 624. Signa 267. cura 629. prognostica 636
Inflammationi hepatis an conueniat aqua hordeacea 638
Insania quid 310
Iocinorosi qui dicantur 615
Ισχυρία quid 788. 797
Ischuriæ causæ & signa 798. curatio 800
Ischuriæ & stranguriæ conferentia 801. prognostica 802
Ischias quid 840

LAc an possit adhiberi in ophthalmia 355
Lac an phthisicis conferat 533
Lapis renum & vesicæ 764
Lapis renum num possit auferri per incisionem 766
Lapidem generantia & curantia 847
Lethargi 195. causæ 197. signa 198. curatio

tio 201. prognostica 207
Lethargi & phrenitidis discrimen 200
Lethargi & apoplexiæ discrimen 200
Lethargus an fiat primò in cerebro 220
Lethargus an gigni possit à melancholia 220
Lethargo an conueniat sectio venæ, si ab humiditate & frigiditate fiat 220
Lethargo an repellentia occipiti adhibeantur 220
Leuitatis intestinorum causæ 691. signa 693. cura 695. conferentia 698. prognostica 699
Lienis signa 655
Λιεντερία quid 691
Lienteria num detur, in qua sint semper acidi ructus 700
Linguæ bathrachus quid 399
Lippa quid apud Arabes 346. 345
Locus affectus in hæmicrania 163
Locus affectus in lethargo 196
Locus affectus in paralitide 406
Locus affectus in dolore dentium 429
Lotium quid & eius diuisio 79
Lotium optimum quod 81
Lotium an sit excrementum tantùm renum 82. 83
Lipopsychia & syncopis quid differant 564

Mali habitus 666. signa & cura 668. 669. prognostica 672
Medicina quid 8
Medicamenti purgat. non potest dari certa quantitas 126
Medicamentorum species 132
Melancholia, & eius diuisio 37
Melancholiæ generatio 38
Melancholia, morbus 308
Melancholiæ morbi species 309. causæ 310. signa 316. cura 321
Melancholia morbus, quomodo differat ab humore melancholico 333
Melancholia confirmata an possit sanari 333
Melancholia per inferiora purganda 325
Melancholiæ per consensum cura 325
Melancholiam incitantia 329
Melancholiam curantia 329
Melancholici cur fiant epileptici 332
Membra quid sint 34
Membra frigidiora quæ 25
Membra cur sensus impressionem non recipiant 338
Membrorum diuisio 339. 340
Memoratricis officium 55
Memoria quid 62
Menses prouocantia 831

Menſes ſupprimentia 818
Méſium ſuppreſſionis cauſæ 826. ſigna 827. cura 830. prognoſtica 831
Menſium profluuij cauſæ 833
Menſium profluuij, ſigna. cura 835. prognoſtica 831
Modus cibandi in morbis, an cum apoſtemate 186. 187
Modus ſegregandi lac à ſero 325
Modi reuulſionum an ſint ſex tantùm 174
Morbus quid ſit 62
Morbus regius ante ſeptimum cur malus 651
Morbus veteranus 195
Morbi ſtatus verè non cognoſcitur 99
Morbs comitialis 222. cauſæ 224. ſigna 227. cura 230. prognoſtica 240
Morbi regij 639. cauſæ. 640. ſigna 644. cura 645. conferentia 693. prognoſtica 651
Morbi omnes an cognoſci poſſint per vrinam 69
Morbi ſimilares & inſtrumentarij 72
Morbi an cognoſcantur, non cognito affectu ſecundum naturam 71
Morborum genera 65
Morborum numerus 72
Morborum aſtutorum cur non ſunt certa

præsagia 465
NAtura quid sit 11
Natura humana quid 12
Natura quod modis accipiatur 12
Naturalis scientia medico necessaria 10
Nausea quid, & quotuplex 56. 566
Nauseæ causæ 569
Nephritidis causæ 920. signa 911. curatio 779. prognost. 782
Nerui an oriantur à corde 306
Neruis an vsus calidorum frequens prosit 281
Neruis calor quid efficiat 281
Notæ temperaturarum in genere 26
Nutrire in accessionibus quãdoq; licet 107
Nutritio quid sit 49
Nutritioni necessaria quæ 58
Nutrimentum non datur ratione morbi, sed virium. 98
Nutrimentum viscosum an noceat hepati 638
OBstructio an sit causa missionis sanguinis 123
Oculi an sint complexionis igneæ 358
Oculis an prosint stupefacientia 358
Operario naturalis quibus perficitur 51
Operatio quot modis lædatur 52
Ophthalmia quid 337
Ophthalmiæ species 338. causæ 339. signi

343. cura 346. localia 348. nocentia, prognostica 357
Ophthalmia quomodo cognoscitur, longè duratura 358.
Orthopnœæ causæ 489. indicia 492. cura 493. conferentia 496
Orthopnœa an possit fieri absque febre 497
Ossa etiam apostemantur, teste Auicen. & quomodo 194.
Oxyrrhodinum an applicandum in phrenitide 191
Ozæna quid 424.
Ozænæ causæ 425
Palpitationis cordis prognostica 562
Palpitatio & tremor an idem 564
Paraphrenitis vnde fieri possit 193
Paralysis 264. causæ 266. signa 270. cura 270
Paralysim generantia 278. curantia 278. cur in paralysi, sensu remanente, solus amittatur motus
Parotidum causæ & indicia 419 cura 421 prognostic. 423
περὶ σώματος 448
Partes medicinæ quot. 9
Peripneumonia & eius causæ 500. indicia 502. cura 504. cõferentia 506. progno. 507
Peripneumonia an fiat per viam fluxus 508

Peripneumonia cur fiat à pleuritide, & non econuerſo 506
Peripneumonia pituitoſa an ſit bilioſa deterior 508
Peripneumoniæ ab aliis morbis ortæ, an phlebotomia conferat 509
Pharmaca ſi plura miſceantur, an ſint eiuſdem naturæ 130
Pharmaca an proprios humores attrahant 131
Pharmaca à nutrimento quid differant 132
Pharmacum an omni tempore poſſit exhiberi 132
Pharmaca an indifferenter omnes humores purgent 132
Pharmaco aſſumpto an dormiendum 136
Phrenitidis diuiſio & definitio 176. cauſæ 178. indicia 179. cura 182. prognoſtica 192
Phrenitis quænam mitior 192
Phrenitis an poſſit fieri abſque febre 193
Phrenitis à ſanguine an ſit ſignum exitioſum 193
Phrenitidi an frigida conueniant 194
Phthyſis 521. cauſæ 523. indicia 525. cura 526. prognoſtica 530
Phthyſis an à ſiccitate per ſe fiat 533

Phthysi an abstergentia solùm conferant 533
Phthysicis an zuccarum rosaceum recens conferat 533
Pituita & eius diuiso 38
Pituita quomodo salsa fieri possit 42
Pituita non potest adeò assari, vt nigra euadat 314
Pituita an frigidior atra bile 47
Quomodo ex Pituita fit melancholia 47
Plenitudo ad vasa & ad vires 93
Plenitudo an semper indicet de secanda vena 119
Plethora quid, & quotuplex 91
Plethora quomodo curatur 91
Pleuritis quid, & quotuplex 536. causæ 537. indicia 538. cura 541. conferentia 547
Pleuritis an à tenui pituita fiat 549
Pleuritis an deterior in sinistro quàm in dextro latere 549
Podagra quid 840
Polypus quid 423. causæ & cura 425
Polypum & ozænas curantia 427
Polypi & ozænæ prognost. 428.
Potentia quid 53
Præparatio an sit idem cum digestione & decoctione 116
Præparatio quot modis fiat 118

Propriapiſmus quid, & eius cauſæ 818.
cura 820
Propoſitum artis medicæ ſanitas 8
Principium & elementum an idem 10
Pubertas quot annis duret 240
Pubertatis tempus 30
Pulſus diuiſio 85. vehemens 85. plenus, vacuus 87
Pulſus ex temperie & ætate 87
Pulſus ex anni temporibus & regione 88
Pulſus virorum & fœminarum diſcrimen 88
Pulſus ex ſomno & vigilia 89
Pulſuum genera 89
Pulſus an dilatetur ex repletione 89
Pulmo an ſit inſtrumentum anhelitus proprium 497
Pulmo an vlcerari poſſit ab humido tantum 533
Purgatio quid ſit 126
Purgatio an non indigentibus proficiat 132
Purgare an liceat in die cretica 132
Purgatio cur difficilis ſub cane 136
Quid vitandum in Purgantibus medicamentis 136
Qui apti non ſunt ad Purgandum 128

Putredo quid. 480. Putre

Putredo an sit causa mittendi sanguinem 124

Qualitates duæ an sint in elemento 18
Quartanæ causæ & signa 909. cura 911. prognostica 914
Quatuor tempora an reperiantur in omni morbo 861
Quot modis dicatur aliquid frigidum vel calidum 24
Quomodo ex pituita fieri possit melancholia 47
Quomodo aliquid per se vel per cõsensum affici cognoscatur 295
Quotidiana febris quæ, & eius causæ 903
Quotidianæ febris signa 904
Quotidianæ simplicis cura 907

Ramicum species 806. causæ 807. signa & cura 808. prognostica 813
Ranunculus quid sit 441
Ratiocinatricis officium 56
Ratio diuersitatis febrium quæ 882
Raucedo 468
Reficientia an præcedere debeant stiptica in syncopi 531
Regio considerandæ in temperaturis 27

Renum & vesicæ calculi 763. causæ 764. signa 766. cura 768
Repletio duplex 92
Repletio nimia quid agat 92
Resolutio an fiat tantùm sensu omisso 280
Reuulsionum modi 175
Risus an possit esse in melancholia 328
Robur sanis seruandum vel augendum 92
Sang. missio copia nimia humoris labem nixia. 631.
SAnguis quid, & eius diuisio 37
Sanguis vnde accipiat suum colorem 38
Sanguinis sedes 38
Sanguis syncerus in venis non reperitur 48
Sanguis quot modis inutilis 49
Sanguis spumosus an semper indicium affecti pulmonis 520
Sanguinis missio etiam in vigesima die fieri potest 49
Sanguinis missio an tantùm manè fieri debeat 123
Sanguinis missio an visum hebetet 124
Sanguinis missio an semper in plenitudine fiat 124
Sanguinis mittendi scopus 123
Sanguinis reiectio per superiora an semper

per mala 520
Sanitas quid sit 62
Sanitatis cognitio an medico necessaria 71
Sanitati quæ requiruntur 63
Sciatica quid 8939
Scotomaticus affectus an suffusionibus oculorum differat 122
Sectio an omni pleuritidi conueniat 194
Sectio venæ an omni ophthalmiæ conueniat 358
Sedimentum vrinæ, an semper bonum signum 83
Senes quandoque ectionem venæ perferunt 121
Senum temperies 31
Sicciora membra quæ 25
Signa optimæ temperaturæ 28
Signa morborum in genere 76
Signorum alia diuisio 77
Signa per vrinam an certiora, quàm per pulsum 89
Signa vniuscuiusque humoris 85
Somnus quomodo malus 207
Sonitus aurium 401. causæ 402. signa 403. cura 405. curantia 407
Spasmus 283
Spiratio omnis an deficiat in apople-

xia 161
Splenis affectus cura 660
Splenis humores an educi possint per vias vrinæ 664
Splenis omni duritiei an conferat omne lac 665
Sputi sanguinis cura 513
Status morbi quomodo cognoscitur 860
Sternutamentum an sit in distillatione salubre. 479. Stomachi dol. 605. 480
Strangulatio quid 454
Strangulatio an possit fieri ex inflammatione asperæ arteriæ 467
Stranguria quid 789
Stranguria cuius facultatis symptoma 791
Stranguriæ prognostica 796
Subuersio 570
Sudor in lethargo deiicit vires 207
Suffusionis causæ 362. signa 365. cura 368. obseruationes 374. prognostica 376
Suffusio omnis an per chyrurgiam possit curari 377
Surditas quomodo à graui auditu differt 378. causæ 379. signa 380. cura 382. prognostica 417
Συνάγχη quid 454
Syncope 552. prognostica 562. indicia

cia 554. cura 556
Syncopa frequenter accidens an sit signum mortale 564
Singultus non desinens quid significet 577

TAbes quid sit 521
Tabis species 522
Tabidis conferentia 529
Tactus solus indicat temperiem 28
Ταράξις quid 338
Temperies quid, & quotuplex 19.20
Theriaca an venenosa & non exhibenda 763
Tinesmi curatio 733
Tinnitus aurium 402
Tonsillarum cura 452
Tremor in paralitide cur bonus 281
Tremoris cordis cura 556
Tumores an fieri possint in gutture absque dolore 466
Tussis curatio 483
In omni Tussi sicca, num conueniant pilulæ bechicæ 487
Tussis in hydrope an sit signum malum 689
Tympanites an à frigido fiat 688

VAcuatio quot de causis fiat in principio morbi 550
Venæ sectio quo tempore fieri debeat 119

Venæ sect. an vsque ad syncopem facienda 210
Qui multam & paucam venæ sectionem expostulant 120
Venæ sectionem quandoque senes perferunt 121
Vertigo quid 208
Vertigo per consensum an attribuenda capiti 220
Vertigo omnis an per sectionem arteriæ curanda 220
Victus ratio à quibus sumitur 97. vt instituenda 98
Victus ratio per ætates 102
Victus ratio ex temporibus anni 103
Victus plenus 107
Vinum cur in paralysi non concedatur 272
Vinum an in syncopi exhibendum 564
Visio an fiat extra mittendo 358
Vlcus aurium 391
Vlcera aurium mundificantia 399
Vlcerum breuis Galeni cura 398
Vomitus an semper possit prouocari 579. cura vomitus. 566.
Vrina aquosa 184
Vrinæ retentio 798
Vrinæ stillicidium & causæ 798
Vrinæ stillicidij cura 794

Vrinæ inuoluntario exitui conferentia 805

Vrinæ incontinentia, & eius cauſæ 803.
ſigna & cura. 805

Vrinæ ſedimentum an ſemper bonum 83

FINIS.

BIBLIOTECA N.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google